

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
19 VI
25

LEXICON
HISTORICVM, AC POETICVM, RECENS PER
IOANNEM CI-BENIVM IN GRAtiam studiosorum congestum.

*







Lugduni, apud Godefridum Beringum, 1544.



OPTIMAE INDOLIS ADOLESCENTIBUS
Traiano & Iustiniano ab Holtzhausen, fratribus, Ioannes Cibenius salutem plur.

*



ON me clàm est, adolescentes optimi, quàm graue, quámq; detestandum uitium sit ingratitudo: qua etiam nota non crediderim turpiorem hominibus inuri posse. Quapropter ne & ego in idem impingerem, semper optaui occasionem aliquam idoneam atq; dignam mihi dari, qua meum erga uos animum ostenderem, meq; cum ob patris uestri, uiri non minus sapiētia, quàm rerū usu clarißimi, in me beneuolentiam, liberalitatemq;, tum ob uestrum erga me animum, seu potius erga bonas artes uoluntatem, gratum exhiberem. Diu itaq; deliberanti, quid potißimum prae manibus sumerem, quodq; meis uiribus esset idoneum, ecce offertur mihi ab Egenolpho nostro argumentum, quod quidem quamuis antea ab alijs obiter tractatum sit, tamen quia & ego aliquando in eiusmodi studijs uersatus fuerim, maximè uerò, quia ex uestra totiusq; scholae utilitate esse cognouerim, suscepi, & quae necessaria uisa sunt, addidi, quasdam fabulas apud authores copiosius tractatas, breuiores apponens. Et licet quorundam scripta satis hoc nostrum propositum iuuerint, plurimum tamen mehercle Micylli, praeceptoris uestri doctißimi, quem meritò propter eruditionem uitaeq; honestatem omnis aetas suspicetur, opera in Bocatium iampridem insumpta nobis contulit. Hunc igitur



nostrum laborem, adolescentes optimi, uobis dedicare placuit: partim propter parentis uestri erga bonas artes, uirosq; doctos animum atq; liberalitatem, partim propter studiorum uestrorum cursum. Nam cùm uos reliqui uestri commilitones longius in Musarum stadio præcedere uideant, ipsi quoq; gloriæ stimulis excitati, alacrius subsequentur. Ne autem deterreamini, quòd fabulas, remq;, ut in principio apparet, satis friuolam hic liber tractet: sed potius diligentius animo uoluite, neminem in poëtarum scriptis feliciter uersari posse absq; horum cognitione: considerate quoq; poëtas huiusmodi fictiones non ut hominum uita deterior atq; turpior fieret, sed ut ad bonos mores uitamq; honestiorem conducerent, proponere uoluisse: plus certè in occipitio habent, quàm fronte promittunt. Nã ut unum atq; alterum exemplum adducam, Quid sibi aliud uult fictio illa Homerica de Vlysse, quàm principem, uirũq; consularem calliditate, fortitudine, sapientia, rerumq; experientiâ cæteris præstare debere? Quid aliud Polyphemi, atq; gigantum fabulæ, quàm impios homines, Deorumq; cõtemptores grauißimè puniri? Quid quæso Penelope? Quid Biblis? nõ'ne hæc amoris uim atq; impatientiam: illa uerò castitatis & pudicitiæ exemplar præ se fert? Valeant igitur, qui Poëtarũ fabulas ut corruptelam & perniciem iuuẽtutis esse contendunt. nihil enim tam malũ, quin aliquid boni inde excerpi: nihilq; tam bonũ, quin à maleuolis in peiorẽ partẽ rapi nõ possit. Quare adolescẽtes optimi, eo animo accipite, quo quæuis optima cõplecti soletis, quod ut cũ maxima uestra utilitate fiat, faxint superi. Valete. Ex musæo meo pridie Idus Mart. Anno à Christo nato M. D. XLIII.

A B.



ABANTIS, *insula est, Bœotiæ propinqua, alio nomine Eubœa dicta, cuius incolæ* Abantes *dicuntur. Sunt item* Abātes Ionū *quoq; populi inter* Achiuos, *ut scribit* Hieronym.

Abarbarea, N*ais nympha apud* Homerū, *ex qua* Bucoliō Aesapū *et* Pedasum *genuit.*

Abarimon, *Scythiæ regio, in qua syluestres homines degunt, auersis post crura plantis, qui maximam habentes uelocitatem, paßim cum feris uagantur, ut inquit* Plinius *lib.* 7.

Abas, *duodecimus rex Argiuorum, filius* Lyncei *ex* Hypermestra *uxore (sunt tamen qui* Beli *filium faciunt) pater autem* Prœti, Acrisij, *&* Iasij, *auusq;* Persei: *qui postea omnes ab ipso* Abantiadæ *sunt uocitati.* Abantias *autem dicta est* Atalanta, *neptis eius, &* Iasij *filia.* Musæus: —Nec Abantias aures Præterit ipsa tuas. Abantius, *a, um, poßeß.*

Abas, *alius, fuit* Troianus *& comes* Aeneæ, *de quo* Verg. *lib.* 10. *Vnà toruus Abas, &c.*

Alius item fuit Centaurus Ixionis *& nubis filius.*

Abatos, *insula in finibus* Aegypti *circa* Memphim, *Styge palude circundata: in qua insula sepultus fuit* Osiris *rex. Sic dicta, quòd ad illam propter limi & papyrorum copiam difficilimus sit aditus. est enim* ἄβατος *inaccessibilis.* Lucanus *lib.* 9.

Hinc Abaton, quā nostra colit uenerāda uetustas.

Abdēra, *urbs est* Thraciæ, *à* Diomedis *sorore condita, & ab eiusdem nomine sic appellata:* Democrati

item patria: alio nomine pòst Clazomene dicta est: iuxta quam stagnum Bystonium fuisse dicitur, in quo cuncta natantia demerguntur. Ouidius:

Aut te deuoueat certis Abdera diebus.

Abderites, *aliquis ex Abdera.*

Aborigenes, *populi antiquissimi per Italiam sparsi: tenuerunt autem potissimum agrum, qui nunc est populi Romani: hi postea aduetu Aeneæ Troianis iuncti, unoq; nomine Latini dicti, Romam condiderunt, ut refert Sallustius. Dionysius autem Arcadès fuisse, & cum Oenotro Lycaonis Arcadiæ regis filio in Italiam uenisse tradit. Sic dicti, quasi sine origine.*

Absyrtides, *insulæ in Adriatico mari. Plin. lib. 3.*

Absyrtus, *Aeetæ regis Colchorũ & Ipseæ filius, alio nomine Aegialeus dictus, quem soror eius Medea cum Iasone discedens membratim discerptũ circunquaque disiecit, ut sequentem se patrem in colligendis ossibus occupatũ remoraretur, ne eam à fuga retraheret: unde locus ille dictus est Tomos, id est, incisio. Sunt tamen qui Absyrtum non ex eadem matre cum Medea, sed ex Idya Oceani filia natum tradũt. Alij nec à sorore discerptum uolunt, sed per Istrum fluuium cum fugientibus in Illyriam ad insulas Brygeidas uenisse. Absyrtũ Diodorus Egialium uocat.*

Absyrtes, *Colchorum fluuius, in Adriaticum mare sese exonerans, ab Absyrto à Medea ibidem interempto, sic appellatus. Lucan. lib. 3.*

Et cadit Adriacas spumans Absyrtus in undas.

Abyla, *pen. prod. mons est Mauritaniæ ad mare, quod Aphricam ab Europa diuidit, cui oppositus est Calpe, mons in Hispania, qui olim perpetuo iugo coniuncti, ab Hercule sunt separati, & sic intromissum*

terris

terris mare, quod in hodiernum usq; diem Mediterraneum nuncupatur. In his præterea sunt Herculis *columnæ, quas ibidē fixisse dicitur, cū boues Geryonis uestigaret, perinde ac ultima ibidē esset orbis meta.*

Abydos, *penult. produ. urbs est Asiæ, à Milesijs condita, & Sesto Europæ ciuitati opposita, interfluente angusto mari Hellespontico, patria Leandri. Dicitur hæc Abydos, & hoc Abydum. hinc* Abydæus, *&* Abydenus. Ouidius:

Mittit Abydenus quam mallet ferre salutem,
Si cadat unda maris, Sesta puella tibi.

A C.

Academia, *fuit locus nemorosus mille passus ab Athenis distans, ab Academo heroē sic denominatus. In hoc loco fuit uilla, ubi* Plato *natus & philosophatus est. unde* Academici *philosophi dicti sunt, qui* Platonē *sequebātur. Est autē duplex, uetus et noua.* Hora.

Atq; inter syluas Academi quærere causas.

Fuit item Academia uilla M. T. Ciceronis in Campania, iuxta Puteolos, ut habet Plin. lib. 23. cap. 2.

Atq; Academiæ celebratam nomine uillam
Hanc reparat cultu sub potiore uetus.

Acanthus, *herba est elato longoq; folio, crepidines marginum, assurgentiumq; puluinorum thoros uestiens, ut ait Plinius. cuius duo sunt genera, aculeatū & crispum, quod breuius, alterum læue & flexibile.* Verg. in Georg.

–Et flexile uimen acanthi. Item in Bucolicis,
–Ansas molli est amplexus acantho.

Seruius dicit arborem esse in Cirenaica regione & Aegypto frequentem, quæ semper frondet, ut oliua & laurus. Poētæ fingunt Acanthum fuisse liberali

forma puerulum, qui in sui nominis florem deorum commiseratione sit permutatus.

Acarnania, regio & pars Epyri, quam Achelous amnis ab Aetolia separat: in hac est oppidum Leucas. Est & parua regio in Aegypto hoc nomine nuncupata. Item ciuitas nō procul à Syracusis in Sicilia, in qua antiquißimum fuit Olympij Iouis phanum. Hinc Acarnanus, & Acarna, aliquis ex illa prouincia.

Acastus, Peliæ Thessalorum regis filius, qui uxorem Cretcidē, siue, ut alijs placet, Hippolyten duxit: quæ cum Pelium amaret, neq; ille contra huius amori obsequi uellet, Peliū ultrò de stupri appellatione apud uirum accusauit. Itaq; Acastus Pelio ceu uenationis causa in saltum Pelij montis abducto, ibiq; omnibus armis spoliato, feris lacerandum præbuit: uerum Chiron, siue is Mercurius fuit, interueniens, accepta Vulcani machæra, Pelium liberauit, qui postea domum reuersus, Acastum cum uxore interfecit.

Acca Laurentia, Faustuli regij pastoris fuit coniux, Romuli & Remi nutrix, quam ijdem Lupam uocauere, quia fuit nobile scortum.

Acerræ, Campaniæ oppidum est, haud longè à Neapoli, quam Clanius præterfluit amnis, huius frequens inundatio eam penè exhausit. Verg. lib. 2. Georg.

—Et uacuis Clanius non æquus Acerris.

Acerra etiam thuris capsula est, à nostris thuribulum uocatur. Ouidius:

Dantq; sacerdoti custodem thuris acerram.

Acesinus, Persiæ fluuius est, in Indum fluuium cadens, magnus & nauigabilis, circa quem ferunt arundines tantæ magnitudinis nasci, ut singula internodia incolis præstent uicem nauigij.

Acesta

Acesta, *urbs Siciliæ, ab Aceste rege sic nominata, quæ eadem postea Segesta dicta est, ut inquit Serui. lib. 5. Aeneid. in qua partem suorum reliquit Aeneas, cùm peteret Italiam. Verg. lib. 5. Aeneid.*

Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Acestes, *filius fuit Crinisi fluminis Siciliæ, ex Egesta Troiana muliere. Hic postea rex Siciliæ factus, Troianos ibidem benigno suscepit hospitio, abeuntes uino & alijs muneribus etiamnum memor ueteris amicitiæ liberalißimè prosequutus est. Verg. lib. 1. Aene.*

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Acestis, *fluuius Italiæ nauigabilis, iuxta quem Alexander Macedo Bucephalam urbem condidit.*

Ἀχαιῶν λίμνη, *est sinus maris apud Troadam, sic denominatus, quòd ibi Achæorum claßis bello permanente hospitata sit. In hoc est Sigæum oppidũ. Recipit præterea Scamandrum & Simoënta fluuios.*

Achaia, *ampla est regio Græciæ, undique mari, Aegeo uidelicet & Ionio, præterquàm à Septentrione, circunsepta. in uno eo loco, in quo prædicta duo maria cõueniunt, sita fuit Corinthus, urbs olim ditißima, & Achaiæ caput. Nomẽ autẽ sumpsit ab Achæo Iouis, seu, ut alij uolunt, Xuti filio. Vnde & Græci dicuntur* Achæi & Achiui. Achaides, *fœminæ. Ouid.*

Inter & Achaides longè pulcherrima matres.

Prius dicebatur Danaa, à Danao Argiuorum rege. Item Aegialea, propter multas urbes, quas habuit dispositas in littore, quod Græci Aegialon uocãt. Item Peloponesus. nunc uulgò Morea uocatur.

Achaicũ *mare dicitur, quod Achaiæ Græcorũ prouinciæ adiacet, ubi Achaia Meridiẽ et Occidẽtẽ spectat.*

Achates, *fidus & indiuiduus Aeneæ comes. Dictus au-*

tem est ab ἄχω, id est cura, quæ perpetuò bono Princi*pi adesse debet. Est item fluuius Siciliæ.* Item *lapis apud hunc fluuium primò repertus. in hoc lapide habuit* Pyrrhus Epirotarum *rex, nouem* Musas *naturales, &* Apollinem *cum lyra.* Plin. *lib. 37. cap. 1.*

Achelous, *filius fuit* Oceani & Terræ, *seu* Tethyos, *ut habet* Seruius, *uel ut* Theodontius, Solis & Terræ. Hic *cum* Hercule *duello certauit pro* Deianira, Oenei Calidoniæ *regis filia: sed uidens* Herculem *fortiorem, se uertit primò in serpentem, deinde in taurum, cui* Hercules *amputauit cornu, quod* Copiæ *comiti* Fortunæ *datum est. sed postea* Achelous Amalthææ *cornu* Herculi *dedit, atq; ita suum recepit.* Tandem *ab* Hercule *uictus se in sui nominis fluuio gemino cornu insignito occultauit.* Nam *re uera* Achelous, *qui prius uocabatur* Thoas, Græciæ *fluuius est, duobus alueis, in* Pindo *monte oriens, &* Aetoliam *ab* Acarnania *diuidens, per fines* Perrhœbiorum *in* Maliacum *sinum effunditur.* Hoc *nomen à ueteribus pro quauis aqua usurpatum est, quòd hic fluuius omnium primus post diluuium eruperit.* Hinc Acheloias, & Achelois, *patronym. &* Acheloides *nymphæ dicuntur.* Ouidius: *–Vobis Acheloides undæ, &c.* Acheloia *pocula, uasa aquaria.* Verg. *lib. 1.* Georg. Poculaq; *inuentis Acheloia miscuit uuis.*

Achemenes, *rex fuit* Persarum *ditißimus, ut testatur* Horat. *lib. 2.* Carm. *à quo postea omnes reges descenderunt usq; ad* Darium. Hinc Persæ *dicti sunt* Achemenij, & Achemenidæ. Fuit & *alius hoc nomine* Xerxis *frater.* Lucan. *lib. 2. –Coniuret in arma Mundus, Achemenijs decurrant Medica Susis Agmina, &c.*

Ache

Achemenides, *Adamasci Ithacensis filius, & Vlyßis comes, qui fugientibus cæteris Græcis, cum Vlysse apud Cyclopas derelictus est: postea tamen Aeneæ ad eundem locum nauiganti associatus, Cyclopum manus effugit. Verg.lib.3.Aeneid.*

Achemon, *seu* Achmon, *ab alijs Atlas dictus, Passali, seu Candali frater. Hi duo Cercopes dicebantur, qui omnium scelerum autores, & participes fuerũt: tandem ab Hercule uicti sunt: quos postremò Iupiter in simias mutauit. Vide prouerbium, Ne in Melampigum incidas. Quidam hos non ex Seimone matre, sed ex Thia & Oceano natos tradunt, nominaq́; uariant, alterum Olum, alterum Euribatem appellantes. Ab his duobus fratribus nomen factum insulis Pithecusis, in quibus illi habitabant. Ouidius lib. 14. Metamorpho. author est. Inferius tamen alias harum insularum nominum rationes reperies.*

Acheron, *inferorum fluuius, ab α, & χαίρω, id est gaudeo, dictus. Filius fuit Cereris absq; patre: quem cùm in abdito Cretæ specu peperisset, is autem lucem aspicere non auderet, ad inferos defluxit, ibiq́; infernalis fluuius effectus est. Alij Titanis & Terræ filium faciunt, & ob id à Ioue ad inferos deiectum ferunt, quòd sitientibus Titanis limpidas præstitisset aquas. Sunt autem duo fluuij, quibus Acheronti nomen est. alter quidem apud Molossos descendens in stagna, quæ inferna uocantur, effluit. alter Brutiorum fluuius est (ut tradit Strabo lib.6.) prope Pãdosiam urbem, morte Alexãdri Epirotæ insignis. Vnde* Acherontini, *populi oppidani, qui iuxta Acherontẽ habitant. Seruius autem dicit non fluuium, sed locum esse in Campania, non procul à Baijs montibus septum, ubi*

ubi Necromantia exercebatur. Verg. *lib. 7. Aeneid.*

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Acherusia, *specus iuxta Heracleam urbem, ab Hercu-le conditam, in littore maris Euxini, ad manes usq; (ut fama fert) peruius, & ex eo Cerberum ad supe-ros tractum incolæ memorant. Est item palus iuxta Cumas ex Acheronte oriens: item lacus Thesprotiæ in Epiro, ex quo omnis Acheron profluit, qui in Am bracium sinum defertur.*

Achilles, *fortißimus omnium Græcorum, Pelei Thes-saliæ regis & Thetidis filius, quem infantem mater Stygijs undis totis immersit atq; abluit, eoq; modo inuulnerabilis in toto corpore factus est, præter-quàm in ea pedis parte, qua comprehensus ab ipsa matre fuerat, dum ablueretur. Traditus est educan-dus Chironi Thessalo, homini iustißimo, ut sub eo bellicis artibus à primis quoq; annis insuesceret, inq; Musices exercitio proficeret, quin etiam bonis mo-ribus enutriretur. Hunc autem cùm mater ex oracu-lo didicisset in expeditione Troiana periturum, si eò cum cæteris Græciæ ducibus proficisceretur, iam adultũ inter Lycomedis regis filias furtim occuluit, & ne proderetur, muliebri habitu eum induit, ubi cùm aliquandiu delituisset, Deidamiam regis filiam uitiauit, ex qua Pyrrhum suscepit. Postremo tamen ab Vlysse astu compertus, ad bellum ductus est. Tro-ia enim absente Achille expugnari non poterat. Por rò in bello, post multas res præclarißimè gestas, a-deò ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseida indi-gnatus, ut aliquandiu bello abstinuerit, neq; ullis pre cibus reduci potuerit. Attamen Patrocli amici con-iunctißimi morte permotus, denuo ad bellum profe-ctus*

ctus Hectorem interfecit, quem mortuum & currui alligatum ter circum urbis muros raptauit (& hæc omnia in Patrocli ultionem) ac demum Priamo corpus uendidit. Postremo fraudulenter à Paride in Apollinis templo confossus est, cum ei Polyxena in uxorem desponderetur, & in Sigæo Troiæ promontorio sepultus: quamuis hic uarient scriptores. Alij tamen eum in acie ante Troiam ab Apolline sagitta ictũ perijsse dicũt. Arma præterea habuit à Vulcano rogãte matre Thetide fabricata, quæ post eius mortẽ ingẽs odiũ inter Vlyssem & Aiacem Telamoniũ excitauerũt. Dictus ab α, & χιλὸς, quòd non nutritus sit uulgato more: alij ab ἄχος & Ἴλιον deducunt, eò quòd luctũ Iliensibus pariturus erat. Verg. lib. 2. Aeneid.

Hîc Dolopum manus, hîc sæuus tẽdebat Achilles.

Hinc adiect. Achilleus, a, um. Vergilius:

Stirpis Achilleæ, &c. Et Achillîdes. patrony.

Achillea, dicta est insula Leuce, Boristhenis ostio obiecta, quòd ibi Achillis sepulchrum ostendatur, ut habet Pompo. Mela.

Acidalius, fons est in Orchomeno ciuitate Bœotiæ, Veneri sacer, à quo etiam Acidalia dicta est. Fabulantur præterea poëtæ in hoc fonte Gratias se lauare consuetas. Verg. lib. 1. Aeneid.

–At memor ille Matris Acidaliæ, &c.

Acis, Fauni & Simethidis nymphæ filius, adolescens pulcherrimus, Siculus, à Galathea dilectus: quam quum Polyphemus etiam amaret, ab eodem saxo illisus perijt: cuius Galathea miserta in fluuium sui nominis permutauit, qui in Aetna monte oriens in mare Siculum defertur. Hunc alij in Acilium, Siciliæ fontem permutatum dicunt. Ouidius:

Præterit & ripas herbifer Aci tuas.

Acone, *portus est Heracleæ, Bithyniæ ciuitatis, Lyco fluminis oppositus, prouentu etiam noxiarum herbarum celebris, non procul ab Acherusia specu.*

Aconitum, *herba est, quæ perfusa Cerberi spuma uenenum contraxit efficacissimum, unde pro quouis ueneno accipitur. Dicitur Aconitum, quòd in saxis & nudis collibus nascatur, quos Græci ἀκονὰς appellant, ut inquit Plinius. uel, ut Solinus author est, ab Acone portu in Ponto. Lucan. lib. 4.*

Pallida Dictæis Cæsar nascentia saxis
Infundas aconita palàm, &c.

Acontius, *iuuenis ex Cea insula, in Delum ad Dianæ sacra profectus, in amorem Cydippes, nobilis puellæ exarsit: sed cùm eadem potiri non posset, nouam fraudem commentus, in pomo hos uersus scripsit:*

Iuro tibi sanè per mystica sacra Dianæ,
Me tibi uenturam comitem, sponsamq; futuram.

Hoc pomum Acontius iecit in sinum Cydippes, quæ uersus legens iurauit imprudẽs, & illi nubere etiam morbo coacta est. Vnde Vergilius quodam loco:

Quale fuit malum, quod littera pinxit Aconti,
Qua lecta cupido pacta puella uiro est.

Est item Acontius Magnesiæ mons, uel secundum alios, Bœotiæ.

Acrisius, *Argiuorum rex, Abantis filius, Prœto fratri successit in regno: qui unicam habens filiam, ex oraculo didicit, mortem sibi ab eo futuram, qui ex filia nasceretur: propterea illam in ænea turri concludi iussit. Iupiter autem eius amore captus, in aureum imbrem commutatus cum ea concubuit. Quo audito Acrisius graui ira commotus, eam in arca positam &*

fluctibus obruendam in mare proijci imperauit. Sed arca ad Appulum littus delata, à piscatore reperta est: in qua cũ Danaën & paruulum, quem enixa erat, reperisset, utrunq; Pilumno regi obtulit: qui cum genus & patriam eius didicisset, eam in uxorem duxit: filium Perseum Polydectæ Magnetis filio, Seriphæ insulæ regi, educandum dedit: qui adultus maximè à Mercurio dilectus est: & talaribus, & petaso, galeáq;, in qua ex aduerso uideri non poterat, indutus, sumpto præterea falcato ense, Gorgonem interfecit: cuius caput secũ accipiẽs, Atlantem regem in saxum commutauit, eò quòd hospitiũ denegasset: & deinde liberata Andromeda Argos reuersus, Acrisium obiecto Gorgonis capite, in saxũ permutauit. Hinc Acrisioneus, *a, um.* Vergil. *—Quam dicitur urbem*

Acrisioneis Danaë fundasse colonis.

Acrisione, *patronymicũ, id est, Danaë.* Acrisioniades, *Perseus Acrisij nepos.*

Acroceraunia. *Vide infrà,* Ceraunia.

Acrocorinthus, *altus mõs est in Isthmo inter Aegeum & Ionium mare: sub cuius radice est urbs Corinthus. uertex huius montis ædiculam habet Veneri sacram, infra uerticem Pyrenen fontem, haud affluentes, sed perspicuas aquas habentem.*

Acron, *Ceninensium dux fuit, quem raptus uirginum Sabinarum ulcisci uolentem,* Romulus *singulari certamine uicit, & occidit, eiusq; arma* Ioui Feretrio, *ut opima spolia, dedicauit.* Propert. lib. 4.

Tẽpore quo portas Ceninũ Acronta petentẽ, &c.

Acronius, *in Alpibus lacus est, quem descendens à fonte Rhenus facit. hũc nostri lacũ Cõstantiẽsem uocant.*

Actæon, *Aristæi filius ex Autonoë Cadmi filia.* Hic

cum

cum post uenationem in Gargaphiæ uallem descendisset, eò quòd ibi fons esset recēs limpidus, uidit in eo Dianam nudam se lauantem: quod cum ægrè Diana tulisset, sumpta manibus aqua in faciem eius proiecit, dicens, Vade & dic, si potes. Is autem confestim in ceruum mutatus, à suis canibus dilaceratus est. Alij Actæonē nō Aristæi, sed Melissi filium, nec à canibus suis pro ceruo, sed à Bacchi Orgia celebrātibus laniatum fuisse tradūt. Cōmunior tamē est Ouidij sentētia:

Inscius Actæon, uidit sine ueste Dianam,
Præda suis canibus non minus ille fuit.

Actium, Epiri oppidum & promontorium ad mare, ubi Augustus Antonium & Cleopatram nauali prælio uicit. Hinc Actij ludi quinquēnales, instar Olympiorum Apollini Actio dicati.

Actius, Tragœdiarum fuit scriptor, natus libertinis parentibus: inter colonos Pisaurū deductus est: à quo & fundus Actianus, iuxta Pisaurū dictus. In scribendo sententiarum grauitate, uerborum pondere, personarum autoritate clarissimus.

Actius Nauius, augur fuit, q nouacula cotē proscidit spectante Tarquinio rege: quo factū est, ut à Tarquinio & à populo semper in rebus dubijs cōsuleretur.

Actor, comes fuit Herculis in expeditione contra Amazones, in quo bello uulneratus cum retrò domū abire uellet, in itinere mortuus est. Actorides, Patroclus, nepos Actoris. is enim ex Aegina, quā ei Iupiter à se uitiatam in uxorem dederat, Menœtium genuit: Menœtius autem relicta Aegina Opuntē in Locros se contulit, & ibi Patroclum genuit. Verg. lib. 12.

Actoris Arunci spolium, quassatq; tremētem, &c.
Sed uidetur hic Verg. Itali cuiusdā mētionem facere.

Adam

A D.

Adamaſtor, *gigas fuit immani ſtatura & proceritate. Sidonius:*

–Pangæa rapit Rodopenq́; *Adamaſtor.*

Claudianus in Gigantom. Damaſtor nominatiuũ facit.

Admetus, *Theſſaliæ rex fuit, cuius armenta nouem annis pauiſſe fertur Apollo, cùm ob interfectos à ſe Cyclopes, qui fulmina fecerãt, quibus filius eius Phaëthõ erat necatus, olympo depulſus humana ſpecie apud mortales exularet. Quum autẽ perhumaniter ab ipſo Admeto tractaretur, ad referendũ patrono beneficium, à Parcis impetrauit, ut ſi eius fatalis dies adeſſet, hac lege mortẽ effugeret, ſi quis reperiretur, qui illius uice mortẽ oppetere uellet. Recuſantibus autem eam conditionẽ omnibus amicis, una Alceſtis uxor capitis ſui diſpẽdio mariti uitam redemit. Cuius beneficij Admetus memor, perpetuas defunctæ uxori nænias inſtituit. Alij dicunt eius animam Herculem ab inferis orante Admeto rege reuocaſſe, atq; rurſus in uitam reſtituiſſe.*

Adonis, *filius fuit Cynaræ Cypriorum regis ex Mirrha filia ſua, & à Venere ob formæ elegantiam ſummè adamatus: quem in Idalio nemore uenantem primo ætatis flore aper occidit. Venus amaſij miſerta, poſt multas lacrymas eum in purpureũ florem mutauit. cui & annua lugendi feſta ſunt inſtituta, templumq́; habuit in Biblo Phœniciæ urbe, ubi pater eius regnarat. Vergilius:*

Et formoſus oues ad flumina paſcit Adonis.

Adraſtia, *regio non longe à Troade, quæ eſt in Myſia, ab Adraſto rege ſic denominata.*

Adraſtus, *rex Argiuorum, Thalaonis & Eurynomes filius. hic cum duas haberet filias Argiã & Deiphylen,*

in somnis uisus est alteram leoni, alteram apro uxorẽdare. cumq́; Tydeus & Polynices eodem tẽpore fortè appulissent, & imbrem uitantes sub porticu contendissent, senex ut eos placaret, descẽdit: & cum Polynicem leonina pelle tectum, Tydeum uerò aprina inuenisset, eos sibi generos asciuit: Deiphylẽ Tydeo, & Argiam Polynici matrimonio iũxit. Postea Polynice ab Etheocle expulso exercitum cõtraxit, & unà cum genero in Etheoclem Thebanorum regẽ expeditionem sumpsit. Sed utrinq; multis occisis, domum rediit re infecta. Hic Adrastus Nemesi primus templum cõsecrauit, quæ propterea Adrastea *uocata est. Vergil. lib. 6.*

Parthenopæus & Adrasti pallentis imago.

Adria, *urbs fuit Italiæ, ad mare, quod ab ea uocatur* Adriaticum, *uel* Adriacum. *Ponitur etiam Adria pro ipso mari. Lucan. –Sonat Ionio uagus Adria ponto.*

A E.

Aeacides, *dictus est Achilles, Aeaci nepos ex Peleo Aeaci filio.*

Aeacus, *Iouis ex Aegina filius, qui Endeida Chironis filiam in uxorem duxit, & ex ea Thelamonẽ genuit & Peleum: deinde Psammathe Nerei filia compressa, genuit tertium, Phocum, quem Peleus occidit. Regnauit prætereа in insula Aenopia, quã ipse à nomine matris suæ Aeginam appellauit. Post mortẽ uerò ob insignẽ, quam in terris exercuerat, iustitiam, factus est inferorum iudex cum Rhadamante & Minoẽ. Ouidius:*

Aeacus in pœnas ingeniosus erit.

Ab eo fit Aeacideius, *a, um.*

Aeeta, *uel* Aeetes, *uel* Oẽta, *ut quidam scribũt, Colchorum rex fuit, Solis filius, ex Persa Oceani filia, liberos habuit*

habuit Medeam, Absyrtũ, & Calciopen. Ad hũc Phryxus Athamãtis filius peruenit, & aureũ uellus detulit: quod cum uigilantißimè seruaret, eius causa bellũ gessit cum Argonautis: tandem ab Iasone & spoliatus, & regno pulsus est: sed iam senex ab eodem in regnum restitutus. Interdum hæc dictio contrahitur in duas syllabas per Synæresin.

Aeanum, Macedoniæ oppidum, quod Aeanus Hemi filius, Tyrrhenorum rex, condidit. Inde Aeanicus.

Aeas, antis, Epiri fluuius, ex Macedonia prius defluens in Ionium mare sese exonerat. Lucan. lib. 5.

Purus in occasum, sed parui gurgitis, Aeas,
Ionio fluit inde mari, &c.

Aedon, uxor Zethi regis, Itylum filium per errorem nocte interfecit, putans eum Amanea seu Amandea Amphionis esse filium (inuidebat enim uxori Amphionis, quòd sibi sex essent filij masculi) quæ crimen cognoscens, optauit mori: miseratione tamen deorum in carduelem uersa, Itylum deflere dicitur.

Aëdon, trium syllabarum, auis est quæ alio nomine Luscinia, seu Philomela dicitur. Calphur.

Vocalem superet si turpis Aëdona cornix.

Aegæ, arum, uel Aege, ges, urbs est Ciliciæ. Luca. li. 3.

–Et extremæ resonant naualibus Aegæ.

Est etiam insula in Aegeo mari, de qua in sequentibus.

Aegæon, ἀιγάιων, gigas fuit, Titanis & Terræ filius, qui uno ictu centum scopulos in Iouem contorquebat: uictus demum alligatus est à Neptuno scopuli Aegei maris. Statius,

Audierat duros laxantem Aegæona nexus.

Item Verg. lib. 10. Aegæon qualis, & cæt. Dictus autẽ

Aegæon, ut quidam uolunt, ἀ γῶ, id est, superbio: inde γάιων, & per appositionē ἀγάιων, & per pleonasmum αἰγάιων. Alij dicunt Aegæonem immanem fuisse piratam, & sic nominatum ab insula deserta, quæ Aege in Aegeo mari uocatur, in qua subsidebat more piratarū, quibus fas nō est ob latrocinium suum urbes incolere.

Aegea, nomen duarum urbium, quarum altera in Emathia, altera uerò in Mauritania sita est, ut habet Ptolemæus. Sunt & Aegeæ Euboicæ, à quibus Aegeū mare dictum est, secundum Strabonem.

Aegeria, nympha fuit, prope Aricinum lacum culta, cū qua Numa Pompilius fingebat se nocturnū habere connubium, & colloquium de religione, & sacris ceremonijs, ut leges suas, quas Romano condebat populo, sanctiores redderet. quo mortuo, ipsa præ nimio fletu in fontem uersa est. Ouidius:

Aegeria est, quæ præbet aquas dea grata Camœnis.
Illa Numæ coniux, consiliumq; fuit.

Aegeum mare, pars maris est mediterranei, prope Græciam, Europam ab Asia diuidens. multas habet insulas. Dictum autem uel ab Aegæone, uel ab Aege insula, uel ab Aegeo Atheniensium rege: uel à forma, quòd capitis caprini formā habeat. est enim αἶξ αἰγὸς Græcis capra. Lucan. libro 1. Insonat Aegeo, &c.

Aegeus, Athenarum rex, & Neptuni filius, duas habuit uxores: Aethrā uidelicet, Pithei regis Thræzenorū filiā, ex qua Theseū suscepit: & Medeā, ut testatur Ouidius, ab Iasone repudiatam, ex qua Medū filiū genuit. Pandioni in regnum successit. hūc enim uerum fuisse illius patrem tradunt. Eo imperāte multa mala Atheniēses passi sunt: et inter alia à Minoē uicti, in has sunt deducti

ducti leges, ut quotannis septẽ nobiles ad Minotaurum iuuenes in Cretam mitterentur. missis itaq; his tribus an nis, quarto sors in Theseũ cecidit. is Cretam abiturus ad necãdum Minotaurum, uelo, naui, & omnibus eius dem ornamentis nigris usus est. cui pater in mãdatis de dit, ut si incolumis rediret, album uelum erigeret: sed huius mandati immemor Theseus, nigro uelo est reuersus. Pater igitur cum ex edito loco iam ita reuertentem filij nauẽ uideret, ratus ipsum esse mortuum, è turri se in mare præcipitem dedit: sed postea in Thesei honorẽ deus marinus factus est. Hinc Aegides, patronymicũ, id est, Theseus. Ouid. lib. 1. Metam.


Protinus Aegides rapta Minoïde Diam
Vela dedit, &c.

Aegiale, seu Aegiales, una est Gratiarũ, ut inquit Lactantius, alio nomine Thalia. Vide dictionem Aglaia.

Aegiale, Diomedis uxor, quæ marito apud Troiã bella gerẽte, cum Cyllabaro, siue Cyllebero Stheneli filio rẽ habuit: quod ubi Diomedes comperisset, domum reuer ti noluit: sed in Italiam post Troiæ expugnationem ue ctus, regni partem à Dauno sortitus est. Quidam dicũt eã Nauplij patris Palamedis suasione adhæsisse alteri homini. Lycophron ait, Diomedẽ Stheneli filio Cometæ commisisse domum, & uxorem: sed Venerem, quia à Diomede uulnerata fuisset, talem Aegialæ furorẽ immisisse, ut cum omnibus iuuenibus quàm turpissimè uiueret, præcipuè autem à Comete stupro usurparetur.

Aegina, Asopi fluminis filia, quã Iupiter amauit, & in ignem uersus eam oppressit, ex qua postea Aeacum suscepit. Est etiam insula circa Peloponesum in Aegeo mari, Epidaurico littori uicina, quam Myrmidones in-

b 3 habita



habitauerunt, qui ex formicis (ut habent fabulæ) facti sunt. Prius Oenopia dicta. in qua regnauit Aeacus, quã de matris nomine Aeginam nominauit, quæ adhuc nomen retinet. Ouid. lib. 7. Metam.

Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.

Aegis, scutum fuit Iouis, dictum ἀπὸ τῆς αἰγὸς, id est, à capra: nam ille à capra Amalthea nutritus est, cuius mortuæ pelle, scutum suum operuit: capram tamẽ postea uitæ restitutam, & alia pelle obductam, inter astra collocauit: seq; ob capræ memoriam Aegiochum appellari uoluit. Scutum uero Palladi dedit, cui ipsa Medusæ caput imposuit: quod qui intuebantur, protinus lapidescebant. Hoc munimẽto armata Pallas ad Troiæ excidium profecta est. Vergil. libro 8.

Aegidaq; horrificam turbatæ Palladis arma,
Polibant, &c.

Aegistus, Thyestis filius, ex Pelopeia, eiusdem filia: quẽ infantulum mater causa tegendi sceleris perdendum feris exposuit in syluis: sed à pastore inuentus, cuius beneficio quoq; nutritus est, & inde αἴγισθος dictus. Hic prouectior ætate Atreum, impellente tamen patre, interfecit, & eiusdem filium Agamemnona inter epulas, uel, ut alij uolunt, in primo egressu, adiuuante uxore Clytæmnestra, qua etiam turpißimè usus erat, obtrũcauit. Postremo ab Oreste Agamemnonis filio patris mortem ulciscente, è medio est sublatus. Ouidius:

Quæritur, Aegistus quare sit factus adulter.
In promptu causa est: desidiosus erat.

Aegistus, alius, fuit Beli Prisci filius (hunc tamẽ Apollodorus Neptuni & Libyæ filium facit, Danaũq; & Aegyptum genuisse ex Anchione, Nelei filia: & Aegyptum

ptum uocat ille, quem alij Aegistum) & Danai frater. Huic Aegisto 50. fuerũt filij: quibus cùm quæsisset Danai fratris 50. filias in coniuges, ab eisdem Danai iussu omnes nuptiarum nocte, præter unum Lynceum, quem Ouidius Linũ appellat, sunt occisi: qui postea expulso Danao, regnũ apđ Argos inuasit. Vide infrà Belides.

Aegle, Hesperi Italiæ regis fuit filia, sorores habuit Arethusam seu Erethusam, & Hesperethusã, quæ Hesperides dictæ sunt. Hæ amœnißimos hortos colere dicebantur in extremis Aphricæ, iuxta Lixon coloniã, à Claudio Cæsare deductam. In ijs auriferum nemus esse cum aureis malis existimabant: custodiri uerò à peruigili dracone, quẽ Hercules ab Eurystheo missus occidit, pomaq; aurea abstulit. Alia fuit nympha, Solis et Neæræ filia. Est autẽ αἴγλη Græcis lux, seu splẽdor. Ver. Ecl. 6.

Addit se sociam, timidisq; superuenit Aegle,
Aegle Naiadum pulcherrima, &c.

Aegoceros, id est, capricornus, animal est marinum, in quod tradunt se Pana transformasse, & in aquam se deiecisse, cum in Aegypto unà cum reliquis dijs Typhona gigantem acerrimum deorum hostem fugeret. Sed Iupiter huius ingenium admiratus, inter astra eum collocauit. Lucan. libro 8.

Humidus Aegoceros nec plus Leo tollitur urna.

Aegonus, mons est Romæ, qui postea Quirinalis dictus est. hinc Aegonensis.

Aegos, Thraciæ fluuius, ad cuius ostia claßis Atheniẽsis à Lysandro fuit capta, cuius loci incolæ Aegopotami, seu Aegopotamitæ dicti.

Aegyaleus, Phoronei fuit filius. huic Apis (quem quidã Phoronei, quidã Iouis filiũ ex Niobe, Phoronei filia, es

se tradũt) postquam Argis regnasset, in Aegyptũ trãs=iens, Achaiæ regnũ reliquit. Alij Aegyaleum Inachi filium ex Melia Oceanitide faciũt, & ab ea Aegyaleam dictam, quæ postea Peloponesus à Pelope uocata est.

Aegypanes, *sunt nudi, leues, caprinos pedes habentes, olim pro semideis, queadmodũ Fauni, à ueteribus culti.*

Aegyptus, *antè Aëria dicta, Asiæ est regio, licet Plinius eam Aphricæ faciat: terminatur enim ab Aphrica Ca=nopicò ostio, ab Asia uerò Pelusiaco. Nomẽ accepit ab Aegisto Danai fratre, quem quidam Aegyptum appel lant. Fœcũdatur Nili inundatione, quoniam nunquam illic pluere uisum est. Formam habet triquetram, quam suis flexibus efficit Nilus. Tempore Amasis regis ur=bes habuit 20000. quarũ præcipuæ, Alexãdria, Thebæ, Babylon, Memphis, &c. Natio præterea fuit su=perstitiosissima, adeò ut non solum bruta animalia, ut canem, bouem, &c. sed etiam res inanimatas, ut allium & cæpas, inter deos collocarit. Dicitur parẽs terrarũ (ut inquit Crinitus) nam Aegyptij omnium populorũ uetustissimi, disciplinarumq; complurium inuentores dicuntur. Fuerunt etiam huius regionis incolæ rerum diuinarum & syderum peritissimi.* Aegyptius, *a, um, ut apud Maronem lib. 8. Aegyptia coniux.*

Aegyptium mare, *Asiatici pars est, à ualle Catabathmo, Cyrenaicam prouinciam ab Aegypto separan te, usq; ad Pelusium tendit.*

Aëllo, *nomen est Harpyiæ. Ouidius:*

-Exterruit ales Aëllo. Vide Celæno.

Aemonia, *(alij tamen aspirant) regio est Græciæ, uel ab Aemo mõte, cui propinqua est, uel ab Aemõe Deucalio nis filio dicta, alio nomine Thessalia.* Aemonides *di=cuntur*


cūtur Theſſaliæ mulieres. Aemonius,*a,um,poß.* Oui.
Aemonis Aemonio Laodamia uiro.

Aemus,*alij* Hæmus,*mõs eſt Theſſaliam ab Thracia di uidẽs,in cuius radicibus ſunt amœna illa loca quæ Græcis Tempe dicuntur.* Lucan.
–Tunc linquitur Hæmus Thracius,&c.

Aemylia,*Italiæ regio,quæ & Flaminia dicitur,itẽ Romandiola,in qua eſt* Bononia,Imola,*&* Rauenna.*Fuit præterea familia Romæ eiuſdem nominis, unde Scipio Aemylianus erat oriundus.*

Aenaria,*inſula in ſinu Puteolano,à ſtatione nauium Aeneæ ſic dicta.* Hæc itẽ Inarime,et Pithecuſa,*nũc Iſchia denominatur. De hac Vergil. in diſcriptione Aetnæ:*
Dicitur inſidijs flagrans Aenaria quondam,
Nunc extincta ſupèr:tectisq́; Neapolim inter,
Et Cumas locus,&c.

Aeneàs,*Anchiſæ & Veneris filius,iuxta Simoẽntem fluuium natus.* Hunc Vergil. V*lyßi Homerico per omnia ſimilem facit,uirum fortem & bellicoſum, qui per uarios & maris & terræ errores in Latiũ uenerit, ut ille quondam in patriam. Conuenit inter omnes authores, Troiam ab eo & Agenore proditã fuiſſe: quapropter ubiq; culpam illam diluit, ut* Romanorum *gloriæ, qui ab eo traxerunt originem,conſulat. Troia diruta, patrem ſenio confectum, humeris impoſitum ab hoſtibus liberauit:& dum penates, & filium Aſcanium ſecum defert,Creuſam uxorem in itinere amiſit. Anchiſen in Sicilia,apud Drepanum mortuum reliquit.Aphricam nunquam uidiſſe,nedum* Didonẽ,*multi teſtantur.quapropter quartum librum Aeneidos totum eſſe fictum omnes affirmant.Contra Turnum autem in Italia,pro*



Lauinia Latini regis filia, ingens bellum geßit: quem tandem interfecit, ut Vergilius author est. Sed uariant hic plerũq; omnes historici. De *huius genealogia uide* Ouidium *lib. 4. Fastorum,* Dardanon Electra, &c.

Aeniochi, *populi feri, iuxta* Pontum, *à* Lacedæmonibus *oriundi. Lucan. lib. 2.*

–Me Marte feroces Aeniochi, &c.

Aeolia, *regio septem insularum inter* Italiam & Siciliam, *quæ & Vulcaniæ, item uentorum patria, eò quòd insulares uenti uarij sunt. est enim* αἰολος *uarius.* Harum *nomina sunt, Strongyle, Enonymus,* Hiera, *Lipara,* Didyme, *Ericodes, Phœnicodes.* Ex *his* Hieram *aiũt* Vulcani *officinam esse: cui fabulæ natura montis & specuum qui in eo sunt, occasionem dedit.* Vergil. 10.

Quid tempestatum regem, uentosq; furentes,
Aeolia excitos, &c. Aeolius, *a, um, adiectiuum.*

Aeolides, *dictus est Vlysses, ab auo Aeolo, qui filiũ habuit Sisyphum, ex quo natus est Vlysses.* Vergil. *lib. 6.*

–Comes additur unà,
Hotator scelerum Aeolides, &c.

Item Misenus tubicen. Idem:

Misenum Aeoliden, quo non præstantior alter
Aere ciere uiros, &c.

Aeolis, *seu* Aeolia, *regio est Græcorum in Asia, inter* Ioniam & Troadem *sita. hinc dicitur* Aeolica *lingua una Græcarum. Aeolis quõdam dicta est Mysia, ut habet Perottus.*

Aeoliũ, *mare quod Asiatico littori adiacet, ab Aeolijs pulsis olim colonis dictum, antea Mysium uocabatur.*

Aeolus, Iouis *filius et Sergestæ* Hippotæ Troiani *filiæ, à quo dicitur* Hippotades. Ouidius:

Aeolon

Aeolon Hippotaden cohibentem carcere uentos.
Plinius dicit cuiusdã Heleni fuisse filiũ. Hic regnauit in insulis Aeolijs, quas nonnulli Vulcanias à Vulcano nũcupant. Fingitur uentorum rex, eò quòd ex nebulis & fumo Vulcaniæ insulæ futurum uentorũ flatum prædicebat. Quidam tradunt duos fuisse Aeolos: alterũ Hippotæ filium, Numantis nepotem: alterum Ellanos filium, Iouis nepotem. Vide Vergilium lib. 1. Aeneid.

Aeos, Typhonis fuit filius, quem quidã scribũt Paphos ciuitatem condidisse: cùm tamen sint, qui Pygmalionis opus esse scribunt.

Aequicola, populus est Italiæ. Verg. lib. 7.

–Duris Aequicola glebis
Armati exercent terram.

Aerops, uxor fuit Atrei, quæ adulterio à Thyeste Atrei fratre corrupta duos filios peperit, quos postea Atreus fratri comedendos apposuit. Ouid.

Si non Aeropen frater sceleratus amasset,
Auersos solis non legeremus equos.

Aesacus, Priami filius ex Alyxothoë Dymãtis filia, plus syluis quàm ciuitatibus delectatus: hic cum Hesperien seu Eperien liberali forma puellam uideret, adeò eius amore captus est, ut in sylua illam sequeretur: quæ fugiens morsu serpentis est occisa: ipse autem amoris impatiens, acriq; dolore concussus, se de scopulo in mare præcipitem dedit: cuius Tethys miserta eum in mergũ transformauit. Ouid. lib. 11. Metamorph.

Quamuis est illum proles enixa Dymantis:
Aesacon umbrosa furtim peperisse sub Ida
Fertur Alyxothoë, &c.

Est etiam fluuius Troianus ad Idam montem.

Aesapus,

Aesapus, & Pedasus *fratres, Bucolionis filij, quos ei Abarbarea Nais peperit, ut inquit Homerus in Iliade.*

Aeschylus, *Tragœdiographus, qui primus personarũ grauitate, item distinctione usus est. Eius ætate Tragœdi faciem fecibus illinebant. Hic cum sensisset, se eò die ruina periturũ, ex urbe Siciliæ, ĩ qua morabatur, egressus, loco aperto consedit: tum aquila desuper uolitans, testudinẽ, quam pedibus gerebat, super caput eius, splẽdore illius decepta (erat enim crinibus uacuum) tanquã super petram, quò fractæ testudinis carne uesceretur, elisit, eoq́; ictu perẽptus est Aeschylus. Horat. in Art.*

Post hunc personæ, pallæq́; repertor honestæ
Aeschylus, &c.

Aesculapius, *Apollinis ex Coronide nympha filius: dicit enim Ouidius hãc ex Larissa fuisse, et Phlegiæ filiã: quæ postea rẽ habẽs cum Aemonio iuuene, cui Ischys nomẽ fuerat, ab Apolline sagitta confossa est: sed is postea facti pœnitens, secto eius utero cõceptũ ex se eduxit infantem, eumq́; Aesculapium appellauit. Traditus est Chironi, sub quo medicinæ studuit. Iãq́; huius artis peritus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis discerptũ uitæ restituit: qua re motus Iupiter fulmine eũ occidit. Vide Verg. 7. Aen. Sunt qui Massenũ fuisse tradũt, sed Epidauri mansisse. Tullius ait sepultũ fuisse Cynosuris Arcadiæ urbe. Colebatur primò Epidauri serpentis specie, unde Epidaurius dictus. Cæterum Romã accitus urbem ipsam graui pestilentia liberauit: in cuius honorem insigne templũ in insula Tyberis illi construxerunt. Veteres gallũ gallinaceũ ei immolabant, Cyrenenses capram. Duos habuit filios arte medica præstantes, Machaonem, & Podalyrium: filias Hygeam, Aeglen,*

glen, & Panaceam. Primus dentium euulsionem inuenisse fertur.

Aesina, *ciuitas est propinqua Troiæ, in qua Priamus Gorgythiona ex Castianira suscepit: qui postea ab Aiace Telamonio est interemptus.*

Aesis, *Vmbriæ ciuitas, à qua* Aesinates, *populi. Ptolemæus hãc etiã urbẽ Aesiã ab Aesi fluuio appellat, qui in Picena ex Apẽnino fluẽs in Adriaticũ mare effluit.*

Aeson, *Cirnei filius, frater Peliæ regis Thessaliæ, & pater Iasonis, qui ab eo uocatur* Aesonides. *Ouidius:*

Aesoniden mutasse uelim, quo coniuge felix, &c.

Aesonem uerò Medea annositate decrepitum suis beneficijs robustiori ætati restituit.

Aesopus, *nomen fabulatoris clarißimi. Item actoris fabularũ nomen, cuius Cicero meminit lib. 7. Epist. famil. Horat. lib. 2. Epistol.*

Quæ grauis Aesopus, quæ doctus Roscius egit.

Aethiopia, *regio est inter Arabiam & Aegyptum uersus Austrum, nigros homines præ nimio calore producens. ab Aethiope Vulcani filio sic dicta, ut refert Plinius lib. 2. cum antea Aetheria, & deinde Atlantia appellaretur. Hinc Aethiops, aliquis ex Aethiopia, ab* ἀίθω, *id est, ardeo, cremo, &* ὤψ, *id est, aspectus.*

Aethon, *solis equus, quorũ quatuor sunt, quatuor diurnæ circuitionis qualitates demonstrãtes. Pyrois, id est, rubeus: eò quòd primo mane surgẽtibus à terra uaporibus, sol rubeat. Eous, id est, splẽdidus: eò quòd exhalatus sol iã dissolutis uaporibus, splẽdẽs fit. Aethõ, id est, ardens: nam sole iam mediũ cœli tenẽte, lux eius coruſca est, & cunctis feruidior uidetur. Phlegon autẽ quartus, ex croceo colore in nigrum tendit, & in tempore*

terram

terram amans, ostendit aduesperascente die solem terram petere, id est, occasum. Alij *hos equos aliter nominant:* Erithreum *uidelicet,* Actheona, Lampō, *&* Phlegeum. Ouidius *lib.* 2. Metam.

Interea uolucres Pyrois, Eous, *&* Aethon,
Solis equi, quartusq; Phlegon *hinnitibus auras*
Flammiferis implent, &c.

Aethon, *alius fuit,* Pallantis *equus, ut habet* Verg. *lib.* 11.
Pōst *bellator equus positis insignibus* Aethon.
Alius fuit Hectoris *equus. Alius item* Plutonis *apud* Claudianum.

Aethra, *filia* Pithei *regis, & uxor* Aegei, *materq;* Thesei. *Alia fuit* Aethra Oceani *&* Tethyos *filia, uxor* Atlantis *filij* Iapeti, *qui ex ea* XII. *filias, & unū filium,* Hyanthem *uidelicet, suscepit: sed* Hyāthes *in* Libya *à serpente occisus est. cuius mortem cum quinq; sorores nimium deflerent, luctu cōtabuerunt: sed* Iouis *cōmiseratione inter sydera sunt trāslatæ,* Hyadesq; *à fratris nomine dictæ.* Reliquæ *septem, eò quòd plures superstites mānsissent,* Pleiades *sunt appellatæ, ut author est* Timæus Græcus *scriptor. Sed de his infrà paulò aliter.*

Aetna, *mons* Siciliæ *cauernosus, flammas euomens, propter subterraneum sulphur: circa radices amœnissimus est, multis fontibus, & fruticibus. Sub hoc monte* Iupiter *gigantes deiecit fulmine, ut fabulantur poëtæ: in ascensu mōtis oppidū est eiusdē nominis.* Hinc Aetneus.

Aetolia, Græciæ *regio, ī tertio sinu* Europæ, Epiro, Acarnaniæ, *&* Locris *finitima. sic dicta ab* Aetolo Martis *filio, cum ex* Elide *à* Salmoneo *unà cū* Epeo *&* Pisanto *eiectus ad habitandam eam uenisset.* Hinc Aetolus. Et *apud* Ouidiū, Aetolius *heros: id est,* Diomedes.

A G.

Agamemnon, Atrei & Aeropes filius, ut Homerus tradit: Plysthenis uerò, ut Hesiodus, & frater Menelai: Mycenarũ rex, & Thyestis successor. qui omniũ Græcorum consensu imperator delectus ad expeditionem Troianam profectus est, ubi plurimos labores, & maximas principum simultates pertulit. Briseidam præterea, quam Achilli sustulerat, reddere coactus est. Ilio capto inter alia Cassandra Priami filia ei in sortem cessit, quæ etiam mortem ei prædixit: sed ille uerbis eius minime fidem habens, ad uxorem Clytæmnestram, cui domi cum quibusdam liberis relictæ imperij curam tradiderat, reuersus, ab Aegisto Thyestis filio, qui omnia prius tacitè occupauerat, imò & uxorẽ stuprauerat, simulata amicitia, & Clytæmnestræ consensu, in littore, seu, ut alijs placet, in conuiuio, quod ingens ei uxor parauerat, est interfectus. Quod facinus Orestes Agamemnonis & Clytæmnestræ filius ægrè ferens, Aegistum & matrẽ in uindictam patris occidit. Cæterum habuit sceptrum à Vulcano fabricatum: itẽ clypeum, in cuius medio erat Gorgonis effigies, in zona uerò draco uoluminosus. Hinc Agamemnonius, a, um. Verg.

—Agamemnoniasq́; Mycenas.

Aganippe, prius Enippe dictus, fons est Bœotiæ, Musis sacer: unde dicuntur Aganippides. fit etiam inde adiectiuum Aganippæus. Propertius:

Par Aganippææ ludere docta lyræ.

Agathon, Priami filius, qui cũ patre Hectoris corpus redempturo, ad Achillem profectus est, ut habet Homer.

Agathocles, tyrãnus Siciliæ, humili genere natus, utpote figuli filius, qui per multa scelera inuasit tyrannidem,

dem, multaq; bella gesßit cum Carthaginiensibus, uaria fortuna. Iustin. lib. 22. De hoc Ouidius:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.

Agathyrsi, populi sunt Scythis contermini, ab Agathyrso Herculis filio sic dicti, qui in commune cum mulieribus coëunt: hi nihil liuoris aut odij mutuò exercent: capillos habēt cæruleos, quos unà cum toto corpore inficiunt. Vergilius:

Cretesq; Dryopesq; fremunt, pictiq; Agathyrsi.

Agaue, Cadmi & Hermiones filia, Echioni Thebano nupsit, ex quo filium Pentheū suscepit: qui cum abstemius esset, ac propterea Bacchi sacra despicaretur, ab ipsa matre reliquis'que Mænadibus membratim est discerptus. Verg. in Culice:

–Quò quondam uicta furore,
Venit Nictileum fugiens Cadmeis Agaue,
Infandas scelerata manus, & cæde cruenta.

Agauus, Priami filius, qui (ut habet Homerus) comitabatur patrem, Hectoris corpus ab Achille redempturum.

Agenor, Beli Prisci filius, rex Phœnicum, quamuis quidam aliter sentiant. filios habuit Polydorum, Cilicem, Phœnicem, Cadmum, & Labdacum. filias autem, Taygetam, & Europam. Ab hoc Phœnices dicti sunt Agenoridæ. Statius:

Non tulit insidias diuûm imperiosus Agenor.

Agenoreus, a, um, posseß.

Agenoria dea, à Romanis sic dicta, quæ ad agēdum excitaret.

Agetis, Apollinis filius, ut habet Iustinus, ex Cyrene uirgine à Pelio mōte Thessaliæ rapta, frater Aristæi: hūc

aliј

alij nunc Ageum, nunc Argeum uocant.

Agesilaus, Lacedæmonius, Archidami fuit filius: qui post mortẽ Agidis fratris sui rex electus Thisaphernẽ Asiæ principem, item Athenienses, & Bœotios hostes uicit. & quamuis breui corporis statura, & altero pede claudus, tamẽ maxima uirtute erat præditus. de quo Iustinus libro 6. Est etiam proprium nomen Plutonis.

Agis, rex Lacedæmoniorũ à suis ciuibus in carcere occisus, eò quòd leges Lycurgi reducere, & bona publicare uellet. Fuit & alter Agis, quem Lacedæmonij suspẽderunt.

Agisines, fluuius est Orientalis apud Censonas & Aphilos, per quem Alexander Macedo ad Oceanum tendens, deuectus est.

Aglaia, una est Gratiarum, quæ & Charites dicuntur, alio nomine Pasithea appellata. Sunt autẽ tres: Aglaia, Thalia, Euphrosyne, Iouis & Autonoës filiæ: quãuis de earum origine uaria sit opinio, ut est apud Perottum. Dicũtur esse in comitatu Veneris. Est uerò Aglaia lætitia: læti enim in dãdis beneficijs esse debemus. Thalia, id est, uirẽs: quòd beneficium semper uirere debeat. Euphrosyne, id est, delectatio: quòd nos ijs, qui in nos liberales fuerunt, gratos esse oporteat. Vna earum auersa pingitur, duæ ad nos conuersæ: quòd pro beneficijs à nobis profectis duplex gratia rependi debeat. Nudæ sunt, beneficia enim sine fuco esse oportet. Connexæ, quòd beneficium semper beneficium pariat, sit'que perpetuum amicitiæ fœdus. Hilares, tales enim debemus esse in dandis accipiendis'que beneficijs. Iuuenes, beneficij enim accepti gratia senescere non debet, sed perpetuò florere. Virgines sunt, & in Acidalio fonte, qui

est Orchomeni Bœotiæ urbe, lauãtur, quòd uel benefi-cia pura esse, nullamq́; retributionis spem habere, uel nihil turpe rogare oporteat. Cæterùm à quibusdam Li beri & Veneris filiæ dicuntur: nec immeritò: horum enim muneribus præcipuè gratiæ conciliantur.

Aglaonice, *Hegemonis fuit filia, perita Astrologiæ: & eclypses Lunæ quando futuræ essent, præuidens, iactauit se illam cœlo deducere: quæ ob id postea in magnas calamitates incidit, adeò ut in prouerbium abierit (referente Apollod. lib. 4.)* τὴν σελήνην καταςπᾷ.

Aglaophene, *Acheloi & Calliopes Musæ filia, una Syrenum, de quibus infrà.*

Aglauros, *filia Erichthei, regis Athenarum, à Mercurio in saxum mutata. Ouidius lib. 2. Metam.*

Sic opus est, Aglauros ea est, &c.

Agon, *locus est certaminis Romæ, qui circus Flaminius dicebatur. Ponitur pro ipso certamine. Est quoq; nomẽ proprium apud Plutarchum. Item Aethiopiæ fluuius.*

Agonales ludi, *sunt, teste Seruio, quos Augustus in Actiacis littoribus, deuicto Antonio, statuit: ad quod respexit Vergilius lib. 3. Aeneid.*

Actiaq́; Iliacis celebramus littora ludis.

Agonius *deus, dicebatur præsidẽs rebus agendis, eiusq́; festa Agonalia: quamuis aliqui eius sacrificia Agonia dicta uelint, quòd in monte fiebant, quos Agones uocitabant. Ouidius:*

Et prius antiquus dicebat Agonia sermo.

Et Agonius dies, quo rex Agoniam hostiam immolabat: unde Romæ Agonus mons Quirinalis, & Collina porta Agonensis appellata.

Agragas, *seu* Acragas, *mons est Siciliæ, haud longè à*

Gela, muro olim cinctus, habens in summitate oppidũ eiusdem nominis, alio nomine Agrigentum: unde Empedocles philosophus, & Phalaris tyrannorum sæuißimus originem duxerunt. Veteres apud eum optimos equos alere, & exinde in Græciam ad agones trãsmittere consueuerunt. Verg. lib. 3. Aeneid.

Arduus inde Agragas ostendit maxima longe.

Agrippa Syluius, Tyberini Syluij filius, submerso patre in regno succeßit: & cum annos quadraginta regnaßet, moriens Romulum Syluium reliquit hæredẽ.

Agrippa, alius, fuit inter proceres Augusti, & eiusdem gener, nauali uictoria contra Sextum Pompeium insignis. Vergil. lib. 8.

Parte alia uentis, & dijs Agrippa secundis
Arduus, &c.

Agrippina, filia fuit Agrippæ prædicti. Alia fuit cõiux Caligulæ, et Neronis mater: quæ et Claudio Cæsari nupsit, ut filio imperiũ ad suam & totius urbis perniciẽ obtineret. Ab hac dicta est insignis illa inferioris Germaniæ urbs Agrippina, quam uulgò Coloniam uocãt.

Agrius, Parthaonis filius, & Thersitis pater fuit. Et alius Agrius, quem, & fratrem eius Latinum, Hesiodus Vlyßis & Circes filium facit.

Agrosus, mons est, ubi nunc Roma, quẽ Faunus rex Euandro ex Arcadia pulso, conceßit, quem ipse postmodum Pallatinum appellauit.

Agyleus, seu, ut habet Macrobius Agyieus, dictus est Apollo ab Athenienſibus, quòd ei in uijs publicis suæ urbis ex responso statutis altaribus sacrificarent. ἀγυιὰς enim illi uias dicũt, quæ sunt intra pomœria. Horatius libro 5. Carm. Ode 6.

Dauniæ defende decus Camœnæ,
Leuis Agyleu.

Agylla, seu Agilla, urbs Thusciæ, à Pelasgis è Thessalia profectis condita: à Lydis, quos Tyrrhenos uocauere, Cære appellata. Vergilius libro octauo:

Haud procul hinc saxo incolitur fundata uetusto
Vrbis Agyllinæ sedes, ubi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis insedit Hetruscis.

Vide infrà, Cære.

A I.

Aiax, Telamonis filius, fortißimus post Achillem in toto Græcorum exercitu: qui post multas res præclarißimè gestas, etiã cum Hectore congressus est, & nisi nox interueniens duellum diremisset, uictor Aiax redisset ad suos. Hector autem discedens, gladio Aiacem donauit, & ab eodem baltheum suscepit, dona utriq; exitialia: Achille enim occiso, cũ illius arma ut legitimus hæres peteret, & Vlysses sua eloquentia, à iudicibus illa accepisset, Aiax præ nimia ira insaniens, muta pecora, & in primis arietem corpore præstantem occidit, credens se Atridas & Vlyssem interemisse: uerùm ad mentis sanitatem rediens, cùm se falsum comperisset, acri dolore compulsus, gladio, quem Hector donauerat, in loco deserto, se transfodit. cuius cruor in Hyacinthũ florem, uel, ut alijs placet, in florem sui nominis est permutatus. Græci fabulantur totum fuisse inuulnerabilem præterquàm in ceruice. Dictus ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, id est, à lugendo, ut habet Sophocl. in Aiace flagellifero.

Aiax, Oilei filius, Locrensium rex, uelox pedibus, & peritus hastæ uibrandæ: qui capta Troia Cassandrã uirginem in Palladis templo uiolauit: quapropter dea irata, tempe

ta, tempestatem Græcis redeuntibus circa Caphareum montem immisit, qua multi perierunt, inter quos etiã ipse Aiax fulmine est occisus, scopuloq; affixus. Alij disiecti multis annis pòst in patriam rediere. Vide Vergilium libro 1. Aeneid.

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

A L.

Alanus, Scythiæ fluuius: à quo Alani populi prope Istrum, antea Massagetæ dicti, admodũ pugnaces, & laboris patientißimi: carne uescuntur, panem autem non habent. Lucanus:

Et sequeres duros æterni Martis Alanos.

Horum regio Alania dicitur.

Alastor, Plutonis equus.

Alba longa, ciuitas fuit in Latio, ab Ascanio Aeneæ filio condita, quam Tullus Hostilius rex Romanorum euertit. Alba autem dicta ab alba sue ibidem ab Aenea inuenta. longa autem, à longo tractu. hinc Albanus. Vergilius libro 8.

-At tu dictis Albane maneres.

Alba, ciuitas Longobardiæ ad lacum Fucinum, à qua Albenses.

Alba Syluius, Latini Syluij fuit filius, & patri succeßit in regno: qui cum annis 39. regnasset, filio suo Aty, moriens imperium reliquit.

Albania, est regio Orientalis inter Colchum & Armeniam. Altera nunc uocatur Albania, inter Illyriam, & Macedoniam, in qua est urbs Dyrrhachium.

Albion, & Bergiõ, filij fuere Neptuni ab Hercule interfecti. Hercules enim cum Rhodani ostia trãsiret, ei obuiam facti hi duo fratres, transitum eius impediuerunt:

quapropter Hercules *cum eis pugnauit, & cùm sibi te la deficerent,* Iouem *patrem in auxilium uocauit, qui lapidum imbrem demittens, inimicos eius interfecit.*

Albis, *Germaniæ fluuius est, oriens in montibus qui Bohemiam & Morauiam à Sueuia diuidunt, ex Bohemia per angustas montium fauces in Saxoniam penetrat, & hinc in Oceanum uoluitur. Lucanus:*

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, & indomitum Rheni caput, &c.

Albula, *fluuius est Italiæ, ex Apennino Romam fluẽs: ab albo colore sic dictus. Nunc autem Tyberis, uel à Tyberino Syluio, Albanorum rege in eodẽ submerso: uel à Tybri Thuscorũ rege, iuxta eum bello occiso. unde Vergilius:*

—Asperq; immani corpore Tybris:
A quo pòst Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus: amisit uerum uetus Albula nomen.

Vide infrà, Tybris.

Albunea, *nemus est iuxta Anienem, cum fonte eiusdem nominis: alio nomine Leucothea, ab aquæ qualitate. Vergil. lib. 7. —Lucosq; sub alta*
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, &c.

Alcæus, *poëta Lyricus, Mitylenæus, quem adeo amarum fuisse scribũt, ut autoritate sui carminis multos ex ciuitate eiecerit. Ouid. in Sapph.*

Nec plus Alcæus consors patriæq; lyræq;,
Laudis habet, quamuis grandius ille sonet.

Fuit item alius Herculis auus, à quo (ut quidam uolũt) Alcides dictus est. Vide infrà.

Alcathous, *Pelopis filius, qui cædis Chrysippi fratris suspectus,*

ſuſpectus, Megaram uenit. Occiſoq́; leone, qui Cithæronius à loco dicebatur, aſcitus Megareo gener, in regno ſucceßit: & ab hoc Alcathoi urbem Megaram uocauit Ouidius.

Alcathous, *alius, fuit Troianus, qui Hippodamiam Anchiſæ filiam in uxorem habuit, & in pugna apud Troiam ab Idomeneo Cretenſi occiſus eſt.*

Alceſtis, *uel* Alceſta, *mulier Theſſala, & Admeti regis uxor. Vide dictionem* Admetus.

Alcibiades, *uir Athenienſis, forma, nobilitate, eloquentia, rebus bellicis excellens: ſed rurſus alijs uitijs ita inuolutus, ut ſi æqua lance perpendas, utrum uirtute an malicia fuerit inſignior, planè ignores. Huius uitam Plutarchus quoque deſcripſit.*

Alcides, *dicitur Hercules, à bellica uirtute, quæ Græcis* ἀλκὴ *dicitur. Alij tamen ab Alceo ſic dictum putant.*

Alcinous, *rex Phæacũ, in Corcyra inſula, Nauſithoi regis filius, qui Areten Rexinoris filiam in uxorẽ duxit. Ad hunc cùm Vlyſſes naufragus ueniſſet, ab eodem honorificè ſuſceptus eſt, eiq́; coniugium Nauſicaæ filiæ oblatum: demum alia naui, muneribus, ſocijsq́; datis dimiſſus eſt. Fuit præterea diligens hortorum cuſtos, ut refert Vergilius lib. 2. Georgicorum. Ouidius:*

Præbet & Alcinoi poma benignus ager.

Alcman, *ſeu, ut alij,* Alcyna, *è Lydia, Sardenſis poëta Lyricus, Damantis filius, primus qui pediculari morbo perijt.*

Alcmæon, *Amphiarai, & Eriphyles filius, qui matrem interfecit, quòd illa maritũ Amphiaraum (qui in bello Thebano abſorptus eſt hiatu terræ) Polynici prodidiſſet, corrupta monili aureo. hic poſtea furijs agitatus, ad*

Phlegeum uenit, à quo lustratus est: cuius quoq; filiam Alphesibœam, donato matris aureo monili, in uxorem duxit. Postea autẽ cum uenisset ad Acheloum fluuium, ei'que Callirrhoë Acheloi filia placuisset, idem monile quod superiori coniugi dederat, huic etiam nuptiarum spe pollicitus est: quod cùm repetẽdum proficisceretur, à fratribus Alphesibœæ, Themone & Axione, est occisus: qui tamen & ipsi ab eodem mutuis uulneribus petiti, perierunt. Vel, ut Ouidius nono Metamorph. sentire uidetur, à filijs Callirrhoës, quos Iupiter natos, statim deos fecerat, in patris ultionem sunt occisi. Ab eo fit adiectiuum Alcmæonius, *a, um. Propert. lib. 3.*

Aut Alcmæoniæ furiæ, aut ieiunia Phinei.

Alcmena, *Electrionis & Lysidices filia, Amphitryonis uxor: cui hac lege nupsit, ut mortem fratris sui, à Thelebois occisi, ulcisceretur: in qua expeditione cùm Amphitryon uersaretur, Iupiter in Alcmenam ardẽs, forma militantis uiri sumpta, ante lucẽ, quasi ab expeditione rediens, ad eam accessit: illa autem maritum suum esse credens, cum eo cõcubuit, ac quantumuis antea ab Amphitryone prægnans esset, concepit: & sic ex uno tempore geminos peperit, Iphiclum ex Amphitryone, Herculem uerò ex Ioue. Ouidius: —Leuata est*

Argolis Alcmene, potiturq; puerpera uoto.

Alcon, *Cretensis fuit sagittarius, Erichthei Atheniensium regis filius, qui ex Attica in Eubœam fugit. Huius puerum cùm draco complexus esset, arrepto arcu adeo sua arte sagittæ ictum temperauit, ut in dracone transfixo consisteret, nec ad puerum perueniret. Vergilius in Bucol.*

Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Alcynoë,

Alcynoë, *una ex Pleiadibus, ex Atlante & Pleione nata: placuitq; Neptuno, ex quo peperisse uolūt Alcyonē cōiugēCæycis regis Trachinnæ.* Vide *infrà,* Pleiades.

Alcyone, *Neptuni filia: cuius maritus Cæyx, cū ad oraculum nauigans, naufragium fecisset, illa doloris impatiens, se submersit, & deorum commiseratione in auem sui nominis, mutata est.* Ouidius *lib.* 11. Metamorph.

Ingemit Alcyone, lacrymas mouet, atq; lacertos
Per somnum, &c.

Vide *infrà,* Cæyx. *Alia fuit Eueni fluminis filia.*

Alcyoneus, *Purpurei, alio nomine, Porphyrionis frater, ab Hercule telis est confossus: cuius filiæ, quas septē numerant, ob patris mortem in mare præcipitantes se, ab Amphitrite in alcyones, ut quorundam opinio est, sunt mutatæ.* Harū *nomina sunt,* Phosonia, Authe, Methone, Alcippe, Pallene, & Drimon.

Alecto, *una est furiarum, Acherontis & Noctis filia: sorores habet, Megæram & Tisiphonen. dicta* ἀπὸ τοῦ λη γῆγ, *& priuatiua particula* α. Verg. *lib.* 7.

Luctificam Alecto dirarum à sede sororum.

Aleius campus, *locus est Liciæ, in quem cecidit* Bellerophōtes, *cum à Pegaso ab œstro agitato excuteretur: sic dictus, quòd in eo cæcus errasset Bellerophontes, donec periret.*

Alesa, *ciuitas est Siciliæ, ut Ptolemæus & Strabo habēt. hinc* Alesinus, *a, um.* Cic. *in Epist. famil.* In *Alesina urbe, &c.*

Alemanni, *Germaniæ populi, habitantes iuxta Lemannum lacum: sic dicti à Māno Teutonis filio. Sidonius:*

–Rhenumq; ferox Alemanne bibebas.

Alexander, *cognomine Magnus,* Philippi *Macedonum*

regis filius, cui in imperio successit: huius uita & res gestæ quia undiq; ab historicis, præcipuè à Iustino decantantur, superuacaneum erit multa hic recensere. Fuerunt & alij multi huius nominis, ut Alexander *Pheræus, de quo Cicero multa lib. 2. Officiorum.*

Alexandria, *urbs, Aegypti caput, ab Alexādro Magno condita, prope ostium Nili, quod Canopicum dicitur. Aliam eodem nomine struxit in Asia. Aliam itē in Scythia super Tanaim. Est &* Alexandria, *urbs Liguriæ uel Lombardiæ, ab Alexandro Pontifice maximo condita.*

Algidus, *mons est haud longe ab urbe Roma, in quo est Algidum oppidum, hodie sylua latrocinijs incolarum accommoda. Horatius:*

Quicunque aut gelido prominet Algido.

Allia, *fluuius est, nō procul ab urbe Roma distans, in uia Tyburtina, è montibus Crustuminijs in Tyberim defluens: iuxta quem Brennus dux Senonum multa Romanorum millia profligauit. Lucanus:*

Et damnata diu Romanis Alia fastis.

Hinc Alliensis *dies, id est, infaustus.*

Allobroges, *Galliæ populus iuxta Rhodanum, nunc Sabaudienses dicti, & Pedemontani. Horatius:*

Nouisq́; rebus infidelis Allobrox.

Almo, *fluuius est Romæ uicinus, apud quem Romani olim sacra Cybeles faciebant, eodem ritu quo Galli sacerdotes in Phrygia, simulacrum deæ cultusq́; uictimarios ibidem facientes. Lucan.*

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellen.

Almops, *Neptuni & Athamantidos Helles filius, à quo Macedoniæ pars* Almopia: *unus fuit gigantum, qui*

contra

contra Iouem bella mouerunt.

Almos, Sisyphi filius, ut inquit Apollod. frater Porphyrionis. ex cuius filia Chrysogone et Neptuno, natus est Minias rex Orchomeni. Idem tamē Miniæ matrē Hermippen Bœoti filiam appellat.

Alous, uel Aloeus, Titanis & Terræ filius: cui coniux fuit Iphimedia: quam cum uiolasset Neptunus, duos ex eo peperit filios, Othum & Ephialtē, qui & Aloidę dicuntur: quos Alous educauit ut suos: & cum nouem digitis singulis mensibus crescerent, gigantibus aduersus superos bellum parantibus, nec ob seniū Alous ad illud accedere poßet, misit geminos adiutores: sed Apollinis & Dianæ telis confixi perierunt. Duxit præterea secundam uxorem Euribœam. Lucanus:

Impius hanc prolem superis immisit Alous.

Alpes, montes sunt altißimi, Cisalpinā Galliam à Trāsalpina dirimentes, quos Annibal aceto peruios fecit, quo expeditius iter facere per illos liceret. Non primus omnium traiecit, ut quidam uolūt. Galli enim ante aduentum eius quinquies hos montes traiecerūt. Lucan.

Gallica per medios rabies effunditur Alpes.

Hinc fit adiecti. Alpinus, a, um. Verg. Eclog. 10.

Alpinas, ah dura, niues, &c.

Alphesibœa, Phlegei fluminis filia, quam Alcmæon donato illo monili, quod Eriphylæ matri detraxerat, in uxorem duxit, ut suprà dictum est de Alcmæone.

Alpheus, fluuius est Elidis ciuitatis Arcadiæ: in Peloponeso oritur, & iuxta Pisam decurrens, longo cursu demergitur in Achaia, ibiq; terra absorptus, & subter mare defluens ex Græcia ad Arethusam Siciliæ fontem tendit, ubi eiusdem undis commixtus, in mare Siculum effluit

effluit. Hinc fabulantur poëtæ Arethusam fuisse nympham, cuius amore Alpheus captus per subterraneos cuniculos ad eam commigrauerit. De quibus latius *infrà in dictione* Arethusa. *Dictus autem ab* ἄλφος, *quòd uitiliginem curet. Vide Verg. lib. 5. Aeneid.*

Alpheias, *dicitur Arethusa apud Ouidium lib. 5. Metamorph. quasi Alphei filia:*

Tum caput Eleis Alpheias extulit undis.

Alpinus, *malus quidam poëta fuit, qui Memnonis Auroræ filij bella descripsit, sed tam malè, ut ab Horatio dicatur, Memnona suis carminibus iugulare.*

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, &c.

Althæa, *Thestij filia, et Oenei Calidoniæ regis uxor, cui inter alios filios Meleagrũ peperit: quo nato, audiuit fata circum ignem dicentia: tam diu natum uicturum, quàm diu stipes, qui tunc ardebat, ab igne inconsumptus maneret: quod Althæa audiens, cõfestim stipitem ab igne subtraxit, & seruauit. Postea autem cum reliquos fratres à Meleagro in seditione quadam occisos percepisset, irata, fatalem stipitem inter sacrificandum combussit: quo consumpto, Meleager occubuit. Quod cum mater resciuisset, gladio se traiecit, atq; ita uitam miserrimè finiuit.*

Aluerni, *populi in Aquitania, qui cum se à Troianis oriundos esse dicerent, audebant se appellare fratres Romanorum, qui etiam à Troianis originem ducunt.*

Alysius, *Bacchi cognomen, à* λύω, *id est, soluo.*

Alyxothoë, *Dymantis filia, quæ ex Priamo peperit Asacum, ut suprà dictum est.*

A M.

Amalthea, *nutrix fuit Iouis infantis. nam Melissus rex Cretæ,*

Cretæ, duas filias habuit, Amaltheam, & Melissam, quæ Iouem lacte caprino, & melle nutrierunt. Alij dicunt, illam capram dictam fuisse Amaltheã, & Melißi filias Adrasteam & Idam faciũt. Est etiam Sibyllæ cuiusdam nomen apud Tibullum:

Quicqd Amalthea, et quicquid Marpesia dixit, etc.

Amanus, mõs est, Ciliciam à Syris separans. Luca. lib. 3.

–Venêre feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani.

Vide Strabonem lib. 11.

Amaracus, filius fuit Cynaræ, regis Cypri, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, fregit alabastrum. Deinde cùm nimio dolore contabuisset, in herbam odoriferam eiusdem nominis, deorum commiseratione commutatus est. Dicitur alio nomine Persa, item Sampsuchus: uulgo Maioranam uocant. Verg. lib. 1. Aeneid.

–Vbi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aspirans complectitur umbra.

Amasenus, Volscorum fluuius est in Latio, ultra quem (ut habet Vergilius libro undecimo Aeneid.) Metabus rex Volscorum suos fugiens, filiam suam Camillam telo alligatam proiecit. Est etiam Siciliæ fluuius. Ouid.

Nec non Sicanias uoluens Amasenus arenas.

Amãsis, rex fuit Aegypti, cuius tumulus fuit una pyramidum. Lucanus:

Non mihi pyramidum tumulis euulsus Amãsis.

Amata, Latini regis uxor, & mater Lauiniæ: quæ ne uideret Aeneam generum, laqueo gulam fregit, priusquã etiam urbs ab hoste esset expugnata. Verg. lib. 12.

Amathus, untis, insula in mari Aegeo, Veneri sacra. Est etiam oppidum Cypri insulæ, Vergilius:

Est

Est Amathus, est celsa mihi Paphos atq; Cythera.
Amathuntius, & Amathusiacus, *a, um, possessiua apud Ouidium.*

Amazones, *Scythicæ fuerunt mulieres, prope Tanaim & Thermodoontem fluuios habitantes, sine uiris: ne tamen genus periret, finitimis congrediebantur: si qui mares nascebantur, statim interficiebant: puellis autem dexteriores inurebant mammas, quò expeditius dextro brachio in certamine uterentur, unde etiam nomẽ habent, ab α, & μαζός, οῦ, id est, mamma. Harum reginæ fuerunt Marthesia, & Lampedo, quæ maiorem Europæ partem subegerunt. Marthesiæ filia sua Orithyia successit, quæ sororem Antiopẽ habuit. post Orithyiã Penthesilea regno potita est: quæ ad bellum Troianum profecta Phrygibus in auxilium, ab Achille post multas res præclarißimè gestas, occisa est. Hæc securim bellicam, & peltam prima omnium inuenisse dicitur. Claruit quoq; inter Amazones Menalippe, item Hippolyte, quæ ab Hercule capta est, & postea à Theseo in uxorem ducta. Vide infrà. Verg.*

Threiciam sexto spoliauit Amazona baltheo.

Aliæ fuerunt huiusmodi mulieres in Aphrica, & ob id Libyæ dictæ sunt. De qbus Dionys. lib. 4. Amazonicus, & Amazonius, *a, um, possessiua.*

Amazonius mons, *est in maiori Asia, præter cuius radices Thermodoon amnis labitur. sic dictus ab Amazonibus, quæ penes hunc montem habitarunt.*

Amazonium mare, *uolunt quidam eam Euxini maris partem, quæ olim ab Amazonibus est occupata.*

Ambracia, *Epiri urbs est iuxta Aceronem nauigabilem fluuium, olim Pyrrhi regia: ab Ambrace rege sic dicta:*

post

pòst ab Augusto, cùm uicisset Antonium, dicta Nico=polis.*Hinc* Sinus Ambracius, *pars Adriatici maris* E*piro adiacens.item,*Ambraciensis,*&* Ambracio tes,*siue* Ambraciota.

Ambrones,*gentes quædam* G*allicæ,quæ cum subita a=quarum inũdatione sedes suas amisissent,rapinis se ale re cœperũt. has cum* C*ymbris* T*eutonicis'que* M*arius deleuit.Hinc turpis uitæ homines,*A*mbrones dicuntur.*

Ameria, *oppidum* V*mbriæ, ab* A*merio sic appellata. hinc* Amerinus,*a,um.*V*ergilius:*

Atq; Amerina parant lentæ retinacula uiti.

Amimone,D*anai filia,una ex quinquaginta sororibus: hæc cùm studiosè in sylua uenaretur,* S*atyrum impru=dens percußit:qui impetu in eam facto,cum illi uim in=ferre uellet,* A*mimone* N*eptuni auxilium implorauit.* N*eptunus autem fugato* S*atyro,cum ea concubuit,& inde* N*auplium suscepit.*

Amimoneus fons,*est apud* A*rgos,ab* A*mimone* D*anai* A*rgiuorum regis filia sic denominatus. quam quidam dicunt tædio uitæ affectam,in fontem sui nominis fuisse conuersam.* Et Amimon G*ræciæ fluuius,ab eadem sic dictus.*

Aminea,*regio iuxta* F*alernum,ferax optimi uini.*V*ergi lius lib.2.*G*eorgicorum:*

Sunt etiam Amineæ uites,firmißima uina,&c.

Amiternum,C*ampaniæ oppidum est.*V*ergilius:*

Vnà ingens Amiterna cohors,&c.

Ammodites,*serpens est, arenæ similis colore,à qua no men habet.* L*ucanus:*

Concolor exustis atq; indiscretus arenis
Ammodites,&c.

Ammon

Ammon, *alij* Hammon, *dicitur* I*upiter in ſpecie arietis, ſicut colebatur in* Libya. *Nam Bacchus deuicta* A*ſia, cùm ad* Libyam *cum exercitu ueniſſet, ſiti laborãs* I*ouem patrem rogauit, ut ſibi & exercitui ſubueniret: quo facto ſtatim aries apparuit, qui cũ terrã pede percuſsiſſet, continuò fons exiluit.* Bacchus *uerò arietem illum* I*ouem fuiſſe ratus, templum ibi conſtruxit, in quo* I*ouis ſimulachrum in arietis forma erexit.* Dictus Am*mon, quòd templum eius ſitum ſit in loco arenoſo.* Lu*canus libro* 9.

Quamuis Aethiopum populis, Arabumq; beatis Gentibus, ac Indis unus ſit Iuppiter Ammon.

Ampeluſia, *Oceani occidui extremum promontorium eſt, in* Mauritania, *ultra Herculis columnas, ubi quondam* Luſa & Cotta *fuere oppida: poſtea* Tingi: *à quo* Tingitana Mauritania *dicta.*

Amphiaraus, *Oiclei filius, à quo Oiclides dictus, & maritus* Eriphyles: *Græcus uates, quem* Adraſtus *rex ſecum ad bellum* Thebanum *ducere uoluit: ſed ipſe præſciens ſe illinc nõ rediturum, latuit: & cùm diu inueniri non poſſet, tandem ab* Eriphyle *uxore ſua, aureo monili ab* Adraſto *rege corrupta, proditus eſt, atq; ita proficiſci coactus: primoq; die, quo ad* Thebas *uenit, hiatu terræ abſorptus eſt.* Filios *præterea habuit* Tiburtum, Coracem, & Catillum. *Ouidius:*

Notus humo merſis Amphiaraus equis.

Amphictyon, *Deucalionis filius, qui poſt* Cranaum Atticæ *imperauit. huius inuentum ferunt ſomniorum & portentorum interpretationem.*

Amphidamas, *Buſiridis fuit filius, quem* Hercules *unà cum patre hoſpites immolante, interfecit.*

Amphilo

Amphilochus, *filius Amphiarai & Eriphyles, rex & augur apud Græcos. Mirandula in hymnis:*

Amphilochi aut monitus adijt male sana nefastos.

Alius fuit Philosophus Atheniensis, qui de agricultura scripsit.

Amphion, *Iouis, uel secundum alios, Epaphri, & Antiopes filius, Zethum habuit fratrem ex ijsdem parentibus: hos dicunt expositos esse à matre ob stuprum à Lyco Thebanorum rege pulsa, sed à pastoribus nutritos, & iam adultos Lycum unà cum uxore Dirce, quam repudiata priore duxerat, interfecisse, & deinde Cadmo pulso apud Thebas regnasse. Fertur præterea Amphion tam exactam Musices habuisse cognitionem, ut impetrata à Mercurio lyra (cuius inuentorem tamen hunc Amphionem quidam tradunt) adeò suauiter cecinit, ut durissima etiam saxa ad struendos Thebarum muros suo cantu traxerit. Hoc autem ideo fictum esse affirmant, quòd homo facundissimus homines id ætatis rudes & belluino more uiuentes, ad humaniorem uitæ cultum redegerit. Horatius:*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere sono testudinis & prece blanda.

Amphionius, *a, um, adiectiuum.*

Amphion, *alius, fuit Iasij filius, in Orchomeno Minyæo & Pilo: uocatus est aliàs Argus: cui unica fuit filia, Chloris nomine.*

Amphisa, *urbs in Phocide, ut docet Plinius, ab Amphisa Apollinis & Macraris filia sic denominata. Luca. lib. 3.*

Phocaias Amphisa manus scopulosaq; Cyrrha.

Amphisbena, *serpens est, geminum caput habens, hoc est, ad caput & caudam, capite intrisecus nitibundo, ser*

pit tractibus orbiculatis: à circumdescendendo sic dicta.Lucanus:

Et grauis in geminum surgens caput Amphisbena.

Amphitus, *& Telechius, Castoris & Pollucis aurigæ fuerunt: à quibus Eniochorum genus ortum habuisse constat.*

Amphitrite,*Nerei filia, & Neptuni uxor:cuius nuptias cum à principio fugeret, uirginitatem seruare cupiens, misit ad eam Neptunus Delphinum: qui per uaria loca quæsitam,tandem ad radices Atlantis inuenit,& ut Neptuno iungeretur,eidem persuasit. Hinc à poëtis maris Dea fingitur, ex qua natus est Triton, ut canit Hesiodus.Capitur quandoq; pro ipso mari.Ouidius:*

–Nec brachia longo

Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Amphitryon,*Thebanus princeps,maritus Alcmenæ,matris* Herculis, *qui ab eo dicitur* Amphitryonides, *& per Epenthesim,*Amphitryoniades:*de quo latius in* Alcmena. Amphitryonius,*a,um,possess.*

Amphrysus, *Thessaliæ fluuius,iuxta quem Apollo Admeti regis armenta pauisse fertur.Lucanus:*

–Et flumine puro

Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi.

Et Amphrysia uates,*pro Sibylla,apud Vergilium libro sexto. Alius est in Phrygia eiusdem nominis, reddens mulieres steriles.Vide Plinium lib.31.cap.2.*

Ampycus,*Titanoros filius,qui ex Chloride,ut ait Apollonij Commentarius,Mopsum augurem suscepit, à quo* Ampycides *appellatur.Ouid.lib.12.Metamorph.*

Nec tu credideris tantum cecinisse futura

Ampyciden Mopsum,&c.

Amulius, *minor natu fuit ex filijs Procæ, q ita regnũ ijs, Numitore uidelicet & Amulio, reliquerat, ut alternis regnarent: cùm autem ad Amulium peruenisset regnum, transacto anno fratri cedere noluit, sed Numitore expulso, eius quoque filium Lausum interfecit, filiam'que Rheam Vestæ uirginem dedicauit, ne mascula proles ex ea nasceretur, quæ hanc iniuriã ulcisceretur. Sed Rhea à Marte compressa geminos peperit, Romulum & Remum, quos Amulius in Tyberim proijci, & matrẽ uiuam infodi præcepit: sed ministri, misericordia moti in ripam posuerunt: qui postea à Faustulo pastore inuenti, sunt nutriti, & iam adultiores, cognita causa, Amulium interfecerunt, auoq; Numitori regnum restituerũt.*

Amxyrus, *quasi absq; rasura, cognomen fuit Iouis: nam Iupiter imberbis colebatur à Campanis, ab α, & ξυρέω.*

Amycus, *penultima correpta, unus è Centauris fuit, Ixionis & Nubis filius. Ouid. lib. 12.*

Primus Ophionides Amycus, penetralia donis
Haud timuit spoliare suis, &c.

Alius fuit Aeneæ comes. Vergil. lib. 9. —Inde ferarum Vastatorem Amycum, &c.

Amycis, *siue* Amycus, *Neptuni & Melies nymphæ filius, Bebritiorum rex, qui eam consuetudinẽ habuit, ut aduenas in Bebritium nemus sub euocationis prætextu ad cæstuum certamen perductos, ibidem interficeret. Quò Pollux etiam perueniens, ab eodem rege ad idem præliũ fuit euocatus: sed Pollux in certamine insidias sentiens, cõuocatis socijs Amycũ interfecit. Verg. —Qui se Bebritia ueniens Amyci de gente ferebat, &c.*

Amyclæ, *Laconiæ fuit ciuitas, Tyndari regio, in qua Castor & Pollux educati sunt. Vnde Vergilius:*

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, &c. *Aliæ fuerunt in Italia inter Caietam & Tarracinam, à Laconibus Castoris & Pollucis comitibus cõditæ, & ab Amyclis Laconiæ sic appellatæ: cuius ciues cùm secundum Pythagoræam sectam, ab esu carnium & omnium animalium cæde abstinerent, & serpentes ex uicinis paludibus natas occidere nefas putarent, ab iisdem sunt interempti. Sed cùm frequenter hostium aduentus falsò nunciaretur, legibus cautum est, ne quis porrò hanc famam spargeret. Vnde postea ex improuiso captæ sunt Amyclæ. Hinc Vergilius:*
–Tacitis regnauit Amyclis.

Amydon, *penultima correpta, Pæoniæ ciuitas, de qua auxilia missa sunt Troianis.* Iuuenalis:
–Et hic Amydone relicta.

Amyntas, *Macedonum rex, qui cùm duas haberet uxores, ex priore tres suscepit filios, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum, Alexandri Magni patrem: ex posteriore autem Archelaum, Archidæum, & Menelaum. Sed Philippus amoris erga fratres oblitus, eos trucidauit, atq; ita patri in regno successit.*

Amythaon, *Crethei filius, ex Tyro susceptus, homo bellicosissimus. habitus etiam fuit inter nobiliores medicos præstantissimus. Hic postea ex Dorippe coniuge Melampum genuit. Hinc* Amythaonius, *a, um.*

A N.

Ana, *Hispaniæ fluuius, qui Bethicam à Lusitania diuidit: oritur in agro Amitano Hispaniæ citerioris, & modò in stagna se fundit, modò in angustias resorbet, & in totum se condit, sæpiusq; nasci gaudet: demum in Atlanticum mare effunditur.*

Anacreon, *poëta fuit Lyricus, ex Teo Ioniæ urbe, cui Philocrates Samiorum rex plurimum detulit: amauit autem Batillum egregia forma puerulum: item Megisthcum. Scripsit poëma penitus amatorium, lasciuiæq; plenum. Tandem acino passæ uuæ strangulatus periijt. Hinc Teius. Ouidius:*

Quid nisi cum multo Venerem confundere uino,
Præcepit lyrici Teia Musa senis?

Anager, *seu* Anagrus, *seu* Aniger, *seu* Antiger, *Thessaliæ fluuius, in quo Centauri ab Hercule sauciati, uulnera sua lauerunt, quamobrem cùm primò dulces habuisset aquas, postea in fœtidas sunt conuersæ.*

Anagnia, *ciuitas Hernicorum in Latio, ubi Antonius sorore Augusti contempta, & Cleopatra in uxorem ducta, monetam fieri iußit. Verg. lib. 7.*

—Quos diues Anagnia pascit, &c.

Anapis, *Siciliæ fluuius, Cyanen Nympham amasse fertur: quæ cùm Plutonem inhibere uellet, ne Proserpinam raperet, ab ipso contempta in sui nominis fontem, uel secundum alios, in stagnum mutata est, & Anapi iuncta, in mare sese exonerat. Ouid. lib. 5. Metamorph.*

Præterit & Cyanen, & fontes lenis Anapis.

Anas, *fluuius est Hispaniæ, Lusitaniã à Bethica separãs, oritur in Lamitano agro citerioris Hispaniæ, nunc per angustias, nunc per stagna fluens, in Atlanticum mare cadit.*

Anaurus, *lenis fluuius in Thessalia, oriens in Pelio monte: sic dictus quòd ex se neque auram neque nebulam mittat. Lucan. lib. 6.*

Quiq; nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues uentos suspirat Anauros.

Anaxagoras, *Clazomenius fuit philosophus, reru physicarum doctißimus, generis gloria & diuitijs clarus, quæ omnia, imò & patriam, ut liberius philosophiæ operam daret, reliquit. Quum demum abunde in philosophicis disciplinis promouisset, in patriã reuersus est, ubi possesiones desertas inspiciens, Non essem, inquit, saluus, nisi ista perissent. Postremò Lampsaci fatis cessit. Strotius pater:*

Hoc & magnanimus sensit Anaxagoras.

Anaximander, *Milesius philosophus, auditor Thaletis, & eiusdem successor: qui primus cœlestia signa docuit, sphæram item construxit, horologium & gnomonem inuenit, primus etiam geographicam tabulam edidit.*

Anaxo, *Ancæi cuiusdam filia fuit, quam quidam Alcmenes matrem faciunt, non Lysidicen sororem Pithei ex Pelope & Hippodamia, ut habet Plutarchus.*

Ancæus, *uel, ut quibusdam placet,* Angæus, *Lycurgi & Antinoës filius, & Epiochi frater. Cæterum hic Lycurgus Arcas quidam fuit, cui etiam festa quædam Molia uocata peragebant Arcades, eò quòd Ereuthalionem occidisset. Alius fuit Ancæus, Neptuni & Astypalææ Phœnicis filius: de quo Erasmus in prouerbio, Multa cadunt inter calicem, supremaq; labra. Ouidius in Ibyn hunc Lycurgi filium facit, fortasse poëtico more nomina confundens. Vide infrà* Lycurgus.

Anchemolus, *filius fuit Rhœti, Marubiorum regis, in Italia: cui cum pater Casperiam, seu Caspiam, nouercam superinduxisset, priuignus eandem stuprauit. quo cognito cùm pater eum persequeretur, & ad pœnam uocaret, fugiens ille ad Turnum se contulit. Postea tamen à Pallante Euandri filio occisus est. Verg. lib. 10.*

Et Rhœti

–Et Rhœti de gente uetusta,
Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.

Anchialos, urbs est Ciliciæ, quam Strabo Sardanapali opus fuisse dicit. Ex hac urbe fuit Athenodorus, qui non à Sardanapalo, sed ab Anchiale Iapeti filia Cydmi matre conditam affirmat. Ouid. lib. 1. Trist.

–Et ab his per Apollinis urbem
Vecta per Anchiali mœnia fundat iter.

Anchises, Capys filius, ante bellum Troianum, nemorum latebras & solitudines coluisse fertur. gregibus & armentis intentus fuit, quibus cùm uacaret, à Venere adamari cœpit, & cum ea concubuit, unde natus est Aeneas apud Simoënta Troiæ fluuium. Porrò cùm se Veneris concubitu usum fuisse iactasset, ab eadem oculis est priuatus, propterea dicunt eum Troianorum consilijs non interfuisse. Ardente Troia cum nulla salutis spes apparere, senio confectum Aeneas humeris imposuit, secum'que Drepanum usq;, Siciliæ urbem uexit, ubi fatis concessit. Vergilius:

Tu'ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad undas? &c.

Ancon, urbs fuit Piceni in littore Adriatici maris, à Siculis condita. Dictam uolunt, quòd in morem cubiti sit extructa. Ancon enim cubitum sonat. Lucanus:

Illic Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Ancus Martius, quartus fuit Romanorum rex, nepos Numæ ex filia, ab incuruo brachio dictus. Hic Latinos bello domuit, Auentinum & Martium montem urbi addidit: fertur præterea primus carcerem instituisse.

Andabatæ, populi sunt clausis oculis pugnantes. Cicero libro septimo Epistol. familiarium: Quem ne Andaba-

tam quidem defraudare poteramus.

Andes, *uicus fuit prope Mantuam, ubi natus est Vergilius Latinorum poëtarum clarißimus, unde uocatur* Andinus *uates. Est & huius nominis populus Galliæ in prouincia Turonensi, qui modò* Andeuagenses *appellantur.*

Androgeus, *filius Minois Cretæ regis, & Pasiphaës, puer præclaræ indolis, qui cùm omnes in palæstra superaret, ab Atheniensibus & Megarensibus ex inuidia occisus est. In cuius ultionem Minos Niso Megarensium rege occiso Megaram euertit: Athenienses acri bello superauit, eos'que quotannis septem adolescentes & totidem puellas, à Minotauro deuorandos in Cretam mittere coëgit. Vergilius lib. 6.*

In foribus letum Androgeo, tum pendere pœnas
Cecropidæ iußi, &c.

De his etiam quædam suprà de Aegæo, Tydei patre.

Andromache, *Hectoris uxor, & filia Eetionis Thebarum Ciliciæ domini filia, quæ Astyanactem Hectori genuit. Mortuo Hectore Pyrrhus eãdem in Græciam abduxit, & ex ea Molossum suscepit: postea uerò Heleno uati, Priami filio, cum parte regni in uxorem dedit. Vergilius lib. 3. Aeneid.*

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas?

Andromeda, *Cephei Aethiopum regis & Caßiopes filia, ob matris superbiam, quæ se Nereidas forma superare gloriabatur, à Nymphis saxo fuit alligata, & ceto marino monstro exposita: postea tamen à Perseo in patriam reuertente, occiso prius ceto, liberata eidem nupsit. Est etiam cœleste sidus. Proper. lib. 2.*

Andromeda monstris fuerat deuota marinis,

Hæc

Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.

Andros, *insula & oppidum in mari Myrtoo, prima Cycladum.*

Angitia, *seu* Angeronia, *seu* Angerona, *Solis filia, & Circes soror, à qua haud longe morata est in agro Campaniæ, sed melioribus artibus operata. Alij tamen dicunt eam uicinia Fucini lacus occupasse, & ibidem salubri scientia aduersus morbos incolis deseruisse, quam obrem diem claudēs dea ab ijsdem habita est.* Huic apud Romanos, 12. Calen. Ianu. *ferias celebrari, ei'que à pontificibus in sacello Volupiæ sacra fieri solitum esse, Macrobius autor est. Dicta uel quòd populus Romanus morbo, qui angina dicitur, uoto præmisso, liberatus sit: uel quòd angores & solicitudines animorū propiciata depellat. Angitia quoq; nemus Marsis inclytū. Verg. li. 7.*

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda,
Te fleuere lacus, &c.

Anio, *uel* Anien, *seu* Anienus, *Italiæ fluuius est, qui in Trebianorum monte ortus, tres nobiles lacus in Tyberim defert, & per Tyburtinum agrum decurrens cataractam facit. Sic dictus ab Anio Hetruscorum rege, in eodem submerso. Proper. libro 4.*

Ramosis Anio quà pomifer incubat aruis.

Anitus, *Atheniensis fuit diues, qui cum Melito & Lycone Socratem accusauit, & occidi curauit. Horatius lib. 2. Serm. Sat. 4.*

—Qualia uincunt
Pythagoram, Aniti'que reum, doctum'que Platona.

Anius, *Apollinis fuit filius, qui habuit Andrum filium. Vergilius libro 3.*

Rex Anius, rex idem hominū Phœbiq; sacerdos, &c.

Anna, Beli fuit filia, & Didonis soror, cui in fuga comes fuit: qua mortua, & Carthagine ab Hiarba rege occupata, ad Battum, Melines, uel ut alij, Melicæ, uel ut rursus alij, Corisæ insulæ regem, uetusti hospitij confisa iure, aufugit. Sentiens autem Pygmalionem arma aduersus eam mouere, à Batto, ut abiret, hortata, mare intrauit, & tempestate oborta, cùm ad Camerem, seu ut alijs placet, Cratidem fluuium tenderet, in Laurentum litus delata est: ubi fortè ab Aenea, superato iam Turno, uisa, in regiam deducta est: ob cuius aduentum suspicata Lauinia ei insidias tetendit: sed Anna à Didone in somnis monita, regiam, ut infaustam domum, exiuit, & in Numicum fluuium se præcipitem dedit. Cum itaq; manè quæreretur, & uestigia usq; ad Numicum amnem apparerent, ipsa loqui uisa est:

—Placidi sum nympha Numici:
Anna perenne latens, Anna perenna uocor.

Ouidius lib. 3. Fastor.

Annibal, Amilcaris filius fuit, quem adhuc impuberem iureiurando ante aras pater astrinxisse fertur, ut quàm primum per ætatem liceret, arma contra Romanos sumeret. Quapropter iam adultus in Hispaniam traiecit, ibiq; quibusdā ciuitatibus subactis, Alpesq; aceto peruias faciēdo, quo expeditius traijceret, in Italiam uenit, atq; Titum Sempronium Cōsulem apud Trebiam profligauit, Flaminium Consulem fudit ad Trasimenum lacum, cæsis 1500. Romanorum: cuius tamen postea uires à Fabio Maximo multum sunt imminutæ. Sed rursus collectis uiribus, tertiò Paulum Aemilium & Terentium Varronem nouos consules creatos apud Cannas uicit: in quo prælio ad quadraginta millia peditum, & duo

duo millia supra septingentos equites cæsa dicuntur, adeo ut tres modios & dimidium annulorum Carthaginem miserit. cumq; urbem capere facilimè posset, in Campaniam reuertitur, & Capuæ uoluptate detentus, omnem animi uigorem remisit, ut apud Cumas à Sempronio Graccho magna suorum cæde repulsus, obsidionem reliquerit. postea etiam apud Nolam non mediocre damnum à Marcello accepit. deinde à Carthaginiensibus à P. Scipione in Aphricā misso, obsidione impulsis, ex Italia reuocatus, cum eodem apud Zamam Aphricæ oppidum congressus est: in quo conflictu uiginti millia Pœnorum cæsa sunt, & totidem capta. Dux ad Antiochum profugit, cuius auxilio bellum redintegrauit: sed Antiocho quoq; debellato Romani Annibalem sibi captiuum dari petierūt: quod Pœnus sentiens, ad Prusiam Bithyniæ regem confugit. à quo eundem petierunt. Pœnus autem Prusiæ leuitatem suspectam habens, hausto ueneno quod sub gemma in annulo gesserat, uoluntaria morte obiuit. De Annibale latius scripsere historici, ut Liuius, Florus, & alij.

Ansanctus, *lacus est apud Lucanos, uel, ut Plinius habet, in Hyrpinis, ex quo tam letalis odor euaporat, ut uolantes desuper aues eo suscepto necentur. Ver. lib. 7. Aene.*

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Ansancti ualles, &c.

Anthæus, *Terræ filius, gigas fuit in Mauritania, ab eiusdem regionis flumine Antæo sic uocatus. homo in palæstra exercitatißimus, qui cum Hercule singulari certamine congressus, quoties ab eodem prostratus terram tetigit, toties fortior surrexit: mater enim eius Terra uires*

illi

illi auxit. Quod animaduertens Hercules, iam fessum ulnis in altum extulit, & tantisper tenuit, donec expirauit. Sunt tamen qui dicant, hunc ab Eubuleo primo Iouis filio, in lucta superatum esse, & eundem postea Herculis cognomen meruisse. Huius regiam in Mauritania esse, nō procul ab Hesperidum hortis, Plinius autor est. Lucanus tamen ferè in fine libri quarti paulo aliter sentire uidetur, ubi totam hanc fabulam describit.

Antandros, urbs est Phrygiæ ad meridiem posita, quam habitauere Leleges finitimi Cilicibus, Aborigines olim cum habitarèt Acarnaniā. dicta autem, uel (ut habet Seruius) quòd de Andro insula eam condiderint coloni, quasi ἀντιάνδροι: uel quia Græci uenie͂tes per Thraciam cepere Polydorum, pro cuius precio hanc urbem à Priamo acceperunt, quæ ex facto nomen sortita est. Ver. li. 3.

—Classemq́; sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Antemnæ, oppidum est Italiæ, sic dictum, quòd amnis præterfluat, quasi ante amnem. Verg. lib. 7.

Ardea, Crustumeriq́;, & turrigeræ Antemnæ.

Antenor, unus è principibus Troianorum, qui patriam cum Aenea prodidisse fertur: uel, quòd legatos, qui propter Helenam uenerant, hospitio susceperit, & Vlyssem falso habitu cognitum non indicarit: uel quòd semper Helenam Menelao restituendam esse suaserit, ne urbs bello uastaretur: quapropter etiam uterq; ad Græcorū exercitum tutò uenisse dicitur. Nauigans itaq; Venetiā uenit, ibiq́; condidit urbem Antenoream primò dictam (à qua Antenoridæ uocitati) quæ postea Patauium, deinde Padua appellata est, unde Patauini. Vergilius:

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis

Illyricos

Illyricos penetrare sinus,&c.

Filios habuit,ut testatur Homerus, *Archelochum, Athomanta,&* Elycaona,*& secundum quosdam,alios duos Archelaũ & Antheũ,quem* Paris *imprudens interfecit.*

Anticlia,*uide infrà* Autolia.

Anticyra,*penultima correpta,insula est,ad sinum Maliacum &* Oëtam *montem.cuius meminit Strab.li.8.ubi,ut ait* Plinius,*helleborum tutissimè sumitur.Est & Anticyra ciuitas iuxta* Cyrrham *in* Phocide *regione.*Horatius,

Danda est hellebori multo pars maxima auaris.

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

Antigŏna,*filia* Oedipi Thebarum *regis ex* Iocasta:*quæ parenti utroq; lumine capto, & in exilium à* Creonte *rege eiecto,ducatum miseranda præstitit:eadem postea cum ad officium funebre suorum fratrum,*Etheoclis *uidelicet &* Polynicis,*uenisset,ibiq; adiuuante* Argia Polynicis *coniuge,fratrum cadauera cremasset,ambæ* Creontis *iussu captæ & occisæ sunt, quarum mortem postea* Theseus *ulciscens* Creontem *interfecit.*

Antigŏna,*alia fuit* Laomedontis *regis filia,quæ ob formæ pulchritudinem ausa fuit se* Iunoni *præferre: quapropter* Iuno *irata,eam in ciconiam uertit.*

Antigonus,*rex fuit* Macedonum, Alexandri Magni *frater,qui eo mortuo in* Asia *regnare cœpit,& per 18.annos multa bella gessit,in quibus postremo occubuit:fuerunt autem multi alij huius nominis.*

Antilŏchus,Nestoris *&* Eurydices *filius,qui patrem secutus ad bellum* Troianum, *in pugna à* Memnone Auroræ *filio est occisus: uel, ut ait* Ouidius, *ab* Hectore. *Idem in epistola* Penelopes:

Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore *uictum,*

Antilochus

Antilochus nostri causa timoris erat.

Antimăchus, *poëta Colophonius, admodum tenebrosus: qui dum quoddam poëma obscurũ in auditorio recitaret, omnesq́; propterea discederẽt, excepto Platone: Legam tamen, inquit, nihilominus, quoniam unicus Plato est mihi pro omnibus. Hic aggressus belli Thebani materiam, uigesimum quartũ uolumen impleuit, antequam duces Thebas usq; produceret.*

Antiochia, *urbs Syriæ, à Seleuco Nicanore cõdita, quam Orontes fluuius interfluit. Alia est ad Persicum littus, ab Antiocho, cui Soter cognomẽ fuit, fundata: hinc* Antiochenus, *&* Antiochensis.

Antiŏchus, *secundus, rex fuit Syriæ, Seleuci filius, quo nomine postea & alij Syriæ reges sunt appellati. Alius fuit Antiochus Ascalonita philosophus, Ciceronis & Bruti præceptor.*

Antiŏpa, *Nyctei fuit filia, & uxor Lyci regis Thebarum Aegyptiarum: quam Iupiter in Satyrum mutatus compressit: quod cùm Lycus comperisset, ea repudiata, Dircen superinduxit, à qua in carcerem coniecta est. uerùm cũ partus aduenisset, ruptis uinculis aufugit in Cytheronem, ibiq́; Zethum & Amphionẽ peperit, & exposuit: sed à pastoribus reperti, ab iisdem educati sunt: qui postea adulti matris iniuriam ulciscentes, Lycum cum uxore Dirce interfecerũt. Vide suprà* Amphion.

Antiphătes, *rex fuit Læstrygonum, Melampodis, seu, ut alij uolunt, Lami filius, qui Formiarum oppidum condidit. Hic cum cæteris Læstrygonibus humana carne uescebatur. Politianus:*

Et Lamium Antiphaten, & uirgã, & pocula Circes.

Antiphătes, *alius, fuit Sarpedonis filius, qui Aeneam in Ita*

in Italiam secutus à Turno Rutulorum rege occisus est.

Antiphonon, *Priami filius, qui comitabatur patrem, cùm Hectoris corpus ab Achille redimeret.*

Antiphus, *Priami filius ex Hecuba, quem Agamemnon unà cum Iso fratre, sed illegitimo thoro nato, in bello Troiano interfecit. Alius fuit Herculis Thessali regis filius, qui cum Phidippo fratre ad bellum Troianum profectus est.*

Antisthenes, *princeps Cynicæ sectæ, Socratis auditor, ad quē quotidie ibat ex Piræo, quadraginta stadijs emēsis.*

Antonius Musa, *medicus fuit Augusti Cæsaris, homo medēdi arte insignis, meminit eius Horatius in quadam epistola: itē Pli. lib. 29. Natu. Histo. ca. 1. & li. 30. ca. 3.*

Antronia, *urbs est in Messenia, Peloponesi regione, ab antris, è quibus molares lapides exciduntur, appellata: à Strabone Antron dicta.*

Antropophagi, *Scythiæ populi, qui humana carne uescuntur, Massagetis finitimi.*

Antium, *urbs in Latio & Romanorū colonia: dicta quòd ante alias urbes, hoc est, in ipso maris littore sita sit, cuius inhabitatores Antiates dicti sunt. Erat in eadem ciuitate celeberrimum Fortunæ templum. Horat. lib. 1. Car.*

O diua gratum qui regis Antium, &c.

Anubis, *Osiridis & Isidis filius, & Aegyptiorum deus, qui figurabatur capite canino, eò quòd canem, tanquam armorum insigne, gestabat. Ouidius:*

Per tua sacra precor per Anubidis ora uerendi.

Anxius, *fluuius ex Armenio monte oriens, per Caucasum in Mesopotamiā defluit, & Pactolo flumini & Caucaso cadēti occurrit, unūq; facti in Euphratē demergūtur.*

Anxur, *alio nomine Tarracina, Volscorū oppidum est,*

tam ma

tam masculini, quàm neutri generis. Martialis:

Siue salutiferis candidus Anxur aquis. Horatius:

Impositum saxis longe candentibus Anxur.

Anxurus, dictus est Iupiter, qui maximè Anxure colebatur: uel quòd nunquam barbam rasisset. Verg. li. 7. Aene.

—Queis Iuppiter Anxurus aruis

Præsidet, &c.

Anyger, seu Anygrus, fluuius est Thessaliæ. Ouidius:

Fundit Anygrus aquas, &c.

Fortasse idem qui suprà Anager dicitur.

A O.

Aon, Neptuni filius, qui factione suorum ex Apulia pulsus, nauigio Euboeam uenit, & inde se in Bœotiam detulit, ubi populis montes habitantibus imperauit, eosq́; Aones, unà cum montibus ex suo nomine appellauit, à quibus Neptuni filius est habitus, cùm Onchesti ditißimi cuiusdam Apuli filius fuerit, ex Parichia coniuge: filium Dymantem reliquit, qui ei in regno succeßit.

Aonia, est pars montana Bœotiæ, ab Aone Neptuni filio sic dicta. In hac regione sunt montes Aones, in quibus fons est Aganippe, qui dicitur Aonus: inde Musæ dictæ Aonídes. Sunt tamen qui Aones in Thracia sitas tradant. Hinc Aonius, a, um. Ouidius:

Separat Aonius Attæis Phocis ab aruis.

Aorsi, populi non procul ab Araxe fluuio, qui in Hircanũ mare cadit, ut autor est Ptolemæus. Alios Plin. in Europa collocat. Strabo scribit Aorsos Tanaim accoluisse.

A P.

Apamea, siue Apamia, insula est à Tigri fluuio circumfusa: sic dicta, ut inquit Plinius, ab Antiochi matre. Est & Apamea Bithyniæ oppidum, à Nicomede Prusij regis filio

gis filio sic appellata, quæ postea Mirlea à Mirlo Colophoniorum duce dicebatur.

Apelles, *pictor præstantißimus, qui Cois Venerem inceptam moriēs reliquit imperfectam: nec repertus est, qui tam egregio operi succedere uellet. uixit tēporibus Alexandri Magni.*

Apennīnus, *siue* Apœnninus, *mons est altißimus, qui per mediam & uniuersam Italiam in longum extenditur: cuius dextra pars Tyrrhenum mare, sinistra uerò Adriaticum respicit*. Hinc Apenninicola, & Apēniniger. *Horat. in Epod.*

In mare seu celsus procurrerit Apenninus.

Apēsus, *untis, mons est Nemeæ superiacens, ubi Theseus Ioui primum operatus creditur, propter quod* Apesuntius *quoq; dictus est. Pap.*

Mons erat audaci seductus in æthera dorso,
Nomine Lernæi dicunt Apesunta coloni:
Gentibus Argolicis olim sacer, &c.

Apher, *aliquis ex Aphrica. Lucanus:*

Et solitus uacuis errare mapalibus Apher.

Aphrica, *tertia pars terræ est, inter Asiam, Europam, & Austrum sita, incipiens à finibus Aegypti, & se ad Gaditanū mare usq; protendens. In hac sunt. Mauri, Getuli, Numidæ, Garamantes, Aethiopes, & nobilis urbs Carthago, ubi propriè Aphricam dici uolūt: reliqua enim terræ pars quondam Libya dicebatur. Dicta ab α, & φρίκη, id est, horror, quem ex frigore contrahimus. Alij per f, Latinū scribunt, Africa.*

Aphricum mare, *dicitur quod Aphricam alluit, à Metagono promontorio ad Orientem usque ad Philenorū aras sese extendens, & Sardo, Siculo, & Ionio mari*

conterminum.

Aphricus,*uentus est meridionalis, flans inter Austrum & Zephyrum.*

Aphrodisia,*insula est in mari Persico,ubi Persis à Carmania dispescitur. sic dicta, quòd in ea Venus quàm religiosissimè coleretur.alio nomine* κολιὰς *dicta.*

Aphrodite,*dicta est Venus,ab* ἀφρὸς,*id est,spuma maris. nam de spuma maris nata dicitur.uide infrà.*

Apis, *Argiuorum rex fuit, ex Ioue & Niobe Phoronei filia progenitus. Isidem habuit in uxorem. Hic cùm Aegialeum fratrem regem præfecisset Achaiæ, in Aegyptum suum imperium transtulit: & cum ibi multa, præcipuè uini usum,homines rudes docuisset,post mortem factus est Serapis & maximus Aegyptiorū deus: qui in forma bouis adhuc uiuētis celebatur: quem post certos uitæ annos mersum in sacerdotū fonte enecabāt alium luctu quærentes quem sustulerunt: mœrebantq; derasis tantisper etiam capitibus, donec alium reperissent. Est autem Apis,lingua Aegyptiaca,bos. Macrobius per Apim Solem intelligi putat, libro 1. Saturnalium. Ouidius:*

Et comes in pompa corniger Apis erat.

Vide Osiris *alibi,ubi priora ex Perotto,& alijs paulò aliter tractantur.*

Apitius,*nobilis Romanus,& ualde gulosus,qui congiaria principum & ingens Capitolij uectigal commessationibus hausit:uixit temporibus Senecæ, &, ut idem inquit,in ea urbe popinæ sciētiam professus est,ex qua philosophi,ut iuuentutis corruptores erant eiecti.Porrò cum sestertium millies in culinam congessisset, multaq;alia dilapidasset,ære alieno oppressus,rationes tūc primum*

primum coactus inspexit: superfuturum centies computauit: & uelut multa fame uicturus, si in sestertio cẽties uixisset, ueneno uitam finiuit. Quæ luxuria erat, cui centies sestertium egestas fuit? Iuuenal.

Quæ miser & frugi non fecit Apitius, &c.

Apollo, *alio nomine Phœbus, Iouis & Latonæ filius, natus est in Delo, eodem partu cum Diana, quæ & ipsa Phœbe dicitur. Adultus Pythonem serpentem sagittis occidit, deinde Cyclopes, ob fabricatum fulmen, quo filius eius Aesculapius fuit ad inferos detrusus: unde aliquandiu diuinitate priuatus, Admeti Thessaliæ regis armenta apud Amphrisum eiusdem regionis fluuium pauit. Fertur accepisse citharam à Mercurio, & postea Musis præfuisse. Amauit Cyrenen puellam, item Daphnen, Penei fluminis filiam: quæ fugiens illius amorem, in laurum conuersa est, arborem huic sacram. Item Hyacinthum, liberali forma puerulum, quem mortuum in florem sui nominis commutasse fertur. Branchũ item Thessalum, cui in suo templo sacra fieri iussit. Vicit Marsiam tibicinẽ, à quo lacessitus fuerat tibiæ cantu: uictum excoriauit. Ilij muros, adiuuãte Neptuno, Laomedonti regi ædificauit. Medicinæ usum primus intulisse, & propterea deitatem meruisse dicitur. Author est Carminis & Musices, quapropter poëtæ præcipuum sibi numen faciunt. In Rhodo insula colossum habuit tantæ magnitudinis, ut inter septem mundi miracula sit connumeratus. Triplex est eius potestas: ut sit Sol in cœlo, Liber pater in terris, Apollo apud inferos. eius simulachro tria adpingebantur, lyra, clypeus, & sagittæ. Eidem & Baccho perpetua iuuentus adscribitur, propterea semper imberbis à poëtis fingitur*

tur. Multa habet nomina,quæ à locis, in quibus potißimum colebatur,ei ſunt indita.

Apollodorus, *primus fuit Athenienſis poëta comicus. Secundus Gelæus,cuius comœdiæ fuerunt Philadelphi & Siſyphus. Tertius Tharſenſis tragicus. Quartus item Athenienſis grammaticus Ariſtarchi diſcipulus. Quintus Pergamenus rhetor, præceptor Caßidij, qui docuit Auguſtum. Sextus, Alexandrinus comicus,æmulus Menandri,de quo Martialis:*

Apollodoro plaudit imbrifer Nilus.

Apollonia, *urbs eſt in Epiro, uel Macedoniæ parte, quæ Albania dicitur, Corinthiorum colonia. Alia eſt in Syria:alia item in Creta. Eſt & Apollonia inter inſulas Thraciæ,cis Iſtrum amnem locata.*

Apollonius, *philoſophus Alabandẽſis,qui Rhodijs uixit, unde Rhodius appellatus eſt, ſub quo Cicero & Cæſar condiſcipuli fuerunt.*

Apŏnus, *Venetiæ fluuius eſt iuxta Patauium. Lucanus:*

Euganeo,ſi uera fides memorantibus,augur,
Colle ſedens Aponus,ubi fumifer exit,
Atq; Antenorei diſpergitur unda Timaui,&c.

Appia uia, *eſt à Roma in Campaniam, & ad mare uſq; ad Brunduſium, quam Appius Claudius Conſul lapidibus ſtrauit.*

Appidanus, *fluuius eſt Theſſaliæ,in quo Enipeus, Melas & Phœnix miſcentur, quos ipſe ſecum in Peneon defert,ut habet Luca.lib.6.Propert.*

Qualis in herboſo concidit Appidano.

Aprutium, *Italiæ regio inter Apuliã & Picenum, quæ & Samnium dicebatur, ubi multi erant populi: in ea ſunt ciuitates Aquila, Adria, Sulmo, Ortona, Aquinũ,*

Arpinum,

Arpinum,& aliæ multæ.

Apsus,*fluuius est Macedoniæ. Lucan. lib.5.*

Tellus,quam uolucer Genusus,quam mollior Apsus,
Circumeunt ripis,&c.

Apulia,*regio in Italia,mari Adriatico uicina,inter Dauniam & Calabriã, quæ & Iapigia ab Iapige Dædali filio,qui eam regionem tenuit usque ad Dauniam,dicta est. In hac sunt urbes,Barrum, Beneuentum, Luceria, & mons Garganus. Iuuenalis:*

Vendit agros,sed maiores Apulia uendit.

*At in deriuatiuo u,corripitur,*Apulus, *aliquis ex Apulia. Lucanus:*

Apulus Adriacas exit Garganus in undas.

A Q.

Aquileia,*seu* Aquilegia,*oppidum in Carnorum regione, iuxta quam defluit Timauus: à legendis aquis sic dicta. Martialis:*

Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo.

Aquitania,*regio,& pars Galliæ, alio nomine Aremorica dicta,à Circio Oceanum habens,qui Aquitanicus sinus dicitur, ab Occasu Hispaniã,à Septẽtrione Lugdunensem prouinciam.* Hinc Aquitanus,*a,um, & Aquitani populi.*

A R.

Ara, *est signum cœleste,& propterea inter astra relata, quòd in ea confœderatio deorum cõtra gigantes facta fuerit. Est etiam ciuitas regia Arabiæ, nec non & insula Arabiæ adiacens,ut autor est Ptolemæus.*

Arabarches,*Arabum princeps. Iuuenalis:*

Atq; triumphales,inter quos ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius atq; Arabarches.

Arabes, *dicuntur populi, unguentis & aromatis fruticibus abundantes: hi mitrati degunt, & intonso crine: barbã abradunt, prærerquàm in superiori labro: sagittas ueneno inficiũt: matrimoniũ nõ habẽt, &c.* Verg.

Hircanis'ue Arabis'ue parant, &c.

Arabia, *regio est Asiæ maioris inter Iudæam & Aegyptum, ab Arabe Apollinis ex Babylone filio sic dicta. Quidam putant Arabiam, Panchaiam, & Sabæorum gentem eandem esse. Vergilius:*

–Solis est thurea uirga Sabæis. Item,

Totaq; thuriferis Panchaia diues arenis.

Item in culice. –Panchaia thura.

Est autem triplex, Felix, Petrea, & Deserta. Propertius primã per Epenthesin produxit, cum inquit:

Nec siqua Arabio lucet bombice puella.

Arabs, *Apollinis fuit filius ex Babylone, ut inquit Plinius: quem medicinæ artis dicit etiam repertorẽ: fortasse quòd Babylone natus, ibiq; medicinæ studuerit, postea autem ad Arabes detulerit.*

Arachne, *mulier fuit Lydia, & Idmonis filia, quæ ausa fuit cum Minerua lanificio certare. Minerua autẽ cum iam penè esset uicta, irata radio Arachnen percussit, & in tantum animi dolorem compulit, ut illa se laqueo suffocauerit: cuius tamen miserta Minerua, in araneam commutauit. Ouidius:*

Ter, quater Idmoniæ frontem percussit Arachnes.

Arachnæus, *a, um, possessiuum apud Manilium.*

Aracynthus, *mons est Acarnaniæ, dicatus olim Mineruæ: quidam uerò Achaiæ, quidam Aetoliæ dicunt. Vergilius in Bucol.*

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Araris, *seu* Arar, *fluuius est Galliæ* Narbonensis, *ex monte* Vogeso *per Burgundiam defluens, circa* Lugdunum Rhodano *se miscet, adeò lentus, ut difficile sit iudicare, utram in partem defluat. Claudianus:*

Quos Rhodanus *uelox, Araris quos tardior ambit.*

Lucanus libro 7. —Rhodanumq; morantem

Præcipitauit Arar, &c.

Aratores, *populi sunt Scythiæ, in ea parte Aemi montis habitantes, ubi Polydori tumulus ostenditur, ut ait Solinus.*

Aratus, *poëta fuit Cilix, Menecratis discipulus: scripsit Phænomena, hymnos in Pana, item de Astronomia, quod opus* Cicero *carmine reddidit. Ouidius:*

Cum Sole & Luna semper Aratus erit.

Alter fuit Aratus Sicyonius, optimus princeps, qui patriam suam à tyrannide liberauit, de quo Tullius lib. 3. Officiorum.

Araxes, *Armeniæ fluuius, ortum habens à quodam monte, qui à Strabone Abon seu Aban dicitur, à Plinio uerò Agan, & labitur in mare Caspium. super hunc Alexander Magnus, & Augustus Cæsar pontes struxerunt. Lucanus:*

—Armeniumq; bibit Romanus Araxem.

Arcadia, *pars est Achaiæ mediterranea, inter* Elidem *& Laconiam, antè* Drymodis *& Pelasgis dicta: regio montosa, cuius incolæ plerique sunt pastores: in ea quoq; sunt asini grandes, unde pecus Arcadicum uocatur asininum.*

Arcas, Iouis *& Calistonis fuit filius, à quo* Arcadia, *item* Arcădes, *dicti sunt: quos quia uetustissima gens est, ante solem & lunam fuisse poëtæ fabulantur. Hūc*

Arcadem Lycaon, cùm Iouem hospitio recepisset, infantem membratim lacerauit, & Ioui comedendum apposuit: quod animaduertens Iupiter, Lycaonem incensa prius eius domo, cõmutauit in lupum: Arcadem uerò compactis membris in uitam reduxit, & iam adultum unà cum matre à Iunone ob adulterium in ursam mutata, astris intulit. Et sic Calisto facta est ursa maior, Arcas uerò minor. Quod Iuno ægrè ferens à Tethye precibus impetrauit, ne Calisto & filius postquam sidera facti essent, in Oceano, ceu cætera solent, lauarentur. Sunt tamen qui Arcadem in Booten mutatum dicant: communior tamen est prior sententia. Varias opiniones uide apud Perottum.

Arcesilas, *Pytaneus, philosophus academicus, qui patriã suam Pythanam in Aeolia relinquens, Athenas peruenit, ibiq́; Crantoris auditor fuit. Obijt cùm immodicè bibisset uinum. Persius:*

–Non *ego curo*
Esse quod Arcesilas, ærumnosiq́; Solones.

Arcesius, *Iouis fuit filius, pater Laërtis, ut testatur Vlysses apud Ouidium, contra Aiacem loquens:*
Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illis,
Iuppiter huic, &c. scilicet Arcesio.

Archelaus, *Antenoris Troiani fuit filius, Homero teste, rei militaris peritissimus. Alius fuit Atheniensis philosophus: uel, ut alij uolũt, Milesius, auditor successorq́; Anaxagoræ, qui primus ex Ionia Physicen Athenas inuexit. Alius item fuit Archelaus, geographus, qui terram omnem ab Alexandro Magno peragratam descripsit.*

Archemorus, *Lycurgi Nemeæ regis filius, à serpente*

infans necatus, dum nutrix sitientibus Achiuis, cum ad expugnandas Thebas proficiscerentur, fontem Langiam ostendens, eum reliquisset in gramine: unde fons ille Archemorus dictus est: & in huius pueri honorem instituti sunt ludi Nemei. Alio nomine Opheltes. Alius fuit Archemorus, ut quorũdam opinio est, Amphionis ex Niobe *filius, quem* Ouidius *Antegorum nominat.*

Archeptolemus, *filius fuit* Iphiti, *&* Hectoris *auriga, Enipeo interfecto à* Diomede, *suffectus.*

Archias, *nomen est poëtæ, de quo extat oratio apud Ciceronem. Fuerunt autem & alij huius nominis multi.*

Archigenes, *medici nomen, in quem sæpius inuehitur Galenus. Iuuenalis: —Tunc corpore sano Aduocat Archigenem, &c.*

Archilochus, *poëta fuit Parius, iambici carminis inuentor, qui Lycamben soccrum ad laqueum adegit, propter repulsam, quam paßus erat in nuptijs eiusdem filiæ* Neoboles. *unde* Horatius:

Archilochum proprio rabies armauit Iambo, &c.

Huius liberos ob inuerecũdiam & obscœnitatem Lacedæmonij ex urbe tolli iusserunt, autoremq́; eorum in exilium miserunt. Postremò à quodam, cui nomen Coraci, in bello est interfectus. Floruit autem hic poëta temporibus Romuli.

Archimedes, *Syracusanus philosophus, & maximus geometra, qui etiã primus sphæram inuenit, ut ait* Cicero: *sed secundum alios Anaximãdro hoc inuentum tribuitur. Dicitur prætereà uitream habuisse sphæram, in qua Sol & Luna sponte cursum suum perficiebant. Occisus est per ignorantiam à quodam milite Romano, cùm tamen hunc Marcellus captis Syracusis serua-*

ri mandasset: sed bellicus furor edictum neglexit.

Archytas, *Mnessagoræ, uel, ut alijs placet, Aestiei filius,* Tarentinus *philosophus, qui* Platonem, *cùm à* Dionysio *tyranno necãdus esset, per epistolam eripuit, in omni genere uirtutis & scientiæ admirabilis, & princeps suæ ciuitatis. cubum præterea primus omnium inuenit.*

Arctophylax, *interpretatur custos ursæ. est stellula iuxta maiorẽ ursam: alio nomine* Bootes, *item* Arcturus *dicitur. Luca. lib. 8.*

Arctophylax propiorq; mari Cynosura feretur.

Arctos, *id est, ursa, sidus est circa polum arcticum. Est autem duplex: maior, quæ et* Elice *dicitur, in quam Calisto Lycaonis Arcadiæ regis filia à Iunone mutata est, ob adulterium cum Ioue: & minor, quæ & Cynosura, item* Phœnice *uocata est, de quibus latius suprà in dictione Arcas. Ouidius libro 4. Fastor.*

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidonijs, Elicen Graia carina notat.

Ardea, *ciuitas* Rutulorum *in* Latio, *à* Pilũno Iouis *filio & Turni abauo in mõte condita, distans à Roma 170. stadijs. Hanc post Turni mortem igne consumptam, & in auem sui nominis cõmutatam esse, Ouidius in Metamorphosi docet. Hinc* Ardeates, *eiusdẽ oppidi incolæ.*

Auentinus, *mons est* Italiæ, *non procul à* Roma, *in quo* Præneste *oppidum situm est.*

Areopagitæ, *iudices fuerũt* Athenienses, *qui tantum de causis capitalibus pronunciabant, tanta integritate, ut noctu, non interdiu iudicarent, quò non dicentes, sed quæ dicerentur obseruarent.*

Areta, *Aristippi philosophi fuit filia, quæ ei successit in*

schola,

schola, summum bonum in uoluptate, quæ sensum moueret, ponens.

Arete, *unica fuit nata* Rexinoris, *quam Alcinous* Rexinoris *frater in uxorem duxit, & ex ea* Nausicaam *filiam, & tres filios suscepit.*

Arethusa, *Nerei & Doridis filia*, Elidis *nympha &* Dianæ *comes. Hanc cum Alpheus nudam cõspexisset, adeò eius amore exarsit, ut statim eam obtinere uoluerit: illa autem fugiens, Dianæ auxilium inuocauit: quæ illius miserta, in fontem sui nominis commutauit: cuius aquas cùm suis miscere uellet Alpheus, à terra absorpta in Ortygiam insulam, deinde in Siciliam delata est. Alpheus autem cum propter mare sequi nõ posset, per cuniculos subterraneos in Siciliam peruenit, ibiq; associatis Arethusæ aquis, in mare Siculum sese exonerat. Ab hac Syracusæ dictæ sunt* Arethusides. *Ouidius:*

Vtq; Syracusas Arethusides abstulit armis
Claudius, &c.

Est item fons Smyrnæ, item in Chalcide, præterea in Ithaca insula. Solinus quoq; fontis nomen apud Thebas esse tradit. Est etiam, ut idem autor habet, lacus Armeniæ maioris, per quem Tygris fluuius tam impetuoso cursu fluit, ut nec lacus Tygri, nec Tygris lacui admisceatur. Hunc Strabo Arsenen, Plinius Artissam uocat.

Aretium, *oppidum Hetruriæ, uasis fictilibus admodum celebre. nam ex ea terra uasa fiebant multum laudabilia, ut ait Plinius.* Aretinus, *a, um, possess.* Martial.

Aretina nimis ne spernas uasa, monemus:
Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

Argeus, *Pelopis fuit filius, & Alectoris pater. Alius fuit.*

Licymnij,

Licymnij, qui ab Hercule abductus, ui morbi peregrè perijt: cuius crematos cineres Hercules retulit, ut iusiurandum, quod dederat se illum reducturum, seruaret. Hunc dicunt primum fuisse, qui crematus sit, & ab eo deinde morē seruatum. Est etiam eiusdem nominis Cappadociæ mons, arduus, & perpetuis pruinis rigens, cui Mazata ciuitas Cappadocum metropolis subiacet.

Argīa, i, producta, Adrasti fuit filia, & uxor Polynicis, cui Thessandrum peperit. hæc cùm funus uiri sui in bello cæsi curaret, & id faceret contra decretum Creontis, cum Antigona Polynicis sorore capta & occisa est: in cuius ultionem Theseus postea Creontem regem interfecit. Vide suprà, Antigonam & Adrastum.

Argiletum, Romæ locus erat, iuxta Palatium, ubi Argus sepultus esse uoluit. Alij ab argilla locum dictum putant. multæ illic erant tabernæ. unde Martialis:

Argiletanas mauis habitare tabernas.

Arginussæ, paruæ insulæ sunt non longè à Lesbo & Mitylena.

Argo, dicitur fuisse prima nauium, dicta ab autore eiusdem nominis, uel, ut quidam uolunt, à celeritate. Constructa autem fuit arboribus Dodonæ syluæ, quibus olim reddebantur oracula: unde poëtæ fingunt ipsam fuisse locutam beneficio Mineruæ, quam eius inuentricem esse ferunt. Hac naue Iason conuocatis Thessaliæ heroibus Colchos ad rapiendum aureum uellus profectus est. Verg. Eclog. 4.

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ uehat Argo
Delectos heroas.

Argolis, seu Argia, regio est in Peloponeso, ad Ortum mare habens, ad Occidentem, Laconiam.

Argonautæ, *dicuntur heroës illi, qui in Argo naui Colchos profecti sunt ad rapiendum aureum uellus. Sunt qui dicant 52. numero fuisse, alij quatuor addunt, quorum præcipui sunt Iason Tiphys, Castor, Pollux, Hercules, Theseus, Orpheus, Nauplius, Mopsus, Zethes, & Calais.*

Argos, *uetus & nobilis urbs Achaiæ in Argolide, quod etiam Argos hippium uocatum est, ab equorum præstantia, qua tum temporis claruit. hinc Horatius:*

Aptum dicit equis Argos, ditesq́; Mycenas.

Inde Argiuus, Argous, & Argolicus. *Aliud est in Thessalia, quod Homerus Pelasgicum uocat. Aliud itē in Acarnania, quod Amphilochium cognominatur.*

Argulus, *filius fuit Amyclatis, quem primū apud Achæos quadrigam iunxisse dicunt, cùm alij Arogylo illud adscribant.*

Argus, *Aristoris fuit filius, centoculus, adhibitus à Iunone ad custodiendam Io, filiam Inachi, ab eadem ob Iouis adulterium in uaccam commutatam. Sed Mercurius à Ioue missus, cantus dulcedine sopitum illum occidit, cuius oculos Iuno caudæ pauonis indidit, quæ inde auis Iunonia dicitur. De hoc ita Ouidius:*

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inq́; suis uicibus capiebant bina quietem:
Cætera seruabant, atq; in statione manebant.

Aria, *Romana fuit mulier (licet alij Patauinam faciant) quæ damnato Pæto marito suo, corpus gladio fodit: quem uulnere educens, ipsi Pæto querenti dedit, ut idē faceret. Martial.*

Casta suo gladium cum traderet Aria Pæto,
Quem de uisceribus traxerat ipsa suis.

Ariadne, *filia Minois regis Cretæ ex Pasiphaë uxore, cuius industria Theseus ab Atheniensibus Cretam missus, à Minotauro deuorandus, Labyrinthum filo duce, quod Ariadne dederat, euasit, occiso tamẽ prius Minotauro. Theseus autẽ eius amore captus, cùm in patriam reuerteretur, eam abduxit: sed prioris beneficij immemor, abductam in insula Chio, seu Naxo periurus deseruit: quam Bacchus postea in uxorem duxit, eiusq; coronam nouem stellis ornatam, quam à Venere acceperat, astris intulit, uocaturq; corona Gnosia. Postremò à Diana sagitta dicitur occisa, eò quòd uirginitatẽ non seruasset.*

Aricia, *urbs fuit in Latio post Albanum montem in Appia uia, ab Hippolyto condita, & ab Aricia nobili Atticæ regionis fœmina, quam idem adamasse fertur, sic dicta. Martialis:*

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros.

Inde Aricinus, *adiectiuum, ut,* Aricinum *nemus, ab Aricia ciuitate denominatum, in quo Diana Hippolytum ab inferis Aesculapij opera reuocatum abscondidit. Est præterea in hoc nemore Aegeriæ nymphæ fons, ubi Numa hydromãtiam exercẽs, dicebat ab eadem nympha sibi dari consilia. nec procul inde est* Aricinus *lacus.*

Arimaspus, *fluuius est Scythiæ in Asia aureis arenis abundans. unde Lucan. lib. 3. —Auroq; ligatas*
Substringens Arimaspe comas, &c.

Hinc Arimaspi, *eiusdem fluminis accolæ, habentes unum oculum in fronte: qui perpetuò bella gerunt cum gryphibus, aurũ & smaragdos colligentibus. Mantu.*
—Massagetas gladiosq; Arimaspos.

Ariminum, *urbs uetus in Flaminea iuxta Rubiconem fluuium, qui Galliam à Flaminea separat. Lucan. lib. 1.*
Vicinumq́; minax inuadit Ariminum & ignes.
Ariminensis, e, *adiectiuum apud Horatium.*
Arimphæi, *populi sunt Asiæ septentrionales prope Riphæos montes, pro domibus nemora, pro alimentis baccas habent, & tam fœminæ, quàm mares comam tondent.*
Arion, *Methymnæus fuit cytharœdus, lyricus, ex Lesbo insula, charus Periandro Corinthiorum tyranno: qui in Italiam profectus grandem pecuniam arte sua promeruit. cumq́; iterum Lesbon insulam peteret, uideretq́; sibi insidias à socijs parari, propter opes quas secum ferebat, nautas orauit, ut carmen aliquod, priusquam moreretur, concinere permitterent. quod cùm impetrasset, rapta cithara modulans de naui in mare se con iecit: sed à delphine illecto eius cantu dorso exceptus, Tenarũ (quod oppidũ est Laconiæ, à Tenaro promõtorio sic appellatum) uectus est, & ibi relicto delphine Corinthum petijt, omnemq́; rem gestã Periandro enar rauit: qui tamen illius uerbis minime credidit, donec omnia ita esse facta à nautis compertus est. Verg. eclo. 5.*
—Sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis, inter delphinas Arion.
Est etiam Arion equi nomen, de quo multa habentur infrà, ubi Cygni mentionem facimus. Propert. lib. 2.
Qualis & Adrasti fuerit uocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera uictor equus.
Arisbe, *oppidum est in Rhœteis littoribus. Lucan. lib. 3.*
—Et nimium glebis exilis Arisbe.
Aristæus, *filius Apollinis & Cyrenes Penei filiæ, qui amore*

more Eurydices *uxoris* Orphei *incensus, eam uitiare uoluit: illa uerò fugiens à serpente est occisa: in cuius ultionem nymphæ omnes apes perdiderunt. Quapropter matris auxilium implorauit, quæ illum ad* Prothea *ad oraculum consulēdum perduxit: à quo infortunij causam edoctus,* Eurydicen *sacrificijs placare iussus est. quod cum faceret, taurosq́; quatuor & totidem iuuencas immolaret, ingens apum multitudo è bobus erupit, atq; hoc pacto apes suas recuperauit, ut satis copiose tradit* Vergilius *ferè in fine libri quarti* Georgicorum, *cùm inquit:*

Pastor Aristæus *fugiens* Peneia Tempe, &c.

Fuit autem mellis & uenationis inuētor: primus etiam pascua tam pecorum quàm iumētorum inuenit, ante ipsum enim custodes non erant.

Aristarchus, *grammaticus fuit insignis, qui* Homerum *interpretatus est.* Ouidius:

Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho *maior* Homerus *erat.*

Aristīdes, *penultima longa,* Atheniensis *fuit, nobilitate & iustitia insignis, adeo ut eius iustitia in prouerbium abierit. Huius iustitiā nō ferens* Themistocles, *exilio decem annorum damnari curauit. Postea ueniente cum ingenti exercitu* Xerxe Persarum *rege, pro salute patriæ ab exilio reuocatus est. Tandem cum multas præfecturas gessisset, in tanta paupertate obijt, ut uix tantillum pecuniæ corradi potuerit, quæ uespillonibus daretur. Alius fuit pictor* Thebanus, *qui primus animos & uultus expressit. Alius item fuit rhetor & sophista, qui uixit temporibus* Antonij & Commodi *Imperatorum.*

Ariſtippus, *Cyrenaicus fuit philoſophus, auditor Socratis, qui inſtar* Epicuri, *ſummum bonum poſuit in uolu=ptate, cuius ſectatores dicti ſunt* Cyrenaici. *Relicta patria in Græciam profecturus ad philoſophandũ, ſeruis aurum portantibus imperauit ut abijcerent, quòd aurũ bonis impedimento eſſe ſuſpicaretur. Is tamen primus omnium Socraticorũ mercede philoſophatus eſt. Meruit nomen regij canis, quòd* Dionyſio *uentris gratia adularetur. unde* Horatius:

Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Ariſtippus, &c.

Ariſtocles, *dictus eſt* Plato *ex aui paterni nomine, poſtea autem ob humerorũ latitudinem* Plato *apellatus.*

Ariſtoclides, *Orchomeni tyrãnus, Stymphalidem uirginem adamauit: quæ patre occiſo cum ad Dianæ templum confugiſſet, eiusq́; ſimulacrum teneret, ut ui auelli non poſſet, in eodem loco confoſſa eſt: ob cuius mortem omnis Arcadia tanto dolore commota eſt, ut bellũ publicum ſuſciperet, necemq́; uirginis ulciſceretur.*

Ariſtophanes, *poẽta fuit comicus, Græcus, inuentor tetrametri & octometri carminis: in carpẽdis hominum uitijs liberrimus & mordaciſsimus. Scripſit fabulas 54. Socratis fuit æmulus. Tres habuit filios itidem comicos.* Horatius:

Eupolis atq; Cratinus Ariſtophanesq́; &c.

Ariſtor, *Crotopi filius fuit, & pater Argi centoculi, qui ab eo* Ariſtorides *uocatur. Ouid. 1. lib. Metam.*

Donec Ariſtoridæ ſeruandam tradidit Argo.

Ariſtoteles, *philoſophorum præcipuus, filius fuit* Nicomachi *medici, Stagiritanus patria, ſeptemdecim annos natus Athenas profectus, Platonis auditor fuit uiginti*

annis, & sectæ Peripateticæ princeps, qui liberos supra trecentos reliquit. Vocatus à Philippo rege in Macedoniam, decē annis Alexandrum discipulum instituit. Quo in Asiam profecto, Athenas rediit, & in Lycio gymnasio tredecim annis docuit. Postea accusatus quòd de dijs non rectè sentiret, cedēs inuidiæ, abijt in Chalcidem, ibiq; reliquum uitæ transegit.

Arīus, *Scythiæ populus est, de quo Lucanus libro 3.*

—Hinc fortis Arius, &c. *Est etiam fluuius propinquus Bactris, Alexandriam, quam ibi construi fecit Alexander, præterfluens. à quo* Ariani, *populi. Est item hæretici nomen, contra quem multa Augustinus & alij scripserunt.*

Armenia, *est regio Asiæ inter Caucasum et Taurum mōtes, & à Cappadocia ad Caspium mare usq; protēsa, & ab Armenio Thessalo sic appellata. Est autem duplex: maior, & minor. hinc* Armenij, *populi eiusdem regionis. Tibullus:*

Iactat odoratos uota per Armenios, &c.

Arnoba, *ut habet Plinius:* Abnoba, *ut Ptolemæus:* Arbona, *ut Cornelius Tacitus, mons ex aduerso Taurici, Galliæ oppidi, ex quo Danubium oriri ferunt.*

Arnus, *fluuius Tusciæ rapacissimus, ex Apēnino oritur, & Florentiam alluens, in Tyrrhenū mare effluit. hinc* Arnis, *arnidis, &* Arnicola. *Alius est Arabiæ fluuius Mæotidem ab Armoriade diuidens, in Asphaltidis lacum labitur. Alius item est apud Vasconas.*

Arogylus, *is fuit qui primus quadrigam in Græcia iunxit, regnante Argis Phorbante.*

Arpi, *urbs est Apuliæ, à Diomede condita, quam prius Argyrohiphum, uel, ut alij uolunt, Argoshippum uocauit,*

cauit, deinde Argyrippa dicta est. Vergilius alterum p,clidit,cùm inquit libro undecimo:

Ille urbē Argyripam patriæ cognomine gētis, &c.

Arpīnum,*oppidum fuit Volscorum in Latio,inter Foram & Aquinum,in mōte porrectum.unde* Arpinas, *aliquis ex hoc oppido,ut Cicero & Marius, qui inde fuerant oriundi. Iuuenalis Satyra 8.*

Arpinas alius,Volscorum in monte solebat,&c.

Arsaces, *primus fuit Parthorum rex, à quo omnes postea Parthorum reges Arsacidæ dicuntur. Luca.lib.1.*

Plus illa uobis acie,quàm creditis, actum est
Arsacidæ, &c.

Arsacius,*a,um,adiect. apud Cladianum.*

Arsania, *Armeniæ fluuius est, in Euphraten defluens, quem Tygri misceri quidam uolunt, & demum cùm lenius fluat separari,& in Euphraten mergi.*

Arsia,*Hetruscorum sylua fuit,Romanorum cum Veientibus & Hetruscis pugna celebris.*

Arsinoē, *filia fuit Ptolemæi Lagi filij,Ptolemæi Philadelphi soror,forma præstantißima,quæ ut scribit Iul. Cæsar, regni possesionem sperans, ad Achillam, qui Pompeium interfecerat,se ex regia traiecit,unaq; bellum administrare cœpit: sed mox controuersia de principatu orta,cum uterq; utriq; insidiaretur, Asinoē per Ganymedem famulum Achillam interfici curat, atq; hoc modo imperium obtinuit.De hac Lucanus.in fine libri 10.*

–Nec non subrepta paratis
A' famulo Ganymede dolis peruenit ad hostes
Cæsaris Arsinoē,&c.

Est etiam ciuitatis nomen in Cyrenaica regione.

Artabanus, *filius Hystaspis & frater Darij Persarum regis, qui Xerxi filio Darij suasit, ut à bello Græcorũ abstineret, eundemq́; postea obtruncauit, deinde ab Artaxerxe ipse occisus est.*

Artabri, *Lusitaniæ populus, qui etiam* Arrobatræ *dicuntur.* Artabrum, *eiusdem regionis promontorium.*

Artaxata, *urbs Armeniæ maioris, ab Annibale condita ad Araxẽ fluuiũ, & est tantum pluralis numeri. Iuuen.*

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Artaxerxes *Longimanus, qui etiam Assuerus dicitur, Xerxis Persarum regis filius, qui ex pellicibus habuit filios 115. & ex iusto matrimonio tres, scilicet Dariũ, Ochum, & Ariaraten: quorum Darius à patre rex factus, contra patrem leui de causa cum quinquaginta fratribus coniurauit: qui omnes cum uxoribus & filijs à rege sunt occisi. Fuit & alius Cyri iunioris frater cognomento Memor.*

Artẽmis, *dicitur Diana, item Iuno, quando parturientibus præest, quasi ἀρτέμις.*

Artemisia, *uxor Mausoli regis Cariæ, quæ uirum dilexit supra humanæ dilectionis modum: cui mortuo strui curauit monumentum sumptuosissimum, quod Mausoleum dicitur.*

Artynia, *stagnum est minoris Asiæ, olim Pomisio monti propinquum, & iuxta Miletopolim ciuitatem: ex quo Rhindacus fluuius, antea Lycus denominatus, effluit, Asiam & Bithyniam disterminans.*

Arunci, *populus antiquus in Latio. Vergilius:*

Aruncos ita ferre senes, &c.

Arunca, *eorum ciuitas fuit, ab Ausone condita.*

Aruns, *uates Thuscus fuit diuinandi scientia insignis. Lucan.*

Lucanus lib. I.

Acciri uates: quorum qui maximus æuo,
Aruns incoluit desertæ mœnia Lunæ, &c.

Est item nomen uiri, qui Camillam occidit. de quo Vergil. lib. II. Aeneidos.

Aruisus, mons in insula Chio, uel ut alij habent, promõtorium eiusdẽ insulæ Aruisium nomine, ubi optima uina nascũtur, & facit adiecti. Aruisius, a, um. Verg.

Vina nouum fundam calathis aruisia nectar.

A S

Asassus, fluuius est Thessaliæ, iuxta Heracleam urbem, quæ est in radicibus Oëtæ montis, effluens. Hunc Plinius Apylam uocat.

Asbistæ, populi Libyæ, apud quos uulgatißimũ Ammonis templum inter medias arenas conditum est.

Ascalaphus, & Ialmenus, fratres, Martis fuerũt filij ex Astiocha. hos dicit Homerus dominos fuisse & Orchomeni & Minionis ciuitatum, eosq; cum reliquis Troiam uenisse.

Ascalaphus, alius, fuit Acherontis & Orphnes infernalis nymphæ filius. Hunc aiunt rapta Proserpina à Plutone, cum quæreretur num aliquid gustasset apud inferos, eam accusasse, atq; dixisse, septem grana mali punici ex uiridario Ditis gustasse: ex quo factum est, ut non in totum restitueretur Proserpina. Ob hanc causam Ceres irata eundem mutauit in bubonem, ut habet Ouidius lib. 5. Metamorph.

—Solusq; ex omnibus illud
Ascalaphus uidit, quẽ quondã dicitur Orphne, &c.

Ascanius, filius fuit Aeneæ ex Creusa Priami filia, licet quidam dubitent Creusæne, an Lauiniæ filius fuerit.

Sic dictus ab Ascanio Troiae fluuio: deinde Ilus, ab Ilo Troianorum rege: postea Iulus, à prima barbae lanugine. unde Verg.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Ilus erat, dum res stetit Ilia regno, &c.

Huic, cum auus & pater iam diruta Troia, de fuga disceptarent, flammula quaedam in capitis uertice apparuit, quae tamen nihil laesionis intulit, neq; etiam manibus extingui potuit, unde futuri imperij omen sumpserunt. Porrò cum patre post multos errores in Italiam uenit, ubi Turno occiso & patre etiam mortuo, cùm apud Lauinium 30. annis regnasset, Albam Longam condidit, restituta tamen prius in regnum nouerca, quae antea ob timorē in syluas aufugerat. Tandem cum in uniuersum triginta octo annis imperij gubernacula tenuisset, iam moriens, cùm uideret filium Iulium Syluium regno non satis aptum, Syluium Posthumum fratrem, sed ex diuersa matre, pietate & iustitia praestantem, regni haeredem reliquit.

Ascanius lacus, est in Bithynia, propinquus Olympo monti, & Prusae ciuitati, olim ab Annibale cōditae. Est etiam Mysiae fluuius.

Asclepiades, nomen historici Cyprij, qui uixit eo tempore, quo Pygmalion in Oriente regnauit. Alius philosophus caecus. Alius fuit Asclepiades Prusiensis medicus, qui lapsu scalarum interijt. Fuit & alius Asclepiades poëta, à quo carmen Alsclepiadeum dictum est.

Asclepius, filius fuit Machaonis, ut putat Augustinus, & Aesculapij nepos.

Ascra, uicus fuit Boeotiae in dextra parte Heliconis, Hesiodi patria, uel, secūdum quosdā, ubi nutritus est. hinc

uocatur

uocatur Ascræus. Mantuan.

Tu sapis ut custos ouium Parnaßidos Ascræ.

Periphrasis Hesiodi.

Asia, tertia pars terræ, quæ ab India Orientali incipiens, ab Europa Tanai, ab Aphrica uerò Nilo separatur. Est præterea duplex, maior & minor: hæc in se cõtinet Phrygiam, Cariam, Lyciam, Lydiam, Lycaoniã, &c. illa quãdoquidem multarum regionum & populorum capax est, de singulis quantum neceßitas postulauerit, ordine alphabetico dicetur. Nomen autem sumpsit uel ab Asia nympha Oceani & Tethyos filia, Iapeti coniuge: uel ab Asia Cotyi filio, ut Lydi affirmant: uel ut quibusdam placet, à floriditate. Corripit priores duas syllabas. Verg.

Europa atq; Asia pulsus, &c.

Ouidius uero primam produxit lib. 9.

–Et in Aside terra Mœnia constituis, &c.

Hinc fit adiectiuum Asiaticus, a, um.

Asia, paludis etiam nomen est in Lydia, Caystro flumini propinqua, circa quam inter alias aquaticas aues plures grues uersantur. Producit primam syllabam. Vergi. lib. 7. Aeneid.

–Et longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.

Asilas, auguris nomen, qui Aeneæ in auxilium uenit contra Turnum. Vergi. lib. 10.

Tertius ille hominũ diuûmq; interpres Asilas, &c.

Asine, oppidum Achaiæ in sinu Messenio, qui ab eo Asinæus dicitur. Lucan.

Atq; Asinæ cautes, & quas Chios asperatũdas, &c.

Asius, *filius fuit* Dymantis, *& frater* Hecubæ, *sed ex diuersis patribus: &* Hectoris *auunculus. hic etiam* Priamo *aduersus* Græcos *auxiliũ tulit. Fuerũt & alij huius nominis, quorũ paßim meminit* Homerus *in suo opere.*

Asopiades, *id est*, Aeacus, *Asopi nepos, qui pater fuit* Aeginæ *matris* Aeaci. *Ouid. lib. 7. Metamorph.*

Huic Asopiades petis irrita dixit, &c.

Asopus, *Achaiæ fluuius, qui per* Bœotiam *in* Epidaniũ *effluit,* Oceani *&* Terræ *filius. liberos habuit* Hipseum *&* Aeginam: *eumq́; resciuisset* Aeginam *à* Ioue *uitiatam, adeò ægrè tulit, ut furore cõmotus undis in Astra bellum mouerit:* Iupiter *autem iratus fulmine eum interfecit. Lucanus: Accipit Asopus, cursu, &c.* Hinc Asopis, *idos, Asopi filia, id est,* Aegina. *Alius fluuius est* Asiæ *eiusdem nominis, qui unà cum* Capro *flumine* Laodicen, *celeberrimã urbem* Lyco *flumini impositam, præterfluit.*

Asphaltus, *uel* Asphaltites, *est lacus* Iudææ *in prouincia* Pentapoli, *in quo nihil graue submergi potest, & nihil gignit nisi bitumen, unde mare mortuũ uocatur. In eo loco fuerũt* Sodoma *&* Gomorra *& tres aliæ urbes, quæ propter nefandam populi luxuriam & libidinem cœlitus exustæ sunt.*

Assaracus, Trois *regis* Troiani *filius, frater* Ili *regis, genuitq́;* Capyn: *Capys autem* Anchisen *patrem* Aeneæ.

Assos, *ciuitas* Troiadis, *arte & natura munita, patria* Cleantis *philosophi Stoici. Alia item est in* Mysia: *alia in* Lycia *in sublimi loco: alia in* Epiro *ignobilis.*

Assyria, *hodie* Syria *dicitur, regio est* Asiæ *ab* Oriente *habens* Indiam, *ab* Occidente Tygrim, *ab* Austro Mediam, *ab* Aquilone Caucasum. Nomẽ *accepit ab* Assur *filio*

filio Sem. hinc Assyrij,*qui hodie* Syri.*Tibullus:*

Eoiq; Arabes, diues & Assyria.

Asta,*ciuitas æstuaria inter sacrum promõtorium, et Her culis columnas. alia est in Lyguria non longè à* Nona*ria distans, de qua Claudianus:*

—Nec plus Pollentia rebus

Contulit Ausonijs aut mœnia uindicis Astæ.

Astarcon, *seu* Astarete,*ut inquit Cicero de Nat. deorum, mater fuit Veneris, quam postea Adoni nupsisse dicit.*

Asteria,*filia fuit Cei Titanis, quæ à Ioue in aquilam uerso uitiata est: ex quo concubitu natus est Hercules quidam, non ille monstrorum domitor. Hæc postea aduersus Iouem sentiens, & eius iram fugiens, deorum commiseratione in coturnicem uersa est, quæ Græce* ὄρτυξ *dicitur: nomenq; dedit insulæ, in quã aufugerat: ubi à Ioue in lapidem mutata est, undisq; immersa, & ab eisdem huc illuc agitata: quæ tandem ob susceptam Latonam supernatauit, & primo Neptuño & Doridi consecrata est, postea Delos dicta: in qua insula Latona Apollinem & Dianam peperit.*

Asterïon, *Achaiæ fluuius est in Nemea insula placide effluens. Statius: —Cum dixit, & æquis*

Fluctibus Asterion, &c.

Est etiam montis nomen in Argolico sinu.

Asteropeus,*filius fuit Pelagonij, qui audax iuuenis & robustus cum Pæonijs uenit Troianis in auxilium: & dum nimis suis uiribus confideret, undecimo die postquam ad Troiam uenerat, Achilli irato ob occisum Patroclum, occurrere ausus fuit, eundemq; & lacessere, & inde armis contendere non extimuit: à quo tamen*

misere cæsus interijt.

Astrēa, *filia Astrei & Auroræ, licet alij Iouis & Themidis faciant: quæ quoniam dijs fuit aduersus patrem & patruos, in cœlum assumpta est, & in Zodiaco locata ea in parte, quæ ab ea Virgo est nominata.* Ouid.

Vltima cœlestum terras Astrea reliquit.

Astrēus, *filius fuit Titanis & terræ, qui cum Aurora cōcubuit, & ex ea Astream uirginem, necnon & omnes uentos genuit: quos, cum fratres aduersus Iouem bellū mouissent, omnes armauit, & in superos emisit.* Ouid. *lib. 5.* Metamor.

Occidit Enceladus *Mēdesius, occidit Astreus.*

Astura, *Hispaniæ fluuius est, à quo* Astures, *Hispaniæ populi dicti.* Luca. *lib. 4.*

His præter Latias acies erat impiger Astur.

Asturia, *regio & ciuitas est Hispaniæ, prope Lusitaniā, ab Astura fluuio sic dicta, ubi sunt breues equi, sed incessu ueloces, qui* Asturcones *uocantur.*

Astyages, *ultimus rex Medorum, à Cyro nepote, quem infantem exposuerat, regno priuatus est, ut autor est Iustinus lib. 1.*

Astyanax, *unicus fuit filius* Hectoris *ex Andromache, natus post inchoatum bellum inter Troianos & Græcos, quem Vlysses antequam naues è Sigæo soluerent, è turri mira inhumanitate dedit in præceps, ne quid reliquiarum superesset, quod excidium Troiæ & populi ruinam ulcisceretur.* Hector *ut plurimum uocabat Scamandrum.* Verg. *lib. 2.* Aeneid.

–Paruumq; manu Astyanacta trahebat.

Astydamia, *Ormeni filia, quam Hercules patre prius occiso rapuit.* Ouidius:

Nec

Nec referam partus Ormeni nympha tuos.

Astylus,*unus fuit ex Centauris,& quoniam augurio ualebat futura prænoscens,fratres monuerat, ne bellum aduersus* Lapithas *assumerent. sed exorto in nuptijs bello,ipse sibi timens,unà cum* Nesso *Centauro fugam arripuit.* De hoc ita Ouidius:

Astylus ille etiam metuenti uulnera Nesso,
Ne *fuge,ad* Herculeos,*inquit,seruaberis arcus.*

Astymedusa,Oedipi *fuit uxor:hanc enim repudiata matre(quam prius matrimonio sibi coniunxerat, sed incognitam)in uxorem duxit:quæ ut liberis prioris coniugis infensum parẽtem faceret (ut ferè omnium nouercarum mos est) apud patrem eos accusauit, tanquam qui se de stupro appellassent: quapropter* Oedipus *iratus regnum cruentum reliquit.*

Astynome, *alio nomine Chryseis*, *Chrysæ sacerdotis* Apollinis *fuit filia,quam* Achilles Lernesso *expugnato,secum abstulit,occiso eius uiro* Mynete,*uel, ut quidam codices habẽt,* Menete, *principe illius loci.* Vide *infrà* Chryseis.

Astyocha,*uirgo fuit, ex qua* Mars *genuit* Ascalaphum & Ialmerium *fratres,de quibus suprà.*

Astyochia,*quam* Hercules *ex* Ephyre Laconiæ *ciuitate rapuit,& ex ea* Tlepolemum *genuit.*

Astypalæa, *insula est in mari* Aegeo.Oui.*lib.2.de* Arte:

Cunctaq; piscosis Astypalæa uadis.

Astypale,*es,nomen ciuitatis eiusdem insulæ.*

A T.

Atabulus,*uentus in* Apulia *præcipuè spirans.*Horat.

Incipit ex illo uentos Apulia notos
Ostentare mihi,quos torret Atabulus,*&c.*

Atæon,

Atæon, *Aristæi filius ex Autonoë Cadmi et Hermionis filia, ut ait Ouidius.*

Atalanta, *uirgo uenatrix in Arcadia, filia Iasij Argiuorum regis, sed Ouidius lib. 8. Metam. hanc, & sequentem lib. 10. Metam. Schœnei filias facit, cũ inquit lib. 8.*

—Schœnei pulcherrima uirgo, &c.

Hæc uirginitatis conseruandæ studio Dianæ se dedit comitem, & unà cum cætera Achaiæ nobilitate iuuenum in Aetoliam à Meleagro Oenei regis filio, ad aprum Calydonium perimendum uocata, prima aprum sagitta percußit. Postea quoq; eidem Meleagro, à quo ob formæ elegantiam maxime diligebatur, nupsit, & ex eo Parthenopeum suscepit.

Atalanta, *Schœnei fuit filia in Scyro insula, ut habet Ouidius lib. 10. Metam. Hæc alio nomine à Propertio, quemadmodum et Hippodamia, Ischomache dicta est, quam idem Iasij filiam facit, cùm inquit:*

Menalion nullos fugiendo Tulle labores

Sæuitiam duræ contudit Iasidos.

Hæc itaque Atalanta cum pedum agilitate præstaret, cursu cum procis certabat, ea lege, ut ei, à quo uinceretur, nuberet, uictos autem occideret. Multis igitur superatis, Hippomenes Martis, uel ut Ouidius habet, Megarei filius, cum ea in certamen uenit, acceptis tamen prius à Venere tribus aureis malis, in Hesperidum horto natis: quæ curens sensim proiecit in terram: quibus colligendis illa retardata, ab Hippomene est superata. Itaq; pacta conditione nupsit. Porrò cùm in templo Cybeles neglecta religione coirent, dea irata eos in leones commutauit, suoq; currui subiugauit. Ouidius lib. 10. Metamorph.

—*Dubium Megareius heros*
Gaudeat an uirgo magis his Schœneia dictis.

Atax, *fluuius est Galliæ Narbonensis, in montibus* Pyre*næis ortum habens, in mare Tyrrhenum defluit, à quo* Atacini, *eiusdem fluuij accolæ. Lucanus:*

Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Ate, ἄτη, *Latinis noxa dicitur, ab Homero dea fingitur, quæ homines malis implicat, mentesq; seducit, & perturbat. cui repellendæ & placandæ Litæ Iouis filiæ oppositæ sunt: quæ tanto sunt tardiores, quanto noxa est grauior. Vide Erasmum in prouerbio, Ira omnium tardißimè senescit.*

Athămas, *Aeoli fuit filius, & Thebarum rex, qui Nephelen in uxorē duxit, & ex ea Hellen & Phrixum genuit. sed Nepheles insania Liberi patris concitata, cum in syluas abijsset, Athamas liberis suis Inoën Cadmi filiam superinduxit nouercam: quæ eos tot apud patrem accusationibus, tot dolis eò compulit, ut cōscenso aureo ariete (quem quidam ex Neptuno & Theophane genitum tradunt, & eius uellus à Phrixo Marti cōsecratum, postremò inter sidera relatum) fuga sibi consulerent. Quapropter Iuno irata furias in Athamantē immisit, quæ in tantam rabiem eum duxerunt, ut cum Inoën ad se ire uideret, hanc leænam, & filios suos eiusdem catulos arbitratus, rapto Learcho ex filijs altero, saxo illiserit: quod Inoë uidens, cum Melicerto, altera prole fugiēs se ex rupe, quæ Leucothea dicitur, in mare præcipitem dedit. Statius:*

Toruus adhuc Athamas insanos flecteret arcus.

Hinc Athamantis, *id est,* Helle *eiusdem filia.* Athamantiades, *id est, Athamantis filius.*

Athamas, *etiam est Thessaliæ mons, ut habet Plinius. inde* Athamantes, *populi. Luc. lib. 3.*

–Et uagus altis Dispersus syluis Athamas, &c.

Est etiam fluuij nomen, qui suo tactu, certo tamen tempore ligna incendit, ut autor est Ouidius:

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cùm luna recessit in orbes.

Athenæ, *clarissima quondam totius Græciæ urbs, inter Achaiam & Macedoniam, à Cecrope rege cõdita (unde etiam Cecropia dicebatur) cui Minerua nomen imposuit, quam Græci* ἀθήνην *appellant. Fuit autem hæc ciuitas omnium bonarum artium inuentrix, Philosophorum & Oratorum mater, & Poëtarum alumna. Verg. in Aetna:*

Nunc hic Cecropiæ uarijs spectantur Athenæ
Carminibus, gaudentq; sui uictrice Minerua.

Athenæum, *locus fuit Athenis, Mineruæ dicatus, ubi professores sua studia profitebantur.*

Athenodorus, *sculptor quidam fuit marmorarius: item alius Philosophus Candionis filius, à uico quodam Cananita dictus. Hic uirtutem sola uirtute metiebatur.*

Athesis, *fluuius Galliæ Cisalpinæ, in Tridentinis oritur Alpibus, cursu rapido Tridentum radit, deinde Veronam diuidens, haud procul à fossa Clodia Pado miscetur. Vergilius:*

Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum.

Athos, *mons est altißimus inter Macedoniam & Thraciam, quem Xerxes abscidisse fertur, & uelis fecisse peruium, unde à Iuuenale uelificatus dicitur. Montem hunc leporibus etiam abundare testatur Ouidius:*

Quot lepores in Atho, quot apes pascũtur in Hybla.

Atina, *urbs iuxta* Pontinas *paludes* Cāpaniæ, *quam* Ptolemæus *dixit fuisse* Latinorum *mediterraneam.* Verg.

Tela nouant Atina potēs, Tyburq́; superbum, &c.

Atlas, Iapeti & Clymenes, *uel secundum alios,* Asiæ *nymphæ filius,* Mauritaniæ *rex, qui primus cursum* Solis & Lunæ, *omniumq́; syderum rationes perspexit: hūc postea* Perseus (*cui* Atlas *hospitium denegauerat, eò quòd* Iouis *esset filius, à cuius natis, ut ex oraculo didicerat, regno erat priuādus*) *detecto* Gorgonis *capite in montem sui nominis commutauit: quem tantæ altitudinis esse ferunt, ut eius cacumen ad lunarem usque regionem pertingat.* Et *propterea fingunt poëtæ esse gigantem, qui cœlum suis humeris sustineat.* Hinc Atlantes, & Atlantides, *itē* Atlantiades, *huius mōtis accolæ.* Vergilius: —*Vbi cœlifer* Atlas

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Atlantæus, *a, um, possess.* Alius *fuit* Atlas Italiæ *rex, & pater* Electræ *uxoris* Coriti. *Alius itē fuit* Arcadiæ *rex, & pater* Maiæ, *ex qua natus est* Mercurius.

Atlantides, *dicuntur* Pleiades & Hyades, *ab* Atlante *eorum patre. de quibus infrà.* Vergil.

Antè tibi eoæ Atlantides abscondantur, &c.

Atlanticum mare, *pars* Aphricani *est, in* Mediterraneo, *à* Mulucha *fluuio* Mauros *à* Numidis *separante, incipiens, & ad occiduum uergens* Abylam *montem alluit, &* Ampelusia *promontorio terminatur.*

Atrăces, *populi sunt* Aetoliæ, *quibus nomē dedit* Atrax Aetoli *filius.* Atracia, *ipsa regio, unde* Atracis *dicta* Hippodamia. Ouid. in Epist.

An fera Centauris indicere bella coēgit

Atracis Aemonios Hippodamia uiros?

Atracius

Atracius,*a,um,poſſeßiuum.*

Atreus,*Pelopis & Hippodamiæ filius, & rex Mycenarum, qui cùm Thyeſten fratrem concubitu uxoris ſuæ Aeropes uſum comperiſſet, adeò egrè tulit, ut eum exilio mulctarit: ſed poſtea reuocauit, & ut magis commiſſum inceſtum uindicaret, ei proprios filios, quos ex Aerope ſuſceperat, commedendos appoſuit: cuius facinoris horrore, Sol retroceßiſſe fertur, reuocato ad auroram curru. Quod ut Thyeſtes ulciſceretur, cùm propria filia Pelopea concubuit, & ex ea Aegiſtum ſuſcepit, qui Atreum & eiuſdem filium Agamemnona interfecit.*

Atrīdæ,*dicti ſunt Agamemnon & Menelaus.*Horat.

–Neſtor componere lites

Inter Peliden feſtinat, & inter Atriden.

Atrŏpos,*Demorgonis filia,uel Herebi & Noctis, una eſt Parcarum. Vide in dictione Parcæ.*

Attabas,*et Numenius,latrones fuerũt famoſißimi,adeò ut prouerbio locum fecerint:*Conuenerunt *Attabas & Numenius.*

Attalus,*rex fuit Aſiæ,uel Pergami,qui à populo Romano donatus eo regno, cùm liberos non haberet,populum Romanum hæredem fecit: unde eius ſubſtantia amplißima Romam eſt allata. Hinc omnia magnifica Attalica dicuntur.* Propertius:

Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

Attica,*uel Atte, regio Græciæ inter Achaiam & Macedoniam, ab Attide Cranai Athenarum regis filia ſic dicta,cùm prius Actica diceretur,ab* ἀκτὴ,*id eſt,littus, quòd ea regio maximè littoralis ſit.*In *hac ſunt Athenæ & Marathon cãpus cum oppido eiuſdem nominis.*

Attella,

Attella, alij Acella scribunt, oppidum fuit Oscorum in Campania, ubi grande amphitheatrum erat, unde Attellanæ comœdiæ ioculares & scurriles uocãtur. Man.
Est locus Attellæ retinens cognomina priscæ.

Attilius Regulus, Consul Romanus, primo bello Punico, cum Carthaginiẽses sæpe uicisset, tandem per insidias captus, & postea Romam missus est à Carthaginiensibus pro permutandis captiuis: sed cum Romam uenisset, ipsemet permutationem dissuasit, & Carthaginem rediens, crudelißimè est necatus. De hoc multa Cicero lib. 3. Officiorum.

Attis, Cranai regis fuit filia. nonnunquam accipitur hoc nomen pro luscinia, ut Martialis:
Sic ubi multisona feruet sacer Attide lucus, &c.

Atys, puer fuit Phrygius adamatus à Cybele, qui ob uitiatam Sangaridem nympham, uel ut alijs placet, ipsam Cybelen, furore correptus, putans domos ruere, tectum omne diffugit, & per summa Dindymi montis Phrygiæ discurrens, arrepto cultro sibi ipsi uirilia amputauit, cuius sanguine porphyrites lapis conspersus, cum antea candidus esset, colorem mutauit. tandem è monte se præcipitem dedit, mutatusq; est in pinum, quæ adhuc Cybelæ sacra dicitur. Ouid. lib. 10. Metam.
—Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoq; indurauit illo, &c.

Atys, fluuius est, cuius meminit Claudianus, dicens:
Lucus erat prope flumen Atym, &c.

Atys, alius, fuit Crœsi, Lydiæ regis filius, qui diu mutus cum uidisset hostem leuasse gladium, ut patrem occideret, subito timore locutus est, necem patris deprecans.

Atys, alius, fuit ex India, ex Limniace Gangis filia progenitus

genitus:in Andromedæ nuptijs occisus est à Perseo.corripit autem primam.Ouid.lib.5.Metamorph.

–Erat Indus Atys,quem flumine Gange
Edita Limniace uitreis peperisse sub undis,&c.

Atys Syluius, *Albæ Syluij filius,quem Eusebius Aegyptium Syluium uocat.hic cum 29.annis regnasset,Capy filio relicto,diem clausit.*

Atys,*quidam fuit,cui Ismene Oedipi filia fuit desponsata,sed tamen ante nuptias à Tydeo interfectus est.*

Atys ,*alius,fuit ex Hercule & Omphale prognatus,qui filios habuit Lydum,à quo Lydia dicta est,& Tyrrhenum , à quo Tyrrheni appellati sunt. dequibus in sequentibus.*

A V.

Auella,*urbs est Campaniæ , abundans optimis nucibus, quæ dicuntur* Auellanæ. *Verg.*

Et qui maliferæ despectant mœnia Auellæ.

Auentinus,*Herculis fuit filius ex Rhea, ut habet Vergilius libro 7.Aeneidos:*

Victoresq; ostendit equos satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus,&c.

Hic Turno fuuit aduersus Aeneam.

Auentinus Syluius,*Romuli Syluij filius fuit, eiq; fulmine occiso in regno succeßit , & cùm annos 27. regnasset,relicto filio Proca mortuus est,& Romæ in eo monte,qui adhuc Auentinus dicitur,sepultus.*

Auernus,*lacus est Campaniæ prope Baias,ubi introitus ad inferos esse dicitur:dictus ab α & ὄρνις, id est , auis, quasi sine auibus:quoniam aues propter grauem halitum , quem ob arborum densitatem emittebat , superuolitare non poterant,ut testatur Verg.lib.6.Aeneid.*

Quam

Quam super haud ullæ poterant impune uolantes
Tendere iter pennis,&c. Item:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.
Hoc Augustus intelligens, disiectis syluis amœna reddidit loca. Porrò capitur plerunq; pro ipso inferorum loco, uel propter fœtorem, uel propter necromantiam, quæ ibi exercebatur.

Aufidus, *Apuliæ fluuius est, ex Hirpinis montibus oriens, & Canusium præterlabens in Adriaticum mare sese exonerat. Hic à quibusdã Canna uocatur, quo nomine uicus ei superimminens uocatur. Strabo uerò per ph, scribit, Auphidus, & lacum esse in Apulia tradit lib. 5. Horatius libro 3. Carmin.*
Dicar, quà uiolens obstrepit Aufidus, &c.

Auge, *αὔγη, uel* Augea, *mater fuit Telephi, quam Aleus pater nauclero submergendam dedit, quòd nõ crederet ab Hercule compreßam: & cùm ad mare deduceretur, in itinere peperit Telephum, de quo infrà. Ipsa uerò Auge, mercatoribus donata: qui eam in Cariam abductam Teuthranti regi dono dederunt, cui postea etiam nupsit. Alij dicunt Augẽ cum Telepho filio, quẽ enixa erat, à patre in urnã impositam, & in mare proiectam, Palladis auxilio ad Caici ostia peruenisse, & à Teuthrante exceptam, eidem nupsiße: Telephum pro filio educasse, eumq́; regni successorem instituisse.*

Augias, *Solis nomine, re autem ipsa Phorbantis ex Hirmine Nelei, seu Nictei, seu Epochi filius. hic cùm stabulum Herculi pacta mercede purgandum collocasset, isq; purgasset, de mercede tergiuersatus est: postea Phyleus Augiæ filius arbiter assumptus secundũ Herculem pronunciauit, quem ob id pater eiecit, eiectusq;*

Dulichium peruenit: sed postea reuocatus ab Hercule, qui Elim ob perfidiam Augiæ diripuerat, patri in regno successit.

Aulis, *regiuncula, & oppidum cum portu quinquaginta nauium capaci in Bœotia, ut inquit Strabo, ubi omnes Græci, sub Agamemnone, de Troiæ excidio coniurarunt. Vergilius libro quarto Aeneid.*

Non ego cum Danais Troianam excindere gẽtem,
Aulide iuraui, &c.

Lucanus genitiuum similem nominatiuo facit, inquiẽs:

Euripusq; trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.

Aulon, *mons Calabriæ contra Tarentinam regionem, ferax boni uini. Martialis:*

Nobilis & lanis & Baccho fertilis Aulon.

In eodẽ est oppidum eiusdem nominis. Est etiam nomẽ duarum urbium, quarum altera est in Macedonia, altera in Cilicia.

Aurora, *Titanis & Terræ filia, Luciferi & uentorum mater dicitur, eò quòd cum ea oriãtur. Hæc Tithonum Laomedontis fratrem rapiens cum eo concubuit, ex quo Memnona suscepit. Tithonum autem ita amauit, ut senem iam factum herbarum uirtute & ope medica iuuentuti restituerit. Dicitur & Cephalum aliquando amore eius capta rapuisse: unde Sappho apud Nasonẽ:*

Hunc ne pro Cephalo raperes Aurora timebam.
Et faceres, sed te prima rapina tenet.

Auson, *uel* Ausonius, *Vlyssis & Calypsus filius, à quo postea Italia dicta est* Ausonia, *& eiusdẽ populi* Ausones, Ausonij, *&* Ausonides.

Auster, *uentus est Meridionalis, nebulosus, et humidus:* certum

certum est hunc uentum esse exitialem, & morbosum. Dictus Auster quasi hauster, ab hauriendis aquis: alio nomine Notus. Vergilius:

Frigidus ut quōdā syluis immurmurat Auster, &c.

Autolia, ut alij Auticlia, Sinonis primi, uel ut cæteri, Autolyci filia, quæ cū Laërti Ithacæ regi nupsisset, à Sisypho latrone intercepta est, & compressa: ex quo concubitu natus est Vlysses.

Autololes, populi ualidißimi Tinganiæ prouinciæ, gēs Getula, per quam iter est ad Atlantem montem, ut inquit Plinius. Lucan. lib. 4.

–Populi tot castra sequuntur:
Autololes, Numidæq; uagi, &c.

Autolycus, filius Mercurij & Chiones Deucalionis filiæ, & ut quorūdam est opinio, auus Sinonis, qui Troiam Achiuis aperuit. hic solebat non modò se, sed etiā ea quæcunq; furto abigebat, uariè trāsformare. Ouid.

Nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne.

Automedon, alij Antomedon, Dioræ fuit filius, Achillis auriga, & Pyrrhi armiger. Verg.

Vnà ingēs Periphas, & equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon, &c.

Autonoê, Cadmi ex Hermione filia, & Aristæi coniux, ex quo peperit Actænem.

A X.

Axenum, mare dicitur, quod & Ponticū, & Euxinum dicitur: sic à truci incolarum barbarie appellatum.

Axius, seu Axus, fluuius est Macedonū, labiturq; in sinum Thermaicū: & ut ueteres tradiderunt, efficit pecudem nigram, quæ ex eo potarunt, diuersa ab Haliacmone uicino amne natura, qui uelleris nitorem potæ

ex se pecudi asseruat. Axius *etiam fluuius est* Paphla*gonum,per* Mygdoniam *fluens.*

Axona, *fluuius est in extremis* Remorum*: hinc* Axones,*illius fluuij accolæ.* Lucanus *libro* 1.

Et *Biturix,longisq́; leues* Axones *in armis.*

A Z.

Azan, *mons Arcadiæ, ubi Cybele colebatur.* Statius:

Venit *& Idæis ululatibus æmulus* Azan.

DE LITERA B.

B A.

BAbactes,& Bactes, *nomina sunt* Bacchi, *à* βάζω, *id est, clamo, ob bacchantium multifarium clamorem, & quia uino madidi huiusmodi uoces emittere consueuerunt.*

Babylon, *urbs est* Mesapotamiæ, Chaldæorum *metropolis, tantæ celebritatis, ut & reliqua* Mesopotamiæ *&* Assyriæ *pars dicta sit* Babylonia.*Condita est à* Semiramide *regina(quamuis sint, qui tantùm ab hac instauratam dicant, fundatamq́; duobus annorum millibus priusquam* Semiramis *regnaret)in uasta planicie, figura quadrata, in circuitu trecenta octoginta quinq; stadia continens.muros habuit ex coctili lapide,interfuso bitumine,latitudine quinquagenorum pedum,altitudine ducentorum,ita ut quadrigas inter se occurrētes reciperent, propterea etiam inter septem mundi miracula connumerantur: turres præterea trecentas, quinquagintáq; portas æreas, & nisi ex altera parte paludes obstitissent,multo plures habitura.Dicta est à confusione,ut sacræ literæ docent, propter linguarum confusionem eorū qui turrim ædificabant:Babel enim*

Hebræis

Hebræis confusio est. Ferunt tamen hanc à Cyro Persarum rege expugnatam. Lucan.lib.1.

Cumq; superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausonijs, &c. Alia fuit in Aegypto, à Cambyse Persarum rege Cyri filio condita.

Bacchæ, *uel* Baccha, *singulariter, itē* Bacchis, *idis, mulieres fuerūt Bacchi sacerdotes, quæ noctu ei sacrificabant alternis annis, in Parnaso, ut ait Perottus, uel secundum alios, in Cytherone monte Bœotiæ. Ouidius tamen post triennium eas Baccho sacra facere asserit, libro nono Metamorphoseos:*

Vtq; tuo motæ proles Semeleia thyrso
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ.

Dicūtur alijs nominibus Thyades, Mænades, Eleides, Edonides, Edoniæ, Enthyades, Bassarides, Triaterides, Mimallonides, & Mimallones.

Bacchanal, & Bacchanale, *locus in quo festa Bacchi celebrantur. Plautus: Ad Bacchicas ueni in Bacchanal coquinatum.*

Bacchanalia, *quæ & Dionysia, Bacchi festa, in quibus uiri per noctem fœminis & teneræ ætati turpiter miscebantur per dolum. Vnde est illud:*

Qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt.

Bacchemon, *Persei & Andromedæ filius, apud quosdā Orientales populos imperauit, qui postea ab Achemenide Bacchemonis filio, Achemenides appellati sunt: hi Apollinis ritus se inuenisse asserunt.*

Bacchiadæ, *ut Ouidius:* Bacchiades, *ut alij, populi fuerunt apud Corinthios, qui noctu Bacchi orgia celebrātes Actæonē Melißi filium discerpserūt. Quapropter cum Isthmia post hæc peragerentur, Melissus stans ante aram*

te arã Corinthijs dira imprecatus eſt, niſi filij ſui mortem uindicarent, & continuo ſe præcipitem dedit. Corinthij autem cum uererentur Actæonis mortem inultam relinquere, Bacchiades ex urbe eiecerunt, qui exules effecti in Siciliam peruenerunt. Ouidius:

–Bacchiadæ bimari gens orta Corintho, &c.

Bacchus, *filius fuit Iouis & Semeles. Iupiter enim cùm Semelẽ Cadmi filiam amaret, cũ ea concubuit: unde cũ facta eſſet prægnans, Iuno pellicem ulciſci ſtatuit. ſumpta itaque forma Beroës Epidauriæ, nutricis Semeles, anili greſſu eam adiens, perquiſiuit num à Ioue diligeretur: cui reſpõdit, arbitrari ſe diligi. Tum Iuno: Nõ potes mi filia, niſi uno modo cognoſcere: ſcilicet interpoſito Stygio iuramẽto, promittat eo pacto tecum cõiungi, quo Iunoni iungitur. Semele ergo experientiæ auida, per blanditias munus ab eo petijt, nullo addito nomine. Eligere eam quicquid uelit, Iupiter iubet, iuratq́; per Stygiam paludẽ daturum quidquid popoſcerit. Petit illa, ut talẽ ſe exhibeat, qualis ſolet cum Iunone cõcumbere. Ingemuit Iupiter, & ut iuramentò ſatis faceret, accepto fulmine infauſto munere illuſam à Iunone, amantẽ interimit, atq; infantẽ materno utero exectũ ſuo femori impoſuit: & ubi acceßit idoneum partui tẽpus, more grauidæ mulieris enixus eſt: unde Bimater, & bis genitus dicitur. Hunc primũ matertera eius Ino clàm nutriuit, poſtmodum nymphis tradidit, quæ etiã ei alimẽta dederũt: habuit itẽ Silenũ alũnum, qui à ruſticis captus, à Myda Baccho eſt reſtitutus. Currũ ei attribuũt, quem tigres & lynces ducũt, ſequiturq́; Bacchantiũ turba. Deus uini ab Ethnicis eſt habitus, quòd primus uini uſum inueniſſet: unde ſæpißime pro ipſo*

uino

uino ponitur. Primus itẽ uẽdere & emere instituit. Dia *dema regum, & triumphum inuenit. Sacer est ei Caper & Asinus: eò quòd ferulæ huic sunt gratißimæ, cæteris iumentis non item: ille autem, quòd uites rosisset.* Totam Indiam bello deuicit, & inde cum uictoria redeuntem Tamaritæ populi Hyrcanis proximi hospitio susceperunt, eiq; sacra instituerunt, actis circum torcularia choreis, quàm diu spumarent musta. ἀπὸ τοῦ βάζειν, id est, à clamando: solebant enim bacchantes clamare. Multa habet nomina, quorum multa Ouidius recenset, de quibus suo loco. Ab eo fit adiectiuum Bachæus, *a, um, apud* Stat.lib.3.Syl.

Bactra, *orum, Scythiæ prouincia, ultra Assyriam: à Bactro flumine sic appellata.* Est & Bactra *eiusdem regionis ciuitas.* Vergil.lib.2.Georg.

—Neq; Bactra neq; Indi
Laudibus Italiæ certent, &c.

Hinc Bactriani, *eiusdem regionis populi.*

Bænacus, *lacus est Cisalpinæ Galliæ, cuius littori Salundium* Brixanum *oppidum adiacet: ex hoc Mincius ortum sumens in Padum effluit.* Vergil.lib.2.Georg.

Fluctibus & fremitu assurgens Bænace marino.

Baiæ, *arum, ciuitas Campaniæ iuxta Lucrinum sinum, inter Puteolos & Misenum montem, in cuius agro aquæ calidæ sunt, & ad uoluptatem & morbos commodißimæ: & quia fertilitate ac copia rerum, ædificijs, litorumq; amœnitate præstabant, magna Romanorum multitudo ad eas confluere solebat.* Dictæ Baiæ à Baio Vlyßis *filio.* Horatius:

Nullus in orbe locus Baijs prælucet amœnis.

Baianus sinus, *qui hinc Miseno monte, illinc Puteolis*

clauditur.

Baleares, *duæ insulæ in mari mediterraneo, non longè ab* Hispania, *quas* Græci Gymnesias *uocāt, funda bellicosæ, quam etiam primùm eius incolæ inuenerunt. Sic dictæ* ἀπὸ τοῦ βάλλειν, *id est, à iaciendo: uel à* Baleo Herculis *comite, ibidem relicto.* Hodie Maiorica *&* Minorica *appellantur.* Hinc *fiunt adiect.* Balearis, *re, apud* Statium, *&* Balearicus, *a, um, apud* Ouid. *lib.* 2. *Meta.*

Non *secus exarsit, quàm quum* Balearica *plumbum*
Funda *iacit, &c.*

Balius, *&* Xanthus, *equi fuerunt* Achillis, *quos* Zephyrus *uentus ex* Podarge Harpyia *suscepit.*

Barce, *urbs est* Libyæ, *dicta à regina eorū* Barce: *hodie* Ptolemais *uocatur.* Barcæi, *huius urbis incolæ.* Claud.

Dissidet *occiduis quod dissidet arida* Barce.

Verg. *quoq; lib.* 4. Aenei. *Sichæi nutricē* Barcen *uocat.*

Bardi, *uates fuerunt in* Gallia, *qui fortium uirorum res gestas decantare solebant, unde* Lucan. *lib.* 1.

Vos *quoq; qui fortes animas, belloq; peremptas,*
Laudibus *in longum uates demittitis æuum,*
Plurima *securi fudistis carmina* Bardi.

Bargylia, *siue* Bargylos, *urbs in* Caria *à* Bellerophontis *comite* Bargylo, *quem* Pegasus *occidit, uocata: unde* Bargylici *campi.* Bargyletæ *dicuntur incolæ.*

Basiliscus, *serpens est, candida in capite macula, uelut diademate quodam ornatus. acutissimum habet caput, os rubeum, oculos & colorem ad nigredinē uergentes: sibilo omnes fugat serpētes, frutices afflatu etiā necat, exurit herbas, rumpit saxa, homines præterea solo aspectu necat: mustellarum tamen uirus huic exitio esse perhibetur.* Mantuan.

Natus

Natus in ardenti Libyæ Basiliscus arena
Vulnerat aspectu, luminibusq; necat.

Bassareus, *dictus est Bacchus, à bassare ueste, qua indutæ fuerant sacrificulæ.* Horatius:

Non ego te candide Bassareu Inuitum quatiã, &c.

Bassaris, *is, uel idis, Bacchi sacrificula, sic dicta à bassare ueste, quæ usq; ad pedes demittebat.* Conficiebatur *autẽ Bassaræ loco Lydiæ, unde etiam hoc nomĩnis habet.*

Bataui, *populi Germaniæ in insula Rheni.* Batauia di*citur regio. Variat autẽ huius dictionis quãtitas. Luca.*

Vangiones, Batauiq; truces, &c. Iuuenalis:

Hic petit Euphraten iuuenis domitorq; Batau.

Bathyllus, *filius fuit Phorci ex marino mõstro, puer admodum speciosus, Anacreontis poëtæ delicium.* Horat.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium, &c.

Battiades, *dicitur Callimachus, à Batto patre.* Ouid. in *Ibin:*

Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo teq; tuosq; modo.

Battis, *puella fuit formosißima, quam Philetas poëta elegiographus adamauit, suisq; carminibus celebrauit. Ouid. lib. 1. Trist.* Nec tantum Coo Battis amata suo.

Battus, *pastor quidam fuit equarum, de quo talem fabulã recitat Ouidius lib. 2. Metam. Cum Apollo Admeti regis armenta pasceret, Mercurius boues quasdã, quæ lõgius processerãt, furto abactas in sylua occultauit, Battoq; cuidam equarũ custodi, à quo uno uisus fuerat, mãdauit, ne cuipiã illud furtũ indicaret. quod ut libentius faceret, uaccã pulcherrimã ei dono dedit. Mercurius uerò abiens, ut hominis experiretur fidem, sumpta alia*

figura

figura paulò pòst ad eũ redit, rogans an uaccas quaſdã illuc tranſeuntes uidiſſet, pollicẽsq́; ſi indicaret, uaccã cum tauro daturũ. Battus *itaq; ſpe muneris corruptus, ſub quo monte paſcerentur, indicauit: ob quã perfidiã Mercurius eum in lapidem, qui* Index *dicitur, commutauit.* Ouid.

Senſerat hoc furtum nemo, niſi notus in illo
Rure ſenex, Battum *uicinia tota uocabat.*

Alius fuit rex Melitæ *inſulæ, de quo ſuprà in dictione* Anna. *Alius fuit* Battus Callimachi *pater.*

Batulum, *caſtellum eſt* Campaniæ, *cuius incolæ* Turno *in auxiliũ uenerunt aduerſus* Aeneã. Verg.*lib.*7.Aene.

Quiq; Rufas, Batulumq́; *tenent, &c.*

Baucis, *anus quædam fuit paupercula, uirum habens* Philemonem, *quo cum omnẽ uitam in cõcordia tranſegit. ad hos cũ* Iupiter *&* Mercurius *in homines mutati ueniſſẽt, pro loci & rei dignitate ſunt ſuſcepti, tãdẽ eorũ caſa in templũ eſt mutata:* Baucis *uerò &* Philemon, *dũ uiuebãt, ſacerdotes in eodẽ fuerũt: poſt mortẽ in arbores sũt cõuerſi, ut copioſè deſcribit* Ouid.*lib.*8. *Meta.*

Sed pia Baucis *anus, parilíq; ætate* Philemon.

Baule, *uillæ nomen eſt, quæ inter promontorium* Miſenum, Baiarumq́; *lacum flexo mari alluitur.* Dicta *quaſi* Boauli, *quòd* Hercules *illic boum ſtabulum fecit, quas* Geryoni *eripuit.*

Bauius, *&* Meuius, *poëtæ maleuoli fuerunt temporibus* Augusti, Vergilio *inimici.* Vergil.Eclo.3.

Qui Bauium *non odit, amet tua carmina* Meui.

B E.

Bebrycia, *regio eſt* Aſiæ, *quæ poſtea* Mygdonia, *deinde* Bithynia, *à* Bithyno *rege appellata eſt.* Bebryces, *populi*

puli eiuſdē regionis, quos Strabo Thraces fuiſſe putat.
Bebryciū *nemus, de quo ſuprà in dictione* Amycus.
Vergilius: —*Qui ſe*
Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat, &c.

Belgæ, *populi ſunt Galliæ, proximi Germanis circa Rhe ni oſtia. Sūt etiā nōnulli hoc nomine Rheni et Alpiū ui cini accolæ dicti, ut teſtatur Strabo in principio lib. 4.* Belgica *dicta eſt eorum regio, in qua primum inuenta fuere uehicula, quæ eſſeda uocauerunt. Vergilius:*
Belgica uel molli melius ferret eſſeda collo, &c.

Belides, *dicuntur quinquaginta filiæ Danai filij Beli, & fratris Aegiſti (quē alij Aegyptū uocant) Has cùm peteret Aegiſtus frater filijs ſuis, cui totidem erant numero, in uxores, Danaus deſpōdere noluit: didicerat enim ex oraculo, ſe à genero interfectum iri. Sed poſtea coactus à fratre, promiſit ſe Aegiſti petitioni ſatisfacturū. In nuptiarū autē nocte filias ſubornauit, ut clàm ſe cultris armarēt, & uiros iā uino lætitiaq; ſopitos iugularēt. Virgines itaq; patri obediētes, captato tēpore, necarūt uiros, unaquæq; ſuū, excepta ſola Hypermeſtra, quæ Lynceo ſeu Linouiro ſuo pepercit, qui poſtea expulſo Danao regnū apud Argos inuaſit. Quapropter dicunt reliquas ſorores ob tale nefas apud inferos hoc aßiduo agitari ſupplicio, ut haurientes aquas implere conentur urnas abſq; fundis. Ouidius:*
Moliriq; ſuis letum patruelibus auſæ,
Aßiduè repetunt, quas perdant Belides undas.

Belides, *media longa, filius, ſeu aliquis de genere Beli. Vt apud Vergilium lib. 2. Aeneid.*
Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, &c.

Bellero

Bellerophon, *uel* Bellerophontes, *filius fuit* Glauci *regis* Ephyræ*:sunt tamen qui* Neptuni *faciãt.ab initio dictus est* Hipponus,*postea uerò à* Bellero Corinthiorũ *primate, quem interfecerat,* Bellerophõtes *uocari cœpit. Adolescens autem forma & moribus conspicuus, à* Prœto *Argiuorum rege regno priuatus, iussus est eidẽ seruire.*Hunc *postea cũ uxor* Prœti Stenobœa,*ab alijs* Antia *dicta,miserè deperiret,ausa fuit eundẽ de stupro appellare. sed cum nullis precibus ad perpetrãdũ adulteriũ inducere posset,illa dolore repulsæ,indignata,adolescentẽ quãuis innocẽtem,apud uirũ accusauit. qui licet uehementissimè exacerbatus,domi tamen iuuenem occidere noluit,sed ad* Iobaten(*quẽ alij* Ariobatẽ, *alij* Heurien *nominant*) *socerũ &* Lyciæ *regem misit cum literis,quibus nũciabat uim filiæ inferre uoluisse.* Iobates *igitur ut clã ulcisceretur crimen,ad domandos* Solymos Bellerophontẽ *misit:putabat enim fore,ut in pugna caderet. quos ille facile deuicit. & cũ multis alijs eũ periculis obiecisset,ille uero semper uictor redijsset, tandem ad perimendã* Chimerã *misit.*Bellerophõ *itaq; sumpto à* Neptuno Pegaso *equo,ad monstrũ illud euolauit, atq; occidit.* Quapropter *rex iuuenis uirtutes admiratus,alteram filiam cum regni parte illi in uxorẽ dedit:quod* Stenobœa *audiẽs,sibi ipsi mortẽ consciuit.* Porrò *cum* Bellerophontes *ex rerum felici successu superbiens,in cœlum cum* Pegaso *uolare tentaret,* Iupiter *hanc audaciam ægrè ferẽs, œstrũ* Pegaso *immisit:à quo agitatus* Bellerophontem *excussit, ceciditq; in cãpũ,qui postea* Aleius *appellatus est.*Pegasus *autẽ à* Ioue *inter sidera relatus est.*Inde *fit adiect.*Bellerophõtæus,*a,um.*Proper.*lib.*3.

Visus

Visus eram molli recubare Heliconis in umbra
Bellerephontæi quà fluit humor equi.

Bellōna, *dea belli, & Martis soror. cuius tēplū erat exigua columna, super quam hostiam iaciebant, dum indicebatur bellum. huic sacerdotes proprio sanguine litabant. Vocabatur etiam Enyo & Pallas. Verg.*
Et consanguineo sequitur Bellona flagello.

Belus Priscus, *filius fuit Epaphi, uel ut alij, Neptuni & Libyes, qui primus apud Assyrios regnauit, cui etiam templū ædificarunt, eumq́; sub Saturni nomine sacris & uario cultu honorarunt.*

Belus, *alius, fuit Phœnicis, uir militaris scientiæ peritißimus, qui Cyprios Phœnicum littus infestantes piratica subegit, ut est apud Vergil. lib. 1. Aeneid.*
—Gemitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, &c.
Alio nomine dicebatur Metres, ut ait Seruius. Hinc patronymicū Belides: *&* Beliacus, *a, um, poss. apud Calentium, Beliaca Cyprus.*

Bembía, *uicus est Nemeæ: unde Nemeæus leo à poëtis* Bembinatis *bellua dicebatur. Plautus in Milite: Bēbinatidis belluæ instar: id est, Nemeæi leonis instar.*

Beneuentum, *urbs Campaniæ, cùm eò colonia deduceretur, boni ominis gratia uocari cœpit, nā antè Maleuentum dicebatur. À Diomede cōdita fertur. Iuxta hāc 3000. Samnitū sunt occisa, Sulpitio & Petilio Conss. Horat. lib. 1. Sermon. Saty. 5.*
Tendimus hinc rectà Beneuentum, ubi sedulus hospes, &c.

Berecynthes, *natio quædā est inter Phrygas, ut ait Strab. lib. 10.* Berecynthus *uero mōs est Phrygiæ, cū oppido*

eiusdem

eiusdẽ nominis, in quo Cybele mater Deûm priscorum more colebatur, ũde Berecynthia *dicta est. Verg. lib. 9.*

Ipsa Deûm genitrix fertur Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iouem, &c.

Berenice, *siue* Beronice, *Ptolemæi & Arsinoës filia, quam cùm Ptolemæus prædicti filius sororem suam in uxorẽ duxisset, nec multis diebus pòst cum exercitu in Asiam profectus esset, uouisse Berenicen tradunt, Si uictor Ptolemæus redisset, se crinem detonsurã, atq; eo uoto damnatam crinem in Veneris templo consecrasse: qui cum postridie non apparuisset, ægrè id ferente rege, Conõ mathematicus, gratiã regis captãs, dixit Ptolemæo crinem inter sidera uideri collocatũ, & quasdã uacuas figura septem stellas ostendit in cauda Leonis, easq; crinẽ esse cõfinxit. Est etiã urbis nomen in Syrte maiori locatæ, quã idẽ Ptolemæus condidit, & ab uxoris nomine dixit. Sillius Berenicis nominatiuum facit:*

Adfuit undosa cretus Berenicide miles.

Item alia fuit Herodis Iudæorum regis filia, & eiusdem postea uxor, ut refert Iuuenalis.

Bergion, *uide suprà* Albion.

Beroë, *Epidauriæ fuit Anus, & nutrix Semeles, in quam se mutauit Iuno, Semelæ persuasura, ut à Ioue ueram illius formam peteret, qua cum Iunone congredi soleret, ut superius de Baccho dictũ est. Et Beroës cuiusdam Dorycli Ismarij coniugis meminit Vergil. lib. 5.*

Fit Beroë Ismarij coniux longæua Dorycli, &c.

Berytus, *urbs Phœniciæ. Priscianus:*

Antiquamq; Tyron, Berytiq; & mœnia gratæ.

Bessi, *populi in Thracia, non procul à Ponto, qui maximam Aemi montis partem incolunt. Ouid. lib. 4. Trist.*

Viuere

Viuere quàm miserũ est inter Bessosq; Getasq;, &c.

Bethis, siue Bethys, siue ut quidam scribunt, Bætis, fluuius est, qui ex agro Tarraconensi demissus mediam Hispaniam perfluit, mox mari propinquus lacum efficit magnum, ac demum occidentalem intrat oceanum. Ab hoc dicta est regia Bethica. In ea quoq; tingebantur olim lanæ pulchro colore: unde Martialis:

Bethis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis uellera tingis aquis.

B I.

Bīanor, oris, antea Ocnus dictus, filius fuit Mantus fatidicæ & Thusci fluminis, qui Mantuam ciuitatem condidit, eamq; de matris nomine dixit. Verg. Eclog. 9.

—Namq; sepulchrum
Incipit apparere Bianoris, hic ubi densas, &c.

Bias Prienæus, unus è septem sapientibus: cuius patriam Prienam cum hostes cepissent, ipse fugiẽs, cum cæteris nihil rerum suarum secum tulit, dicẽs, Omnia mea mecum porto: nam fortuita bona non putabat sua. Sidon.

Prienæe Bia, quod plus tibi turba malorum, &c.

Alius fuit Bias Amithaonis filius.

Biblis, idos, filia Mileni & Cyanes, quæ cum fratrem Caunum miserè deperiret, eiusq; concubitum non posset assequi, laqueo gulā fregit, ut testatur Oui. de Arte:

Biblida quid referam, uetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas.

Sed libro 9. Metamorph. aliter hanc fabulam recenset, inquiens, Cum Biblis fratrem suum Caunum perditè amaret, eiq; ardorem suæ libidinis detexisset, ipse detestandam sororis cõcupiscentiam aspernatus fugam arripuit, quem illa amoris impatiens statim secuta est, &

h post

postquam omnem Cariam, Lyciamq́;, & Lelegas peragrauit, labore & dolore uicta consedit, multas effundens lacrymas: quapropter Naiadum commiseratione in fontem sui nominis permutata est. Ouidius:

Sic lacrymis consumpta suis Phœbeia Biblis,
Vertitur in fontem, qui nunc quoq; uallibus illis
Nomen habet dominæ, nigraq́; sub ilice manat.

Bilbilis, *ciuitas est Hispaniæ Celtiberiæ, unde Martialis poëta fuit oriundus, à Bilbili fluuio ei propinquo, sic dicta. Martialis:*

Videbis altam Licine Bilbilim.
Equis & armis nobilem, &c.

Bion, *Boristhenides philosophus fuit, & sophista callidus. Fuerunt & alij nouem Biones, ut testatur Laërt.*

Bisaltæ, *populi sunt Scythici, qui fugiētes equorum sanguine aluntur lacte permixto. sic dicti uel à Bisalte fluuio, uel à Bisalto Solis & Terræ filio, ut author est Plinius. Verg. lib. 3. Georg.*

Bisaltæ quo more solent, acerq́; Gelonus, &c.

Bistonis, *stagnum & ciuitas in Thracia, à Bistone rege sic dicta, hinc* Bistonia, *ipsa Thracia: &* Bistones, *populi. Ouidius:*

Tuta tamen bello Bistonis ora fuit:

Inde sunt Bistonius, *&* Bistonicus, *a, um, possessiua.*

Bithynia, *regio minoris Asiæ, ad Pontum sita, et Troadi proxima, primùm Bebrycia, deinde Mygdonia, postea Bithynia, à Bithyno rege appellata. Quidam tradunt Thynos populos transisse ex Europa, & hanc regionem occupasse, & hinc Bithyniam & Bithynos nominatos. Claudianus:*

Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.

Iuuenalis

Iuuenalis uerò primam corripuit:

Quanquam Cappadoces faciant equitesq́; Bithyni.

Hinc Bithynus, *&* Bithynicus,*a,um.* Bithynum *ciuitas huius regionis, à qua* Bithyniatæ, *&* Bithynienſes,*populi.*

Bitias,*&* Pandarus,*fratres fuerũt ex Alcanore Troiano geniti, quos Hiera in ſyluis nutriuit. Hi cum Aenea in Italiam uenerunt: & cum apertis etiam portis auſi eſſent Rutulos laceſſere, ab iiſdem ſunt trucidati. Vergilius libro 9.*

Pandarus & Bitias Idæo Alcanore nati,&c.

Alius fuit Bithias inter proceres Didonis, cuius meminit Verg.lib.1.Aeneid.

Bituriges,*populi liberi in Aquitania, qui dicũtur etiam Cubi, autore Plinio: itẽ Ioſci, ut ait Strabo. Luca.lib.1.*

Et Biturix, longisq́; leues Axones in armis.

Bizen,*ciuitas eſt Thraciæ: &* Bizia *arx regum, à Terei nefando crimine harundinibus inuiſa.*

B L.

Blene,*arum, populi ſunt Aphricæ, faciem in pectore habentes. Claudianus:*

Errat per Meroên, Blenasq́; feros, atramq́; Syenen.

B O.

Bocchus, *rex fuit Mauritaniæ, amicus populo Rom. ut teſtatur Salluſtius in bello Iugurthino. Huic ſucceſſit Iuba, de quo alibi.*

Bœbeïs, *lacus eſt Theſſaliæ iuxta Oſſam montem. Lucanus libro 7.*

Ire per Oſſæam rapidus Bœbeida ſanguis.

Bœotia,*regio eſt Græciæ, in longum ad Atticam ſe protendens, triplici alluitur pelago, pluribusq́; abundat*

portubus.Hinc Bœotij eiusdē regionis populi. Dictā autē uolunt à boue, quem Cadmus Agenoris Thebarum conditor immolauit, antequàm urbem conderet, quam postea Amphion muris ornauit. Ouidius:

Mœnia fac condas, Bœotiaq; illa uocato.

Dionysius dicit eam appellatam à Bœto, quem Neptunus ex Arne Aeoli filia suscepit. Eius descriptionem uide apud Strabo.lib.9.

Bohēmia, regio est Germaniæ, cuius incolæ Bohemi prope Albim fluuium habitant, à quo Albicolæ dicuntur. Sic dicta à Bohemo principe. Quidam,

Te duce Pannonij sæuos fregere Bohemos.

Boij, populi Galliæ Cisalpinæ, inter Padum & Trebiā siti. Hi sæpißimè olim suam sedē mutarunt, ut autor est Strabo lib.7. Hodie Boiarij, & Bauari. Mant.

Tunc Celtæ, Boijq; truces, ex Alpibus altis, &c.

Bona dea, quam ueteres Faunam, siue Fauiam, siue (ut alij uolunt) Sentam dixere: hanc tantæ pudicitiæ fuisse ferunt, ut nemo illam, dum uixit, præter uirum suum, mas uiderit, nec nomen eius audierit: propter quod illi solæ mulieres Romanæ in aperto noctu sacrificabant, & Bonam deam nominabant. Quidam putant hanc Proserpinam esse, & idcirco ei porca rem diuinam fieri, quia segetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est.

Bonōnia, ciuitas est Italiæ, nō procul à Pado sita. Mant.

–Quà magna potensq;

Imperat Aemulio uicina Bononia Rheno.

Bononienses, eiusdem incolæ.

Boōtes, stellula est iuxta ursam maiorem, quæ alio nomine Arctophylax dicitur. Manil.

A tergo

A tergo uenit Arctophylax, idemq́; Bootes.
Vide *suprà*, Arcas.

Boreas, *uentus est, spirans inter Septentrionem & exortum solstitialem, Latine uocatur Aquilo, ab intẽpestuoso flatu. natura sua nubes dißipat, & aquas gelu constringit. Poëtæ eum Astrei filium faciũt, eumq́; Hyacinthum puerũ amasse tradunt, qui etiam ab Apolline diligebatur. uide infrà. Amauit præterea Orithyiã Erichthonij Athenarum regis filiam, quam & in coniugem postulauit: uerùm cùm non daretur, ui eam rapuit: ex qua postea Zethẽ & Calain suscepit. Fertur quoque pulcherrimas Dardani equas adamasse, & ex illis duodecim uelocißimos equos suscepisse.* Hinc Boræus, & Boreetis, *idis. Ouid. lib. 1. Metam.*

–Scythiam septemq́; triones Inuasit Boreas, &c.

Borysthenes, *fluuius est Scythiæ ad stadia sexcenta nauigabilis. inde* Borysthenidæ *populi Scythici eiusdẽ accolæ. Propertius:*

Gloria ad hybernos lata Borysthenidas.

Est etiam Borysthenes nomẽ oppidi fluuio adiacẽs: itẽ insula et portus in mari Euxino, ad ostiũ Borysthenis.

Bosphorus, *est angustus maris meatus iuxta Byzantium, per quem Pontus in Propontidem fluit: à transitu Iouis in bouem transformati sic nuncupatus. Hic Thracius dicitur. Alter est in introitu Mæotidos paludis, per quẽ in Pontum defluit & Cimmerius appellatur, à Cimmerijs populis septentrionalibus, qui eam partem incolunt. Lucan.*

Sic stat iners Scythicas astringens Bosphorus undas.

Bouillæ, *oppidum in Latio non procul ab urbe Roma, unde suburbanæ dicuntur ab Ouidio.*

Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bouillis.
Dictæ Bouillæ, quaſi bouis billæ, quòd eò uulnerata bos ſua trahens inteſtina deuenerit.

B R.

Brachmanes, *fuerunt Indorum ſapientes, qui ab omni carnis cibo abſtinebant: præcipuè autem ueritatem amplexabantur. De his multa Strabo lib. 15.*

Bragăda, *fluuius Aphricæ, iuxta Vticā in mare labitur: apud hunc ab Attilio Regulo & toto exercitu cū baliſtis & alijs armis ſerpens cētum & uiginti pedes longus, eſt occiſus. Syllius libro 5.*

Turbidus arentes lento pede ſulcat arenas
Bragada, &c.

Branchus, *ut ſcribit Lactantius, filius fuit Apollinis, ex filia Iaucis & Sucronis coniuge ſuſceptus: qui cum Apollinis malas deoſculatus eſſet, ab eo captus, coronā & uirgam accepit, cœpitq́; uaticinari, & ſubitò nunquam apparuit: poſt hoc ingens templū eſt ei ædificatum, quod* Brāchiadon, *nominarūt. Idem autor alibi dicit Branchum, quendam Theſſalum fuiſſe, ab Apolline maximè dilectū, cui poſt mortē in ſuo templo ſacra fieri idem iuſſit. Apollo* Branchiades *uocatur. Branchi meminit Statius lib. 3. Thebaid. & Strabo libro 14.*

Brennus, *dux fuit potentiſſimus Gallorum Senonū, qui cum trecentis armatorū millibus in Italiam irrumpens, primū Romanos apud Alliā fluuium profligauit, deinde ad urbem pergens eandē cepit, totamq́; exuſſit, præter Capitoliū, in quod nobilior iuuētus confugerat: ſed cùm & illud aggrederetur, Romani cū illo cōuenerūt, ut acceptis aliquot auri talentis obſidionē relinqueret. Cùm igitur aurum pēderetur, ipſe dux gladiū ſuū uagina*

gina educēs, & hūc pensari imperauit. sed cùm hoc Romani ut rem iniustā recusarent, atq; ita inuicē contēderent, Camillus exul, qui absens Dictator creatus, collectis aliquot legionibus, Gallos ex improuiso adortus est: qui relicto auro, cū maximo suorū detrimēto fuga sibi consulere coacti sunt. Camillus uerò eos continuò persequens ex Italia expulit. Postremò Brennus Apollinis Delphici templum prædæ causa ingressus, ira numinis se interfecit. Propert.

Torrida sacrilegum testantur limina Brennum.

Vide quoq; prouerbium, Quid nisi uictis dolor?

Briareus, Titanis & Terræ filius, secundū alios Cœli & Terræ, gigantū maximus, quem poëtæ centimanū fuisse tradunt, eumq́; cum reliquis gigantibus bellum contra deos gessisse, sed uictum ad inferos esse detrusum, interq́; monstrosos in uestibulo inferni excubias agere, Vergilius autor est libro 6. cum inquit:

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq́; biformes,
Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernæ.

Homerus uerò hūc summū Iouis fuisse amicum ostēdit. Cū enim Iuno, Neptunus, unà cum Pallade & alijs dijs aduersus Ioue coniurassent, & de catena facienda, qua eundem uinctum de cœlo traherent, in domo Nerei patris Thetidis deliberassent, Thetis omne cōsilium Ioui exposuit. Quamobrem Iupiter Briareum in cœlū uocauit: quem cum uidissent cōiurati, eò quòd fortißimus haberetur, ab inceptis destitêre, & sic defensus est Iupiter. Quidam putant hunc Briareum, Aegeona, & Gigen, eundem esse.

Briseïs, alio nomine Hippodamia, puella longè formosißima, quam Achilles expugnato Lernesso, siue, ut alij

scribunt, Lyrnesso *oppido, cum Astynome Chrysæ sacerdotis filia, rapuit, & hanc postea Agamemnoni concessit, illam uerò sibi reseruauit.* Vide *suprà de* Achille. *Propertius:*

Omnia formosam propter Briseida passus.

Britannia, *insula in* Oceano *septentrionali, triangula, ut ait Strabo lib. 4. & à* Britone *rege Britannia dicta, cùm antea Albion diceretur, ab albis montibus, qui nauigãtibus ad eam primò apparent: hodie Anglia uocatur.* Hinc Britannus, & Britannicus, *a, um.* Brito, *idem.* Vergilius *Ecloga prima:*

–Et penitus toto diuisos orbe Britannos. Iuuen.

Quã nec terribiles Cimbri, nec Britones ũquã, &c.

Britannicus, *nomẽ proprium filij Claudij ex Messalina, quem primò Germanicũ, mox Britannicũ nominauit: & quãuis eundem paruulũ sæpius manibus gestãs militibus commendasset, nihilominus tamen inter cœnandum ueneno est sublatus.* Iuuenal. *Saty. 6.*

Ostenditq; tuum generose Britannice uentrẽ, &c.

Britomartis, *nympha fuit Cretẽsis, Iouis & Charmes filia: quæ retia ad uenãdũ inuenit, ex quo Dictynna est appellata: quod causam præbuit, ut quidã Dictynnam & Dianam eandem esse putauerũt. Hæc, ut quorũdam opinio est, à Minoo rege Cretensi adamata, cũ eiusdem concubitum aliter fugere non posset, de rupe se in mare præcipitauit. Vide Vergilium in Ciri.*

Brixia, *urbs est Galliæ Cisalpinæ, à Germanis in Italiam transeuntibus condita.* Mantuanus:

Brixia magnorum genitrix animosa uirorum, &c.

Bromius, *uocatur Bacchus,* ἀπὸ τοῦ βρόμου, *id est, à strepitu & sono. Ouid. lib. 4. Metam.*

Thura dabãt, Bacchũq; uocant, Bromiumq; Lyæum.

Brontes,Steropes,& Pyracmon,*Cyclopes fuere insignioress, Neptuni ex Amphitrite filij (licet Hesiodus Cœli & Terræ dicat) qui Vulcano attributi,sub eo apud* Liparã *insulã,* Ioui *fulmina conficiũt.Dictus* Brõtes,*ἀπὸ τῆς βροντῆς,id est,tonitru.Steropes,ἀπὸ τῆς στεροπῆς,id est,à fulgure.Pyracmon,ἀπὸ τοῦ,πυρὸς καὶ ἄκμονος, id est,ab igne & incude,quasi ignita incus.Verg.li.8.*

Ferrum exercebant uasto Cyclopes in antro,
Brontesq́;,Steropesq́;, & nudus membra Pyracmõ.

Brotheus,*filius Vulcani & Mineruæ, deformi facie,ob quam dum plerisq; esset risui,animi dolore se in rogum coniecit.Ouid.in Ibin:*

Quodq́; ferunt Brotheũ fecisse cupidine mortis,
Des tua succenso membra cremanda rogo.

Brundusium,*urbs est Calabriæ,à Græcis condita, portu nobilis:hinc nauigatur ex Italia in Græciam.sic dicta à cerui capite,cui locus ille cum urbe uenit comparandus: nam lingua Mesapiorum Brundusium cerui caput nominatur. Lucanus libro secundo:*

Brundusij tutas conscendit Magnus in arces.

Brutij,populi *Italiæ ultimi Siciliam uersus, Lucanis uicini:dicti quasi bruti & obscœni.Et* Brutium promõtorium,*à Ptolemæo Scylleum uocatũ in extremo loco occidui cornu, ubi olim Sicilia Italiæ annexa fuisse putatur,sed postea maris sæuitia abscissa est.*

Brutus,*nomen fuit multorum Romanorum,Iunius Brutus primus fuit consul Rom.qui reges expulit,urbemq́; ab eorum imperio liberauit.De hoc Vergil.lib.6.*

—Animamq́; superbam Vltoris Bruti,&c.

Alius fuit M.Brutus,qui adiuuante Cassio Iulium Cæsarẽ in senatu interfecit,postea uerò in bello ab Augu-

sto uictus, sibi mortem consciuit.

B V.

Bubastus, *urbs est Aegypti, in qua religiosissimè olim colebatur Isis, quæ ab ea* Bubastis *appellatur. Ouidius lib. 9. —Cùm qua latrator Anubis,*
Sanctáq; Bubastis.

Bubasus, *Cariæ regio est, cuius mulieres ab Ouidio uocantur* Bubasides, *cum inquit lib. 4. Metamorph.*
Bubasides uidere nurus, &c.

Bucephalus, *quasi bouis caput, equus fuit Alexãdri Magni, quo semper in certaminibus utebatur.*

Bucephala, *siue* Bucephalia, *Indiæ urbs est, iuxta Hydaspen fluuium, ab Alexãdro cõdita: sic appellata à Bucephalo equo, qui cecidit ibidem in prælio, quo uicit Porum.*

Burgundia, *regio est Galliæ Celticæ, quam olim Sequani & Hedui tenuerunt. inde* Burgundio.

Busiris, *Neptuni filius ex Libya, Epaphi filia, et rex Aegypti crudelissimus, qui hospites suos mactabat: ad extremum ab Hercule, cui easdẽ insidias parabat, unà cũ Amphidamante filio, & præcone Chalbe, & ministris aræ, in qua hospites immolabat, interfectus est. Verg.*
—Aut illaudati nescit Busiridis aras.
Est etiam urbis nomen in Aegypto, ab eodem cõditæ.

Bura, *seu* Buris, *urbs est Achaiæ, cuius meminit Ouidius libro 15. Metamorph.*
Si quæras Helicen & Burin Achaiadas urbes, &c.

Buthes, *siue* Butes, *filius fuit Amyci, Bebryciorum regis, qui ob sæuitiam patris ab Argonautis cæsi, regno pulsus, paruo nauigio Drepanum in Siciliam cõfugit: ubi à Lycaste nobili meretrice hospitio susceptus est: à*

qua

qua cum ob formæ, morumq́; & ætatis elegantiam diligeretur, eius concubitu usus Erycen filiũ suscepit. Et quoniam Lycaste ob eximiam pulchritudinem Venus uocabatur, datus est locus fabulæ, Buthen uidelicet ex Venere filium Erycen suscepisse. Porrò Verg. lib. 5. Aeneid. Buthen à Darete iuxta tumulum Hectoris occisum dicit, inquiens:

Idemq́; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buthen immani corpore, qui se
Bebrycia ueniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.

Alius fuit Buthes Troianus, à Camilla occisus, ut testatur idem autor lib. 11.

Buthrotũ, urbs est Epiri ĩ Thesprotijs, in qua regnauit Helenus Priami filius, de quo infrà. Verg. lib. 3. Aenei.
–Et celsam Buthroti ascendimus arcem.

B Y.

Byrsa, Latinè corium significat. Quum Hiarbas Getulorum rex uellet expellere Didonem ex Libya, illa callide emit tantum soli, quantum teneri posset bubulo corio. Verum corium in tenuißima corrigia sectum tetendit, occupauitq́; 22. stadia: unde postea Carthaginem, quam condidit, & eiusdem arcem, ex illius facti nomine Byrsam dixerunt. Verg. lib. 1. Aeneid.

Mercatiq́; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum poßint circundare tergo, &c.

Byzantium, Thraciæ urbs, à Pausania Spartanorũ duce, siue à Byza, ut quidam uolunt, condita, à qua Byzantæ populi dicuntur. Postea à Constantino Cæsare ampliata, & Cõstantinopolis dicta est, imperij Orientalis caput: hodie uerò Turcarũ regia sedes, quã illi nõ

Constanti

Constantinopolim aut Byzantium, sed Czaroudom, id est, Cæsaris domum uocant. Ouid. lib. 1. Trist.

Quaq; tenent Ponti Byzantia littora fauces,
Hic locus est gemini ianua uasta maris.

Byzēres, siue Byzares, populi sunt Pontici, olim Chalybes appellati. Valer. Flac. lib. 5.

Byzeresq; uagi, Philitæq; & nomine dicta
Littora, &c.

DE LITERA C.

C A.

CAballinus fons est in mōte Helicone, à Græcis Hippocrene dictus, quem Pegasus, in eo loco saxū feriens, aperuit: unde & Pegaseus uocatur.

Caca, soror fuit Caci, quam quidam uolunt fratris furtū Herculi indicasse, & ob id meruisse ibidem diu ara sacrisq; uenerari. Sed longè aliter Vergilius lib. 8. & Ouidius lib. 1. Fastor. sentiunt.

Cacus, cuius iam quoq; mentio facta est, filius fuit Vulcani, qui Latium undique latrocinijs & incendijs infestabat: demum Herculis quoque ex Hispania, occiso Geryone, redeuntis, & apud Euandrum hospitantis, boues noctu cauda traxit in antrum suum: quas cum mane diminutas cerneret Hercules, nec quorsum errassent scire posset, fortè fortuna ad hoc antrum peruenit: sed cùm uestigia omnia foras uersa uideret, cum reliquis abijt: Abeuntibus autem cæteris, occlusæ boues aliarum desiderio mugierunt. Hercules igitur audito mugitu, Caci fraudem cognouit, raptáque claua iratus recurrit: sed Cacus spelunca fretus, in eadem se abscondit, clausis foribus ingenti saxo. Quod Hercules uidens, ad montis cacumen

cumen tendit, & ad extremum detecta maxima montis parte, in antrum desiliens, Cacum strangulauit, bouesq́; suas recepit, ut copiosè describit Vergilius libro octauo. Sunt qui affirmant hunc Cacum Euandri fuisse seruũ, qui in eo loco Italiæ omnia latrocinio & incẽdio uastauerit, & ob id Vulcani filiũ appellatũ. Ouidius fabulatur illum tricipitem fuisse, cùm inquit:

Mænalio iacuit fusus tria tempora ramo,
Cacus, &c.

Cadmus, *Agenoris fuit filius, qui apud Tyrum & Sidonem imperauit. Hic à patre missus ad perquirendam sororem suam Europam, quam Iupiter in taurum mutatus, rapuerat, & in Cretam transtulerat: cùm illam non inuenisset, nec ad patrem redire auderet, non procul à Parnaso monte consedit, ibiq́; Thebas condidit: regionem à Ioue Bœotiam nominauit, cum prius Aona uocaretur. Quum autẽ quosdam ex socijs à serpente necatos uidisset, serpentẽ occidit, eiq́; dentes euulsit, ac seuit, ex quibus nati sunt homines armati, qui omnes se statim mutuis uulneribus cõfecerũt, præter quinq́;, qui se Cadmo associarunt. Postremo ab Amphione & Zetho regno pulsus, ad Illyrios transiuit, ibiq́; deorũ cõmiseratione unà cum uxore Hermione, quam Ouidius Harmoniam uocat, Martis & Veneris filia, in serpentem est cõmutatus. Hic autore Plinio lapicidinas auri, metallorumq́; conflaturam, & sedecim literarum characteres, aliaq́; permulta inuenit. Filias habuit Semelen, Agauen, Inoẽn, & Autonoẽn. Hinc* Cadmeis *patronymic. itẽ* Cadmeius, *et* Cadmęus, *a, um, possess. ut, Cadmeia Tyrus, & Cadmææ Thebæ.*

Caduceus, *uel* Caduceum, *uirga fuit, quam cum Mercurius*

curius ab Apolline accepiſſet, eáq; manu tenens, in Arcadiã proficiſceretur, dracones duos ſimul ligatos, & inter ſe mutuò pugnantes inuenit: quibus cùm ille uirgam interpoſuiſſet, dicto citius prælium illorũ diremptum fuit. Ex qua re uirgam eam pacis uirgam habere cœpit: & poſteri eius rei exemplo, Mercurio uirgam deinceps duorũ draconũ ſimilitudine ubiq; affinxerũt. Sed de Caduceo copioſius Perottus. Hinc Mercurius Caducifer *dicitur. &* Caduceatores, *pacis legati.*

Cadurci, *populi ſunt Galliæ. Mantuanus:*

Aluerni, Meldiq; ſimul, fortesq; Cadurci.

Cæa, *ſiue* Cæos, *inſula eſt in mari Aegeo, à Cæo Titanis filio ſic dicta. Hanc Ptolemæus & uulgus nauticum* Ciam *appellant. Celebris eſt propter ueſtes bombycinas illic inuentas. Hodie ſub Venetorum imperio eſt. Vergilius lib. 1. Georgi.*

—Et cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci.

Hinc Cææus, *a, um.*

Cæcias, *uentus eſt, flans inter Aquilonem & exortum ſolſtitialem, quem Ariſtoteles ita flare dicit, ut nubes non procul pellat, ſed ad ſeſe uocet, ut inde natum ſit prouerbium, Mala ad ſe trahens, ut Cæcias nubes.*

Cæcilius, *poëta fuit comicus, de quo Horatius:*

Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.

Cæcubum, *Campaniæ oppidum, licet paludibus adiaceat, uini tamen eſt feraciſſimum. Martialis:*

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur arenis.

Cæcŭlus, *Vulcani fuit filius: huius enim mater cũ iuxta ignem ſederet, forte fortuna ſcintilla quædam in eiuſdẽ gremium euolauit, ex qua mulier concepit, peperitq; filium,*

filium, quem postea ob oculorum paruitatem, Cæculũ uocauit: qui adultus, cum sibi obijceretur, quòd Vulcani proles non esset, ab eodem rogauit, ut si eius esset filius, demonstraret. Ibi Vulcanus non diu commoratus, fulmen misit, à quo omnes qui non credebant, peremptí sunt: & hoc modo uerus Vulcani filius habitus est. Hic post multa latrocinia, Præneste oppidum condidit, ut demonstrat Maro lib. 7.

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis:
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inuentumq; focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus, &c.

Cælius, mons est in urbe Roma, à Cælio Vibeno nobilißimo Thuscorum duce sic appellatus, quem postea Tullus Hostilius addidit, ibiq; ipse habitauit, quo frequentius ab alijs habitaretur.

Cæneus, Elati filius, à prima ætate puella fuit forma uenustißima, adeo ut Neptunus illius forma tractus, cum ea concubuerit. in mercedem autem concubitus petijt illa, ut in uirũ mutaretur, & esset inuulnerabilis: quod factum est. Ceterùm cùm postea Cæneus superbia elatus contemptis dijs, iuberet Lapithas, quibus imperabat, per hastam suam iurare, Iupiter illius superbiam ultus est. Nã pugnãs cum Centauris, cum ferro uiolari nõ posset, tãtà arborũ mole oppressus est, ut uiuus sub terrã detruderetur, atq; hoc modo interijt. Post mortẽ autẽ in auẽ mutatũ dicit Ouid. lib. 12. Meta. —O salue

Maxime uir quondam, sed auis nunc unica Cæneus.

Verg. uerò lib. 6. Aene. post mortẽ in sexũ redijsse dicit:

It comes & iuuenis quondã, nunc fœmina Cæneus,
Rursus & in ueterem fato reuoluta figuram.

Cære,

Cære, *oppidum fuit Thusciæ, antea Agylla nominatũ, à Pelasgis è Thessalia profectis cõditũ. Deinde uerò Lydis, quos postea Tyrrhenos nominauerunt, aduersus Agyllinos bellũ gerentibus, cum quidam murũ subiens urbis nomen percontatus fuisset, eiq; à Thessalo quodã de muro, χαῖρε, quod significat salue, responsum esset, eo ueluti bono omine à Thuscis suscepto, captam urbẽ mutato priori nomine Cære uocauere: à quo* Cęrites, *&* Cæritana balnea. *Porrò duo tantũ huius nominis obliqui in usu esse traduntur. Cæritis. Vergilius:*

Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnẽ, &c.

Et Cærẽte media longa, licet hoc quidam possessiuum dicant. Vergil. lib. 10.

Qui Cærẽte domo, qui sunt Minionis in aruis, &c.

Vide prouerb. Cærite cæra digni.

Cæretum, *oppidum est Vmbriæ inter Spoletũ & Nursiam, à quo* Cæretani *appellantur.*

Cæsarea, *nomen est multarum urbium, quæ sic appellatæ sunt in honorem Augusti Cæsaris. Harum una est in maritimis Palæstinæ, quæ Pyrgus seu Turris Stratonis uocabatur. sed cùm postea Herodes eandem ampliaret, Cæsarea est dicta. Altera est Philippi, à Philippo Herodis filio, ad Libani montis radices ædificata, ubi sunt fontes Iordanis, & in honorem Augusti, Cæsarea nominata. Tertia est in Cappadocia, prius Moga, deinde à Cæsare Cæsarea nuncupata. Quarta est in Mauritania Iol nomine, quam cum Iuba Ptolemæi pater muniret, mutato nomine, Cæsaream dixit.*

Cæsenna, *urbs Flamminea prouinciæ.* Cæsennates, *eius incolæ: &* Cæsennatia uina, *quæ inter optima numerabantur.*

Ceyx

Cæyx, *Luciferi filius, & maritus Alcyones, qui cùm ob fratris casum in accipitrem mutati, ad Clarium oraculum consulendum ire uellet, diu ab uxore fuit remoratus: cùm uero illi promisisset, se intra duos mēses rediturum, abire permissus est. Sed in Aegeo mari tempestate deprahensus naufragium fecit, ibiq́; amissa naui unà cum socijs submersus, promißis stare non potuit. Vxor autem cum quotidie dijs pro uiri salute uota solueret, noctu per somnium monita est maritum perijsse. Mane igitur experrecta, ad littus, unde maritus soluerat, accessit, & dū infortunia sua quereretur, cadauer in mari longius aspexit: quod cum mariti esse cognouisset, ac per undas ad illud exilire uellet, deorum cōmiseratione in Alcyonem conuersa, ad os mariti aduolauit: qui oscula uxoris sentiens in auem eiusdem nominis commutatus est. Ouid. lib. 11.*

At iuuenes quærente moras Cæyce reducunt.

Caicus, *siue* Gaicus, *Mysiæ flumen est, Pergamum præterfluens, per campum, qui Caicus nominatur, in Elaiticum sinum defluit. Verg. lib. 4. Georgi.*

Saxosumq́; sonans Hipanis, Mysusq́; Caicus.

Caieta, *nomen mulieris Troianæ, quam alij Aeneæ, alij Ascanij, alij Creusæ nutricem faciunt. Hanc Aeneas ab inferis reuersus fato cesisse inueniens, eam non longè à Biano sinu sepelijt: ibiq́; & urbem condidit, quam unà cum adiacenti portu Caietam dixit. Verg. lib. 7.*

Tu quoq; littoribus nostris Aeneïa nutrix
Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

Strab. autor est Aeneā huius urbis fundamēta posuisse, & sinū ipsum in medio positū Caietam nominasse. Alij dicunt propter combustas naues Caietam fuisse appel-

 latam,

latam: est enim καίειν, urere.

Calabria, regio est Italiæ, extremitatem tenens uersus Siciliam, quã & Mesapiam & Iapigiam & Salẽtinam multi uocauerũt, ut docet Strab. li. 6. Calabri, populi.

Calais, & Zethes, filij fuere Coreæ ex Orithyia, qui cũ Argonautis Colchos profecti sunt, & cum inde sublato aureo uellere, reuerterentur, ad Phineum Arcadiæ regẽ diuerterunt: qui filios suos suasu Harpalices coniugis obcæcarat. cuius sceleris magnitudine dij permoti, & eundem oculis priuarunt, insuper Harpyias illi obiecerant, quæ omnia fœdabant. Ab hoc igitur cũ benignè essent suscepti, ut ei gratiam referrent, tam diras ac fœdas aues persequi constituerũt (erant enim iuuenes alati, & sagittandi arte præstantes) easq́; à Phinei regno prorsus abegerũt: & cùm usq; ad insulas Plotas ꝑsecuti forent, ab Iride admoniti sunt, ne ulterius Iouis canes persequerentur. Itaq; retrò reuersi, duabus insulis, in quibus Harpyias reliquerũt, Strophados, hoc est, conuersionis nomẽ imposuere, cùm antea Plotæ uocarentur. Occisi tandem hi duo fratres ab Hercule dicuntur: siue quia nauem Argo uersus Mysiã reuerti prohibuerant: siue quia cum eo in partitione munerũ, quæ Iason principibus Argonautarũ distribuerat, dissenserant: siue quia pater Boreas tempestate circa Cô insulam penè Herculem oppresserat. Ouid. lib. 6. Metam.

Barbaq́; dum rutulis aberat subnixa capillis,
Implumes Calaisq́; puer Zetesq́; fuerunt, &c.

Calauria, insula est iuxta Cretam, à Calauro Neptuni filio denominata. Est etiam urbs Locrorum, in qua Latona maximè colebatur: unde Ouid. lib. 7. Metam.

Calchas, augur, Thestoris filius, à quo Thestorides appellatur:

pellatur: qui cum Græcis ad expeditionẽ Troiæ profectus est: & quoniam diuinãdi arte plurimum præstabat, eius consilio multa gesta sunt. Nam in Aulide ostẽdit, quomodo placata Diana, uenti sedari possent: & apud Troiam in castris docuit, quæ ratio Apollinis, ut pestilentia cessaret, foret: & ex passere, quæ cum nouẽ pullis à Dracone uorabatur, indicauit decẽnalem obsidionem Troiæ futuram. Quapropter inter cæteros Achilli acceptißimus erat, adeò ut eius præsidio plerũq; defenderetur, præcipuè uerò cùm suaderet, Chryseidẽ patri reddẽdam esse: tum enim Agamemnon non solum in uatem, sed etiam in ipsum Achillẽ incẽsus ferebatur. Diruta autẽ Troia reuersus cum Amphilocho Amphiarai filio, terrestri itinere Colophonem, quæ urbs est Ioniæ, peruenit: & cùm in luco Apollinis Clarij extra urbem apud fanũ in Mopsum præstantißimum augurem incidisset, ei caprificum, quot ficus haberet, ut ait Hesiodus: prægnantem suem, quot porculos gereret, ut tradit Pherecides, proposuit: & cum Mopsus uera locutus esset, Calchas uerò minimè, præ animi ægritudine fatis ceßit. Sunt tamen, qui Calchantem suem, Mopsum uerò caprificũ proposuisse dicũt, & illum in diuinando errasse, hunc uerò minimè. Verg. lib. 2. Aenei.

Hic Ithacus magno uatem Calchanta tumultu
Protrahit in medios, &c.

Calciope, *soror fuit Absyrthi, & coniux Phryxi, ex quo Cytorum peperit. Ouid. in epist. Helen. ad Parid.*

Non erat Aeetes, ad quem despecta rediret,
Non Ipsea parens, Calciopeq; soror.

Cales, *plur. tantum, oppidum est Campaniæ, cuius meminit Verg. lib. 7. Quiq; Cales linquunt, &c.*

Calisto, filia fuit Lycaonis regis Arcadiæ, de qua supra in dictione Arcas. Proper. lib. 2.

Calisto Arcadios errauerat ursa per agros,
Hæc nocturna suo sidere uela regit.

Callimachus, poëta Græcus, Cyrenæus, Batti filius, discipulus Hermocratis, qui uixit apud Ptolemæum Philadelphum in honore præcipuo, fuitq; bibliothecæ præfectus.

Calliope, una est Musarum, cæteris excellentior, à bonitate uocis dicta. καλὸν enim bonum est, ὄψ, uox. Hanc poësin inuenisse tradunt. Verg. in Epigram.

Callirhoë, Acheloi filia, quæ Alcmeoni nupsit, ut copiosius suprà de eodem dictũ est. De hac Ouidius libro 9.

Callirhoë, ut habet Solinus, fons est Atticæ regionis, nouẽ habẽs capita & aquæductus. Papi. lib. 12. The.

Et quos Callirhoë nouies errantibus undis
Implicat, &c.

Alius est in Iudæa, Hierosolymis proximus.

Callisthenes, philosophus, Aristotelis discipulus, & consanguineus, qui cum Alexandro Magno in Asiam profectus est, ut eiusdem res gestas memoriæ proderet. sed cùm regem liberius insolentiæ argueret, ab eodem truncatis omnibus mẽbris cum cane in cauea clausus circũferri iussus est, tandem post longum cruciatum necatus. De hoc multa Seneca.

Calœnum, urbs Campaniæ in primis eximia, adiuncta Casilino. optimis uinis abundat. Horat.

Prælo domitam Caleno tu bibes uuam, &c.

Et Calœnũ uinũ, à καλός, id est, bonũ: οἶνος, uinũ. Iuue.

Occurrit matrona potẽs, quæ molle Calœnum, &c.

Calpe, mons est in extremis Hispaniæ, circuitu non magno,

gno, altitudine autem ingens, oppositus Abylæ mõti, una ex columnis Herculis, *in cuius radicibus est urbs* Calpe. Non longè post Gades *iacet insula eiusdem nominis.* Vide suprà Abyla. *Ausonius:*

Condiderat iam solis equos Tartesia Calpe.

Tartesia autem uocatur à Tarteso urbe sibi adiacẽte.

Calydon,*penult.produ.uel* Calydonia,*ciuitas est Aetoliæ,regia Oenei,patris Meleagri,propè quam Meleager uastißimum aprum cum Atalanta interfecit. Per hanc Euenus fluit. Lucanus:*

Et Meleagræam maculatus sanguine Neßi,
Euenus Calydona secat,&c.

Calydonis,*idos,mulier è Calydone, ut Deianira apud Ouid.in Epist.Est & in Britannia* Calydonia sylua *ingens,& è continẽti illuc nauigantibus primo occurrens,à qua Britanni Calydonij dicuntur.In hoc autem à superiori differt,quòd hoc nomen secũdam syllabam producat, & tertiam corripiat: illud uerò secundam corripiat, & tertiam producat.*

Nuda Calydonio sic uiscera præbuit urso.

Mittebantur enim inde ursi sæui & ingentes.

Calypso, *nympha, filia Atlantis, ut Homerus:Oceanĩ & Tethyos,ut alij habẽt. in Ogygia insula regnauit, quæ postea Calypsus nominari cœpit.Ad hanc peruenit Vlysses naufragus, ubi septem annis detentus est, licet Ouid.lib.4.de Ponto sex tantum dicat.*

An graue sex annis pulchram fouisse Calypso,
Aequoreamq; fuit,&c.

Camarina,*siue* Camerina, *colonia fuit Syracusanorũ in Sicilia,iuxta quam est eiusdem nominis palus fœtidißimi odoris.Verg.lib.3.*

–Et fatis nunquam concessa moueri,
Apparet Camarina procul, campiq; Geloi.

Cambyses, pen. prod. rex fuit Persarum, Cyri filius, de quo multa historici. Est etiam nomen fluuij in Hyrcania, qui non procul à mari cum Cyro flumine iunctus in Hyrcanium sinum effluit. Mela lib. 3. cap. 5.

Camerte, oppidum est Vmbriæ, in Picentinis montibus: à quo Camertes, eiusdem incolæ.

Camilla, regina Volscorum, Metabi & Casmillæ filia: cuius pater Metabus, propter inuidiam suorum pulsus, fugiens Dianæ eam uouit. cum autem iam adolesceret, solis armis studuit, iamq; in omni armorum genere instructissima Turno aduersus Aeneam in auxilium uenit, & post multas res præclarè gestas, ab Arūte occisa est, ut copiose describit Verg. li. 11. –Matrisq; uocauit
Nomine Casmillæ, mutilata parte Camillam.

Camillus, nobilis Romanus, qui maximam bellica uirtute gloriam sibi comparauit. Faliscos enim obsedit. Veios decēnali obsidione domuit. Gallos Senones (ut infrà de Brenno copiosius) Roma pepulit, quibus & Romanorum uexilla extorsit: unde assertor, id est, patriæ libertatis uindex dicitur. Verg. lib. 6.
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

Camirus, κάμιρος, urbs fuit in Rhodo, à Camiro Herculis filio, quem ex Iole Euryti regis filia susceperat. Quidam ex Homero:
Lindon, Ialysonq; dein, claramq; Camiron.

Campania, regio est Italiæ, sic dicta, quòd campestris sit. Sunt tamen qui à Capua urbe hoc nominis impositum cōtendant. Campani, uocātur illius populi. Iuue.
Prouida Pompeio dederat Campania febres.

Canăce, Aeoli filia, quæ cum Macareo fratre concum bens ex eo concepit, peperitq; filium: quem cũ per nutricem exponi curaret, infœlix infans se suo uagitu auo prodidit: qui ob execrandum filiorum amorem incẽsus, infantem canibus lacerandum proijci iußit: misitq; per satellitem filiæ gladium, ut eo pro meritis uteretur: uerum quid illa fecerit, non satis liquet. Macareus autem fugiens factus est Apollinis Delphici sacerdos.

Candăce, siue Candăcis, nomen fuit reginæ Aethiopũ, quæ Augusti tẽporibus regnauit, à qua postea omnes reginæ Candaces appellatæ sunt. Iuuenalis:

Candacis Aethiopum, &c.

Candauia, mons est Epiri, Illyriam à Macedonia diuidens. Lucanus lib. 6.

Deuia quà uastos aperit Candauia saltus, &c.

Candiope, Oenopionis filia, & Orionis soror (ut Theodontius asserit: sed aliter Ouidius, ut infrà de Orione tradit) quam cum frater in uenatione in antrum traxisset, uim illi intulit, & ex ea Hippolagum suscepit: quod cum Oenopion resciuisset, indignatus, filium exulatum abire iußit: qui oraculo edoctus, uersus Orientem in Thraciam cum Candiope & paruo filio delatus est, ibiq; ob insignes uirtutes in magno precio fuit.

Cannæ, arum, uicus Apuliæ, apud quam Annibal Romanos insigni clade affecit, cæsis quadraginta millibus peditum, & duobus millibus & septingentis equitum. Lucanus lib. 2. —Quod non in Punica nati

Tempora Cannarum fuimus, Trebiæq; iuuentus.

Canōpus, fuit oppidum in Aegypto, sic appellatum à Canopo gubernatore nauis Menelai, aspidis ictu defuncto, inde Nili ostiũ, cui adiacet, Canopicũ uocatur.

Veteres dicebant Canobus, & Canobita, Quintiliano teste, nos uero Canopus & Canopita. Verg. lib. 4. Geo.

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi.

Cantabri, *populi sunt Hispaniæ uersus Septentrionem, olim efferi, & ad arma nati, ut etiam fuerit negocium Augusto olim eam Hispaniæ partem subiugare. Hodie Gascones, item Vascones appellantur. Syllius:*

Cantaber ante omnes hyemisq́; æstusq́; famisq́;

Inuictus, &c. Cantabria, *regio: à qua* Cantabrius, & Cantabricus, *a, um, adiectiua.*

Canusion, *oppidũ est Apuliæ, ubi fit lana rutilo colore laudatissima, quæ* Canusina *dicitur. Et* Canusinatus, *uocatur qui est indutus Canusina ueste. Martial.*

Vt canusinatus nostro Syrus assere sudet, &c.

Capaneus, *maritus Eudones, qui in bello Thebano fulmine ictus interijt. quod ideo fingunt poëtæ, quoniã cùm scalis admotis muros conscendere uellet, iactu lapidum ab inimicis oppressus est. Ouid. lib. 4. Trist.*

Quum cecidit Capaneus subitò temerarius ictu.

Capena, *porta fuit Romanæ urbis, scaturiẽtibus fontibus propinqua, quam Italus rex ædificauit, alio nomine Appia uocata. Iuenal.*

Substitit ad ueteres arcus madidamq́; Capenam.

Caphāreus, *mons est altissimus Eubœæ, Hellespontum uersus, importuosus & formidulosus, propter scopulorum frequentiam, & crebros undarum uortices. Hic Nauplius Eubœæ rex mortem filij Palamedis Vlyssis dolo interfecti ultus est. Nam cùm Græci Troia diruta redirent, Nauplius facem in montis uertice posuit, ut locus fidem portus haberet: quò cùm uenissent, multi naufragium fecerunt. Verg. lib. 11.*

Sydus & Euboicæ cautes, ultorq́; Caphareus.

Capitolium, *arx fuit Romana, in mõte Capitolino sita, ab hominis capite ibidem reperto, dum fundamenta fo derent, sic dicta: antea enim mons iste Tarpeius uocabatur, à Tarpeia uirgine Vestali, quam ibidem Sabini scutis suis obrutam necarunt. uide infrà. Verg. lib. 6.*

Ille triũphata Capitolia ad alta Corintho, &c.

Cappadocia, *regio est Pontica, Armeniæ maiori confinis, à qua ab Euphrate diuiditur, à Cappadoce Nini filio, siue Cappadoce flumine sic nominata, cùm antea Leucosyria diceretur.* Cappadŏces, *populi. Persius:*

–Nec sit præstantior alter,

Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.

Vide Erasmum in prouerb. Tria cappa pessima.

Capua, *olim nobilis Campaniæ fuit ciuitas, quam à Capy Troiano & conditam, & sic appellatam, Vergil. autor est, libro 10.*

Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

Alij à Thusco rege sic nominatam uolunt, quòd uiso falconis augurio eam cõdiderit: significat enim Capys Hetrusca lingua falconem. Liuius à Capy Samnitum duce. Strabo lib. 5. hoc nominis impositum putat, quòd inter duodecim Campaniæ ciuitates sita, ferè illarum esset caput. Sidon. –Non sic Bacchæus opimam

Annibal ad Capuam perijt, &c.

Capys, *filius fuit Assaraci, & pater Anchisæ, ut inquit Ouid. –Tros est generatus ab illo.*

Assaracum creat hic, Assaracusq́; Capyn.

Alius fuit Capys, qui cum Aenea in Italiã uenit. Alius item fuit Capys Syluius, rex Albanorum.

Caria, *regio est Asiæ minoris inter Lyciam & Ioniam,*

ab Aquilone Mæandro flumine, ab Occidente Ionio & Myrthoo pelago, à Meridie Rhodiẽsi, ab ortu Lycijs & alijs gentibus clauditur. Sic dicta à Cara rege, qui primus auium auguria inuenisse dicitur. Huius Metropolis est Alicarnasus, in qua regnauit rex Mausolus, cui ibidem Artemisia coniux Mausoleum illud celebratissimum extrui fecit. Cares, *populi Cariæ, qui prius sub Minoë rege insulas habitabant, & tum Leleges dicebantur, sed sua ditione parum contenti magnam maritimæ oræ & mediterraneæ partem occuparunt, eaq; prioribus habitatoribus adimentes, qui & ipsi magna ex parte Leleges & Pelasgi erant. sed Iones & Dores, ut illatam iniuriam ulciscerentur, eos rursus, quamuis belli essent studiosissimi, suis finibus expulerunt. Martial.*

Aëre nec uacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Carinæ, *arum, Romæ dicebantur ædificia, facta in modũ carinarũ, quæ erant intra templũ Telluris. Alij addunt uicũ fuisse Romæ, ubi fuit domus Pompeij. Verg. lib. 8.*

—Passimq; armenta uidebant
Romanoq; foro, & lautis mugire carinis.

Carmania, *regio est ultra Persiam, cuius populi* Carmani *dicuntur. Lucan. lib. 3.*

Carmanosq; duces, quorum deflexus in Austrum.

Carmenta, *seu* Carmentis, *uates fuit Arcadica, mater Euãdri, prius uocabatur Nicostrata: uerùm ubi carminibus respõsa dare cœpit, Carmentis uocata est. ab hac* Carmentalis porta *Rom. nomẽ accepit, ut ait Verg.*

Et Carmentalem Romano nomine portam.

Postea uerò semper infausta habita est, quòd per hanc

sex & trecenti Fabij cum clientibus aduersus Veientes egreßi, ab ijsdem ad unum omnes sint interfecti.

Carni, populi, suprà quos Apenninus mons incumbit, Galliam togatam inhabitantes, Venetis uicini, quorum regio hodie Carniola uocatur.

Carpăthus, insula est in mari mediterraneo, contra Aegyptum, media uidelicet inter Rhodum & Cretam posita, ducentorum stadiorum circuitum habens, insignis quatuor urbibus: à qua uicinum mare ad Aegyptum uergens, Carpathium dicitur. Homerus:

Qui Nisyron habēt celsam Crapathumq; Casumq;.

Crapathum dixit pro Carpathum, per Metathesin.

Carræ, urbs est Aßyriæ M. Craßi clade nobilis. Lucan. lib. 1. —Miserando funere Crassus

Assyrias Latio maculauit sanguine Carras.

Carteia, oppidū est Hispaniæ, in monte Calpe, à Græcis Cartesos dicta, unde Cartesium littus Hispaniæ. Alio nomine Tartessus, siue Tartesus dicitur. Vide infrà.

Carthago, nobilißima Aphricæ urbs, & æmula Romani imperij, condita est à Didone Beli Tyri regis filia. Tria maxima bella geßit cum Romanis duce Annibale, quo deuicto tributaria facta est Romanis. Tandem cùm nullus bellorum finis esset, suadente Catone Maiore, funditus à Scipione deleta est. Vergil. lib. 4.

—Tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas.

Carthago noua, fuit in Hispania ab Hasdrubale, principe Carthaginis Aphricæ condita (quāuis nō desint, qui à Teucro Telamonio fundatam, ab Hasdrubale uerò ampliatam affirment) qui post primum bellum Carthaginiēsibus à Romanis illatum, conatus est iterū suæ Punicæ gentis ditionem ampliare. Noua autem dicitur

ad diffe

ad differentiam eius, quæ est in Aphrica. Demum à Sci*pione summis uiribus expugnata est.*

Caryſtos, *insula una est ex Cycladibus, sita in* Euboico *mari, uarij marmoris ferax, quondam* Chalcis *dicta.* Lucanus lib. 5.

Quà maris angustat fauces saxosa Carystos.

Inde Caryſtæus, *a, um.*

Caſius, *mons est Syriæ, prope Seleucum oppidum, cuius excelsa altitudo quarta uigilia orientem per tenebras solem aspicit, breui circumactu corporis diē noctemq́; pariter ostendens, ut ait Plinius. Alius mons est eiusdem nominis in promontorij modum accumulatus, qui Aegyptum à Syria disterminat. in eo iacet Iouis Casij templum, item Pompeij Magni, qui nō procul inde ab Aegyptijs dolo fuit interemptus, ut autor est Strabo.* Lucan. lib. 8. *–Manesq́; tuos placare licebit,*

Et *Casio perferre* Ioui, *&c.*

Sunt tamen & alij huius nominis montes.

Caſpij montes, *sunt iuxta mare Caspium, apud Armeniam & Hircaniam uersus Septentrionem, ubi etiam sunt* Caſpiæ portæ. *Hinc* Caſpij *&* Caſpiani, *populi, qui hos montes incolunt, & ad Caspium mare se protendunt.* Et Caſpium mare, *quod multi ex Scythico Oceano procreari tradunt: quibus Ptolemæus & Herodotus refragantur, dicentes quòd dulce sit, generetq́; serpentes. Vergilius lib. 6.*

Huius in aduentu iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent diuûm, &c.

Caſſandra, *Priami & Hecubæ filia, quæ cùm ob formæ elegantiam, ab Apolline amaretur, eidem corporis sui copiā promisit, si uates ab illo fieret: quod Apollo*

se

se facturum iuramento firmauit: sed cum illa promissis non staret, iratus deus fecit, ut eiusdem uaticinijs nulla fides adhiberetur, cum ex Helenæ raptu futura incommoda prædiceret. Postea desponsata fuit Chorœbo, ut ait Maro, Homerus uerò Orthryoneum nominat: qui in auxilium Troianis ueniens, in postrema nocte perijt. Hanc quoq; Aiax Oilei in Mineruæ templo uitiauit, ut superius auditum est. Tandem deuastata Troia Agamemnoni in sortem contigit, cui omnia fata, quæ à coniuge seruarentur, prædixit: sed more solito nihil ei creditũ est. Veniẽs igitur cũ Agamemnone domũ, cũ eodẽ in cõuiuio iussu Clytæmnestræ occisa est. Verg.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Alia fuit Cassandra Iobatis filia, quam Bellerophonti nupsisse Homerus autor est.

Cassiope, siue Cassiopea, Cephei Aethiopum regis uxor, & Andromedes mater: quæ cũ formæ præstantia multum excelleret, ausa fuit se cum nymphis conferre: quapropter illæ indignatæ filiã eius Andromedẽ marino alligarũt scopulo, ut à bellua deuoraretur: sed à Perseo liberata est. Tãdẽ oẽs inter astra relati sunt. Mant.

Solis equos supra fulgentem Cassiopeam.

Castalius, fons est in radicibus Parnasi montis, Musis sacer, à quo Castalides uocantur: sic dictus à Castalia uirgine, quæ Apollinis concubitum fugiens, se præcipitem dedit, ac postea in fontem, Deorum cõmiseratione permutata est. Vergilius lib. 3. Geor.

—Iuuat ire iugis, quà nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo, &c.

Castor, & Pollux, filij fuerunt Ledæ, à Ioue sub cygni forma compressæ. Hi igitur adulti in fortissimos uiros

euaserunt,

euaserũt: Pyratas fugarũt, & ob id maris Dij habẽtur, & maximè à nautis inuocantur. Deinde Colchos cum Argonautis profecti sunt, ad rapiendũ aureũ uellus, & inde redeuntes, Pollux in itinere Amycũ, Bebryciorũ regẽ, insidias ei struentem, interfecit. Domũ reuersi Helenam sororẽ à Theseo raptã recuperarunt. quæ cùm denuò à Paride esset abducta, cũ reliquis Græciæ principibus ad Troiã ire statuerũt, sed in itinere in cœlum sunt sublati, signũq; Geminorũ fecerũt. Porrò cùm Castor mortalis esset, alter uerò immortalis, petijt Pollux à patre Ioue, sibi cũ fratre immortalitatẽ partiri fas esset, quod impetrauit. Sed hæc ideo finguntur, quia duo sunt sydera, quorum altero occidente, alterũ protinus apparere incipit. Politian.

Vixq; bonũ frenis Castora frater amet.

Catana, siue Catina, *urbs est Siciliæ, prope Aetnam montem. Syllius:*

Tum Catinæ nimium ardenti uicina Typheo.

Catanensis, *aliquis ex hac urbe.*

Catilina, *ciuis fuit Romanus ex Patritiorũ genere, qui cum quibusdam alijs in patriæ suæ perniciem cõiurauit, sed Ciceronis opera urbe pulsus, foris exercitum congregauit, quo uicto & ipse occubuit. Lucan. lib. 7.*

Pacificas sæuus sensit Catilina secures.

Vide Sallustium de bello Catilinario.

Catillus, *Catilli, filij Amphiarai, fuit filius, qui cum fratribus Corate & Tyburtino, siue Tyburto, in Italiam uenit, ibiq; reliquis adiuuantibus Tybur oppidum cõdidit. Vide infrà. Vergilius libro septimo:*

Catillusq;, acerq; Coras, Argiua iuuentus, &c.

Catones, *duo fuerunt: M. Portius Cato Censorinus, &*

Cato

Cato minor Vticensis, prioris nepos, ambo seueritate, morumq; grauitate insignes: quorum res gestæ & sapienter dicta undiq; à scriptoribus decantantur. De *posteriore Lucanus lib.9.*

Sedit, & inuicti posuit se mente Catonis, &c.

Catthi, *populi sunt Germaniæ, Cheruscis & Hermunduris finitimi.*

Catullus, *poëta fuit Veronensis, natus Terentij Varronis ætate. Scripsit de passere suæ Lesbiæ: celebrauit nuptias Mallij. amauit Ipsithillam, & Clodiam, quam ficto nomine Lesbiam uocat. Scripsit & alia multa. Mortuus est Romæ. Ouid. lib. 2. de Tristib.*

Sic sua lasciuo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, &c.

Caucăsus, *altißimus & longißimus Scythiæ mons, multis scopulis frequens, cuius uertex perpetuis niuibus riget, in radicibus uerò, arboribus, herbis ueneficis, & uulturibus abundat. Vergilius libro quarto:*

–Sed duris genuit te cautibus horrēs Caucasus.

Caudis, *oppidum Samnitum*, unde Caudinæ furcæ, & Caudinæ fauces, *nobilitatæ insigni clade, quam Romanus exercitus duce Sp. Posthumio à Samnitibus accepit.*

Caulon, *qui &* Aulon, *mons est Calabriæ, boni uini abundans, ut testatur Horat, inquiens:*

Et amicus Caulon fertilis Baccho, &c.

In eo ciuitas est Caulonia, *siue* Aulonia, *quam Achiuos condidisse Strabo autor est. Verg. lib. 3. Aeneid.*

Caulonisq; arces & naufragum Scyllacæum, &c.

Caunus, *filius fuit Mileti, frater Biblidis. uide supra.*

Caunus, *oppidum Cariæ, iuxta quod Calbis fluuius labitur:*

bitur: & licet regio sit ualde felix, tamen omnes confitentur urbem & æstate, & autumno grauem esse propter æstus, pomorumq́; copiam. Inde adferebantur fici Cauneæ *dictæ.*

Cayster, *fluuius est Lydiæ, Sardibus proximus, qui multos amnes secum deferens, Asiam paludem præterlabitur, Ephesumq́; abluit: cygnis præterea abundat. Ab ambustione nomen habet, quòd propinquus sit Catacecaumenæ, quæ pars est Ephesiæ, regionis pratorridæ & deustæ similis, nullam præter uitem proferens arborem. Vergilius:*

–Atq; Asia circum

Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

C E.

Cebrion, κεβρίων, *filius fuit Priami, sed illegitimo thoro natus, qui à Patroclo saxo ictus interijt.*

Cecrops, *primus fuit Atheniensiũ rex, qui Athenas quoq; condidit: unde urbs* Cecropia, *est dicta: & eiusdem incolæ* Cecropidæ. Hinc Cecropius, *a, um. Verg.*

Cecropias innatus apes amor urget habendi.

Celæno, *una est ex Pleiadibus Atlantis & Pleiones nymphæ filia, cum qua Iupiter concubuit. Ouid.*

–Et te formosa Celæno,

Maiam & Electram, Taygetamq́; Ioui.

scilicet concubuisse ferunt. Vide infrà de Pleiadib.

Celēna, *æ, oppidum est Cãpaniæ, quondã Iunoni sacrũ, alij locum quendam esse affirmant. Vergilius lib. 7.*

Quiq́; Rufas Batuliq́; tenent, atq; arua Celenæ.

Celēnæ, *arum, urbs est Phrygiæ, in colle sita, licet Lactan. lib. 4. Libyæ dicat. Ouid. lib. 4. Fast.*

Inter ait uiridem Cybelen, altasq́; Celenas.

Hinc

Hinc Celenæus,*a*,*um*.

Celeno,*una est* Harpyiarum, Neptuni *&* Terræ *filia, soror* Ocypeles *&* Aëllûs,*quarum formam, & ubi habitent,describit* Verg.*lib*.3.Aeneid.

–Strophades stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno,quas dira Celeno,
Harpiæq; colunt aliæ,&c.

*Ab obscuritate nomẽ habent.*Vide *infrà de* Harpyijs.

Celtæ, *populi* Galliæ, *inter Sequanam & Garumnam fluuios habitantes,quorũ regio* Celtica *dicitur: sed hi sua ditione parum contenti, usq; ad Iberum Hispaniæ fluuium imperium suum extenderunt,& assumpta fluminis parte,*Celtiberi *uocati sunt, & regio* Celtiberia. *Lucan.libro* 4. *–Profugiq; à gente uetusta*
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Celticum *promontorium est Hispaniæ,ad mare protensum:&* Celtici,*eiusdem accolæ.*

Ceneum,*promontorium est* Eubœæ,*à quo* Iupiter Cenæus *appellatus est,quòd ibi præcipuè coleretur.*Hercules *enim ab Oechaliæ expugnatione rediens in eodẽ loco aram parenti construxit.* Ouid.

Victor ab Oechalia Cenæo sacra parabat
Vota Ioui,&c.

Cenina,*urbs* Italiæ,Romæ *uicina,à Cenite conditore sic denominata.* Ceninenses,*sunt eiusdẽ inhabitatores.*

Cenoniani,*populi sunt* Galliæ *Cisalpinæ ,quorum metropolis fuit* Brixia. *Mantuanus:*

Cenoniani acres,& non ignobile semen,
. Euganei ueteres,&c.

Centauri, *Ixionis & Nubis filij, qui finguntur humana facie, & equino tergo,unde nubigenæ,bimembres,&*

semiferi dicuntur. Hi *cùm in nuptijs Pirithoi cibo reple ti, uinoq; madentes, sponsam eidem auferre conarentur, à Theseo & socijs sunt superati. Bellum quoq; cũ Lapithis gesserunt, à quibus similiter uicti, fuga sibi consulere coacti sunt. Sunt tamẽ re uera populi Thessaliæ, iuxta Pelium montem, qui primi equos domuisse, & ex ijsdem pugnasse dicuntur. Sic appellati, quòd insessis equis boues œstris agitatas, stimulis ad tecta reuocauerint. est enim* κεντᾷν, *stimulare & pungere.* Verg. lib. 2. Georg. —Ille *furentes*

Centauros leto domuit, &c.

Inde Centaureus, *a, um.*

Cephălus, *Aeoli filius, siue ut alij tradunt,* Deionei, & *Aeoli nepos, Procrin Erichthei, uel secũdum Seruium,* Hyphili *regis filiam in uxorem habuit. sed non minus etiam diligebatur ab Aurora, quæ illi canem Lelapem, & duo hastilia, omnia, quæ uellet, contingentia (erat enim uenator insignis) dederat. Quapropter uxor suspicans maritum suum alterius mulieris amore captũ, furtim cum in syluam secuta est, & ut experiretur an alteram adamaret: inter uirgulta se abscõdit: cumq; maritum blanda uoce Auroram uocãtem audisset, mouit se paulum: quod Cephalus sentiens, feram ratus, iaculum immisit, atq; ita insciens uxorẽ interfecit.* Ouid.

Clarus erat Cephalus syluis, multæq; per herbam
Conciderant illo percutiente feræ.

Hunc *postea ab Aurora raptũ idẽ Ouid. autor est. neq; tamen desunt, qui à* Ioue *in lapidẽ cõuersum tradunt.*

Cepheus, *rex fuit* Aethiopum, *maritus Cassiopeæ, pater Andromedæ: quem cum uxore, filia, & genero* Perseo *inter astra translatum poëtæ fabulantur.* Cæsar Germ.

Iasides

Iasides etiam cœlum cum coniuge Cepheus,&c.

Cephisus, *fluuius est, per Bœotiam fluēs, magna ex parte torrētis instar in mare Phalerū se condit. Luca.lib.3.*

Bœctij coiere duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephisus aqua,&c.

Iuxta hunc enim amnē Deucalion & Pyrrha in Themidis templo sumpta huius fluminis aqua didicerunt, quomodo humanum genus reparari posset. Cephisidæ undæ, *&* Cephisia ora, *apud Ouid. Et* Cephisia, *Atticæ regio, à Cephiso amne sic appellata. Item* Cephisia, *fons Atticæ, sicut Callirhoë.*

Cerathus, *fluuius Cretæ, Gnosum urbem præterlabens. Vergilius in Cyri:*

Carpathium fugiens & flumina Ceratbæa.

Ceraunia, *siue* Ceraunij, *altissimi montes sunt Epiri, in mare usq; protēsi, qui Adriaticum mare ab Ionio separāt: dicti à fulminibus, quibus sæpe impetūtur.* κεραυνὸς *enim Græcis fulmē sonat. Ouid.lib. 2. de Ponto Eleg.6.*

Cum poteram recto transire Ceraunia uelo,
Vt fera uitarem saxa monendus eram.

Item Lucan.lib.5. Oraę; malignos
Ambraciæ portus, scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent,&c.

Acroceraunia uero, mōtes sunt inter Armenios & Iberas, dicti ab ἄκρον, *id est, summitas,* κεραυνὸς, *id est, fulmē.* Horat.lib.1.Carmi.Ode 3.

Qui uidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia.

Quamuis hic Acroceraunia pro Ceraunijs posita uidentur. De his Mela libro secundo, capite tertio.

Cerberus, *canis triceps & immanis in uestibulo inferni,*

qui humanis carnibus uescitur: & hinc nomen habere multi affirmant. Alij uero per Cerberum terram intelligunt, & Cerberum quasi κρεοβόρον *dictum uolunt, eò quòd à terra hominum corpora deuorentur. Vergilius libro quarto Georgic.*

–Tenuitq; inhians tria Cerberus ora.

Hunc quondã Hercules per Acherusiam specum traxisse dicitur. Vide suprà Acherusia, Aconitum, *item infrà* Hercules.

Cercion, *siue* Cercyon, *latro fuit insignis, quem Theseus totam Atticam regionem latrocinijs infestantem, immani ferocia & membrorum robore curuantẽ trabes, & altißimas pinus ad terram trahẽtem, ut hoc modo homines discerperet, apud Eleusim Atticæ urbem interemit. Ouid. lib. 7.*

Cercionis letum uidit Cerealis Eleusis.

Cercõpes, *duo fratres fuerunt, Passalus & Achemon. uide suprà* Achemon. *Ouid. lib. 14.*

Cercopum exosus, gentisq; admissa dolosæ, &c.

Ceres, *Saturni & Opis filia, frugum inuentrix, pro quibus etiam sæpißimè ponitur: quæ cùm Ioui fratri placuisset, ex eo Proserpinam peperit: quam à Plutone raptam cùm mater inuenire non posset, dolore percita, filiam accensis facibus maximo cum ululatu per totum orbem quæsiuit. Quo itinere ad Eleusium Atticæ regem peruenit, eius'que filium Triptolemum recens natum, pro nutrice aluit, patrem'que, qui infantem præter morem crescentem admiratus, nocturno tempore obseruauerat quid cum puero ageret, interfecit. Triptolemũ autẽ dato curru draconibus iuncto, qua ratione fruges essent serendæ, instituit: qui postea Eleusim*

ſim oppidum de patris nomine dictum condidit, ibiq́; Cereri ſacra fecit. Deinde cum ad Lyncum Scytharũ regem perueniſſet, ille uerò Triptolemi uitæ inſidiaret, Ceres irata eundem in animal ſui nomins transforma=uit. Tandem cum in Siciliam ad Cyanes fontẽ ueniſſet, ibiq́; inuento filiæ cingulo, ab Arethuſa eam apud inferos à ſe uiſam edocta eſſet, Plutonis audaciam apud Iouem accuſauit, qui dixit, illam ab inferis retrahi poſ=ſe, ſi nihil apud coſdem commediſſet. Sed accuſante A=ſcalapho, compertum eſt, eam tria, ſiue ut alij habent, ſeptẽ grana mali punici ex Plutonis uiridario guſtaſſe. Iupiter uerò quò Cereris dolorem mitigaret, ſanciuit, ut Proſerpina ſex anni mẽſibus cũ uiro eſſet, & totidẽ apud ſuperos cũ matre. Vide infrà. Multa habet nomi=na, ut Cybele, &c. de quibus ſuo loco. Verg. li. 4. Aen.

Legiferæ Cereri, Phœboq́;, patriq́; Lyæo.

Ceſperia, *ſiue* Caſperia, *urbs fuit Sabinorum, ex qua Turnum auxilium habuiſſe contra Aeneam, Maro au=tor eſt, libro 7. —Ceſperiamq́; colunt, &c.*

Ceus, *ſiue* Cæus, *ut quibuſdam placet, Titani & Terræ filius, qui ob Latonam filiam à Ioue ſtrupratam, ad=uerſus eundem arma mouit, ſed uictus perijt. Vergi=lius libro quarto Aenei.*

Extremam, ut perhibent, Ceo Enceladoq́; ſororem.

C H.

Chalcedon, *ſiue* Chalcedonia, *ciuitas eſt Aſiæ, iuxta Boſphorum Thracium, Byzantio oppoſita, quam Me=garenſes condiderunt.*

Chalciope, *filia fuit Eurypyli, quæ ab Hercule com=preſſa, Theſſalum peperit.*

Chalcis, *inſula eſt, quæ alio nomine Caryſtos appella=*

tur, de qua suprà. E*st etiam amplißimæ ciuitatis nomẽ in* Eubœa, *de qua* Lucan. *libro quinto:*

Chalcidos E*uboicæ uana spe rapte parabas.*

Hinc Chalcidicus, *a, um.* *Alia est in* Aetolia. *Alia item in* Elco *agro.*

Chaldæa, *regio est maioris* A*siæ*, A*rabiæ contermina, alio nomine* B*abylonia, à* B*abylone urbe, itẽ* A*ssyria.* H*uius incolæ olim cæteris astrologia maximè præstabant.*

Chalybes, *populi sunt in* P*onto iuxta* T*hermodontem fluuium, qui primi ferrum effoderunt, eiusq; usum inuenerunt.* V*ergilius:*

I*ndia mittit ebur, molles sua thura* S*abæi,*
E*t* C*halybes nudi ferrum, &c.*

Chalybs, *fluuius est* H*ispaniæ, in quo ferrũ optimè temperatur, unde eiusdem accolæ, quòd cæteros ferri præstantia superarent,* Chalybes *appellati sunt.* C*halybs aliquando capitur pro ipso ferro.* V*erg.lib.8.*

V*ulnificusq;* C*halybs uasta fornace liquescit.*

Chaonia, *pars est* E*piri montana: quæ prius* M*oloßia à* M*olosso* P*yrrhi filio nominabatur: postea ab* H*eleno, cui à* P*yrrho ea regio cum* A*ndromache coniuge concessa erat,* C*haonia dicta est, à* C*haone fratre suo, quẽ imprudẽs in uenatione occiderat.* V*erg.lib.3.* A*eneid.*

C*haoniamq; omnem* T*roiano à* C*haone dixit.*

Chaŏnes, *eiusdem populi.* I*nde* Chaonius, *a, um, &* Chaŏnis, *idos: ut,* C*haonis quercus.*

Charites, *tres sunt, quæ &* G*ratiæ.* V*ide suprà* Aglaia.

Charon, H*erebi &* N*octis filius,* A*cherontis nauta, ex una in alteram ripam mortuorum animas transuehit, ut fabulatur* V*erg.lib.6.*

Portitor

Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribilis squalore Charon, &c.

Charybdis, *mulier fuit rapacißima, quæ cùm Herculi uaccas rapuisset, à Ioue fulminata est, & in marinũ mõstrum mutata, quod est inter Calabriam & Siciliam, prope Taurominitanum littus, nautis admodum formidabile: crebris enim uorticibus infremere, aßiduisq; fluctuum concursibus quæq; rapta absorbere dicitur. Ouid. lib. 4. de Pont.*

Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis,
Ter licet epotet, ter uomat illa fretum.

Ad dextrum latus Scyllam habet. Vide prouerbium, Euitata Charybdi in Scyllam incidi.

Cherronesus, *siue* Chersonesus, *terra est ferè mari undiq; cincta, & quasi peninsula. Sunt autem quatuor Chersonesi insignes: ut Chersonesus Taurica, Thracia, Aurea, quæ est in India, & Cimbrica, quæ hodie Dacia & Dania uocatur.*

Chimæra, *mons est Lyciæ, igniuomus, continuis diebus & noctibus flammas, ut quondam Aetna, emittens: in cuius cacumine leones habitant, in medio uerò propter pascua capræ, in radicibus serpentes: unde poëtæ finxerunt monstrum esse, quod flammas euomat, caput & pectus habens leonis, caprinum uentrem, & caudam draconis. Lucret.*

Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimera.

Et quoniam Bellerophon Glauci filius eum montem habitabilem fecit, Chimæram occidisse traditur. Finxerunt præterea filiam fuisse Typhonis & Chedriæ. Hesiodus tamen ex Hydria natam affirmat.

Chione, *scortum fuit nobile, à niuis candore nomen habens.*

bens. de hac Chione Martialis, item Iuuenalis;
Et dubitas alta Chionen deducere sella.

Chios, insula est, Ioniæ littoribus adiacēs, inter Lesbum scilicet & Samum: in ea nascitur optimum uinū. Luca.
Quas Asine cautes, & quas Chios asperat undas.
Inde adiect. Chius, a, um, prima longa, Tibullus lib. 2.
Nec mihi fumosos ueteris proferte phalernos
Consulis, à Chio soluite uincla cado.

Chiron, Centaurus, Saturni & Phillyræ filius. Saturnus enim cum amaret Phillyram Oceani filiam, eius concubitu usus est, sed interueniente Opi coniuge, confestim se uertit in equum, ne cognosci posset. Phillyra autem concepit, peperitq; animal, cuius superior pars hominis, inferior uerò equi formam referebat. Porrò cùm excreuisset, in syluas abijt, ibiq; herbarum naturā ac potentiam edoctus, in præstantißimum medicum euasit. Postea à genero Peleo & Thetide filia accersitus, propter peritiam, probitatem, & iustitiam, quibus cæteros longè excellebat, Achillis pædagogus constitutus est, qui ab eo inter alia maximus cytharœdus effectus est. Docuit præterea Aesculapium medicinam, & Herculem Astrologiam. Postremo cùm grauiter uulneratus esset, Herculis sagitta Lernco ueneno perlita casu decidente per pedem, optauit mori. sed cum immortalis à parentibus esset natus, deorum commiseratione inter astra collocatus, sagittarij signum in Zodiaco constituit. Et quoniam auspicijs etiam plurimum ualebat, ante faciem eius ara posita est. Vergilius de duodecim signis:
Armatusq; arcu Chiron, & corniger hircus.

Chloris, filia Amphionis, quæ Neleo nupsit, eiq; Nestorem

ftorē aliosq́; complures filios peperit. A Diana, ob matris superbiam occisa.

Chloris, *alia, fuit nympha à Zephyro dilecta, quam & in uxorē duxit, ciq́; in munus amoris atq; uiolatæ pudicitiæ, omne ius in flores concesßit: eamq́; ex Chlore Floram uocauit. Fingitur Dea florum. Claudianus:*

Lampsacidæ flores candida Chlori tibi.

Chromis, *filius fuit Herculis, q equos Thraces habuit, quos pater occiso Diomede humanis carnibus uesci consuetos abduxerat. Hic cū Adrasto ad bellum Thebanum profectus est. Statius:*

It Chromis Hippodamusq́;, alter satus Hercule magno, &c. scilicet Chromis.

Chromios, *filius Nelei, & Chloridos, qui in ea pugna, quam Pilij & Meßenij aduersum Herculem gesserunt, cum decem fratribus occisus est. Alius fuit Priami filius, in bello Troiano à Diomede interfectus.*

Chryseïs, *prius Astynome, filia fuit Chrysæ sacerdotis Apollinis, ab Achille expugnato Lyrnesso oppido rapta, & postea Agamemnoni concessa. Chryses autem cum supplicaret Agamemnoni ut filiam sibi redderet, ille uero recusaret, Apollinem in auxiliū uocauit, qui Græcos tam grauiter peste afflixit, ut Agamemnon puellam patri restituere coactus fuerit. Quare maximè commotus, Bryseidem Achilli rapuit, unde nouū dißidium emersit, ut suprà de Bryseide auditum est.*

Chrysippus, *filius fuit Pelopis, quem cùm pater ualde amaret, nouerca eius Hippodamia id indignè ferens, liberos suos Atreum & Thyesten impulit, qui illum interfecerunt: ob quam rem à Pelope pulsi, in exilio uitam degerunt, donec pater è uiuis excederet. Alius*

fuit Chrysippus, philosophus Stoicus, auditor Cleanthis, ingeniosus, acutus, & in multis à Zenone & Cleanthe dissentiens. In dialecticis claruit: multa scripsit, sed nimis prolixè, ut ferunt.

Chrysotemis, Laodice, & Iphianassa, *filiæ fuerũt Agamemnonis & Clytæmnestræ. ex his unam Agamemnon Achilli obtulit, ut sibi generum illum associaret.*

Chyone, *filia fuit Dædalionis, quæ cum ob formæ elegãtiã à multis in uxorem peteretur, tandem Pæonio Epidauriensi nupsit. Porrò redeunte Mercurio à Cilleno monte, & Phœbo Delphis, ab ambobus uisa est: qui statim eius amore capti, cum separatim illius concubitũ petijsset Apollo, in noctẽ distulit: Mercurius autẽ non expectata nocte eã caduceo tetigit, & in altißimũ soporẽ alligauit, dormiẽtẽq; uitiauit, & disceßit. Deinde accedẽte nocte, Apollo accepta anus forma ad eã intrauit, oppreßitq́; : & sic ex utroq; concepit: peperitq́; Mercurio Autolicũ, de quo suprà: Apollini uerò Philammonem, qui carmine & cithara plurimum ualuit. Postea, quòd dijs placuisset, superbia elata, ausa fuit se Dianæ ob pulchritudinẽ præferre: qua re mota Diana sagittis eam interemit. Ouid. lib. 11.*

Nota erat huic Chyone, quæ dotatißima forma
Mille procis placuit, bis septem nubilis annis.

C I.

Cicones, *populi Thraciæ, iuxta Hebrum, quos Vlysses post dirutam Troiam uentis adactus debellauit, eorumq́; urbem Ismarum diripuit, paucis ex socijs perditis. Ouidius:*

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Cilicia, *prouincia est Asiæ iuxta Taurum montem, quæ olim usq; ad Pelusium Aegypti protendebatur, Lydis, Armenijs, Pamphylia, Cappadocia sub imperio consti tutis: mox ab Assyrijs subacta, in breuiorem modū circumscripta est. Nomen autem accepit à Cilice Agenoris filio.* Cilices, *dicuntur populi huius regionis, immanitate & crudelitate infames, ob hospitum deprædationes, & pyraticā, quam exercebant, uitam. Abundant optimo croco, qui nascitur apud Corycum Ciliciæ oppidum. Lucan. lib. 1.*

Post Cilicas'ue uagos, & lassi Pontica regis
Regna, &c.

Cillus, *Pelopis fuit auriga, qui in itinere antequam Pelops ad Oenomaū uenisset, obijt: cuius nomine* Cilla *oppidū, templumq;* Cillei *Apollinis à Pelope cōditū est.*

Cimbri, *populi Germaniæ, qui lingua Gallica latrones dicūtur. Hi parato maximo exercitu Romā cōtēderūt. Sed Marius uicto Iugurtha aduersus has prexit, quos etiā fugauit, castrisq; exuit. Erāt homines ingēti corpore, horrendis oculis. Inde* Cymbricus, *a, um, Claud.*

Illic Oceani stagnis excita supremis
Cymbrica tempestas, &c.

Cimmerij, *populi Septentrionales, perpetua abundantes caligine, ut ait Homerus. Apud hos Somni habitationem esse Ouidius libro undecimo fabulatur:*

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mōs cauus, ignaui domus & penetralia Somni, etc.

Cinga, *fluuius est Galliæ ex Picenis montibus in Iberum fluēs. Luca. lib. 1. — Quos Cinga pererrat Gurgite. etc.*

Cinna, *urbs est Thessaliæ, à Cinno gigante Cæi fratre condita, & sic appellata. Est etiam poëtæ nomen, qui*

temporibus

tẽporibus Vergilij uixit, ut ait Seruius ni Eclogam 9.

Cinyphs, *yphis, fluuius in extramis Aphricæ prope Garamantes, apud quem magni sunt hirci. Claud.*

–Quos uagus humectat Cinyphs, &c.

Cinyphius, *a, um, adiect. Verg. lib. 3. Georg.*

Cinyphij tondent hirci, &c.

Et Cinyphis, *dicitur ea Aphricæ regio.* & Cinyphes, *eiusdem populi.*

Circe, *filia fuit Solis & Persæ, Oceani filiæ, quæ ueneficijs studens, multarũ herbarũ uires inuenit, quãuis & à matre in ijs esset instructa. Itaq; Sarmatarũ regi coniugio iuncta, uirũ mox ueneno sustulit, & regno potita admodũ crudeliter illud administrabat, quãobrẽ ab incolis pulsa in Italiã peruenit, & non procul à Caieta Cãpaniæ oppido, in mõte, qui ex eius nomine* Circeus *uocatur, consedit: nã iste locus uarijs herbis, quibus ad ueneficia utebatur, maximè abũdat. Porrò cũ Glaucum marinũ deũ amaret, is uerò Scyllã puellã, zelo percita fontẽ nõ procul à mari, in qua Scylla se lauare cõsueuerat, ueneno infecit. Quamobrẽ dũ illa fontem intraret, repente usq; ad inguina in marinũ monstrũ mutata est.* Deinde *cũ ad hanc quoq; Vlysses peruenisset, socios eiusdẽ in bestias cõmutauit. Quod uidẽs Vlysses, prius à* Mercurio *accepta* Moly *herba, stricto gladio ad eã irruẽs, coẽgit ut socios pristinæ formæ restitueret: quod cum fecisset, eius amore capta per anni spatiũ apud se detinuit, peperitq; illi Telegonũ filiũ, cui nonnulli Latinũ regẽ addunt, deinde dimisit. Postea etiã Picũ Latinorũ regem, qui ea spreta Pomonã amabat, in auẽ sui nominis cõmutauit.* Inde Circeus, *a, um. Verg. lib. 7.*

Proxima Circeæ raduntur littora terræ,

Diues inaccessos ubi Solis filia lucos, &c.

Circeus, *mons est Campaniæ, in quo morata est Circe.*

Circeium, *uel* Circei, *oppidum in eodem monte.* Hinc Circeienses, *incolæ.*

Circius, *uentus est flans inter Corum & Septentrionẽ, uiolentia nulli inferior, unde & à turbine & uertigine nomen sumpsit. Hic solus Monœcum Galliæ portũ instabilem reddit. Luca. lib. 1. –Solus sua littora turbat Circius, & tuta prohibet statione Monœci.*

Cisseus, *rex fuit Thraciæ, pater Hecubæ, à quo* Cisseis *nominatur.* Vergilius:

Cisseis prægnans ignes enixa iugales, &c.

C ANTE L.

Clanius, *fluuius est Campaniæ, prope Neapolim, sic dictus, quòd eius ripæ uiolis abundent.* κλάνιον *enim Græcis uiola est.* Vergilius libro 2. Georg.

Et uacuis Clanius non æquus Acerris.

Clarium, *oppidum est Colophoniorum, in quo Apollo colebatur, & inde Clarium uocitatum multi affirmãt. Ouid. lib. 2. de Arte:*

Et Paros, & Clario Gelos amata deo.

Claros, *insula in mari Aegeo, una Cycladum, inter Tenedum & Chium, Apollini sacra, quẽ inde* Clarium *dictũ putant. Oui. lib. 1. Meta. –Mihi Delphica tellus, Et Claros & Tenedos Pataræáq; regia seruit.*

Clausus, *rex fuit Sabinorum, qui post exactos reges, cũ quinq; millibus clientum & amicorum* Romam *uenit, & susceptus habitandam urbis partem suscepit: ab eo postea & tribus & familia Claudia uocata est, ut habetur apud Maron. lib. 7.*

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum

Agmen

Agmen agens, magniq; ipse agminis instar
Claudia, nunc à quo diffunditur & tribus & gens.

Claudianus, *poëta fuit Aegyptius, qui sub* Theodosio *&* Honorio *Cæsaribus floruit, cuius adhuc multa poëmata extant.*

Clazomene, *es, siue* Clazomenæ, *arum, urbs est* Ioniæ *Asiaticæ.* Clazomenij, *eiusdem incolæ.* Hinc *adiect.* Clazomenius, *a, um, ut Clazomenia uina, quæ olim apud* Romanos *in precio fuerunt.*

Cleobulus *Lyndius, fuit unus ex septem Græciæ sapientibus.* *Sidonius:*

Lyndie quod Cleobule canis, modus optimus esto.

Cleonæ, *arum, Arcadiæ oppidum distans ab* Argo *stadijs 120. à Corintho uero 80. prope* Nemeam *syluã, ubi* Hercules *leonem interfecit, qui à loco* Cleonæns *dicitur.* *Ouidius lib. 6. Metam.*

–Humilesq; Cleonæ, Et *Nelea Pylos, &c.*

Cleopatra, *uxor fuit Phinei regis Thraciæ, ex quo Orythum & Crambim filios peperit. Alia fuit Aegypti regina* Dionysij *Auletis filia, quæ cum* Antonium *in sui amorem pellexisset, præter Syriæ & Arabiæ regnum, ausa fuit* Romanũ *quoq; imperiũ* Antoniũ *orare.* Quẽ *cum exorasset, sumptis cum eo armis in Augustum copias duxit. Sed uictis ab Augusto Antonianis nauali prælio, mulier meretrix cum adultero fugã dedit: quos cum Augustus persequeretur, Antonium ad inferendã sibi mortem cõpulit: quo extincto ubi nullum rebus afflictis subsidium uidit Cleopatra, brachium aspidi mordendum præbuit, ne in triumphum captiua duceretur.* *Statius lib. 3. Syl.*

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Ab

Ab ea fit Cleopatricus,*a,um, ut Cleopatricæ dapes apud Sidonium.*

Clio,*una est Musarum à gloria seu celebritate rerũ,quas canit,nomen habens:est enim Græcis* κλέειν *celebrare. Hanc,historiam inuenisse aiunt.unde Verg. in Epig.*

Clio gesta canens transactis tempora reddit.

Clitorius,*fons est Arcadiæ, qui potus uini odiũ inducit. Ouid.lib.15.*

Clitorio quicumq; sitim de fonte leuauit,
Vina fugit,gaudetq; meris abstemius undis.

Clitumnus,*fluuius est Vmbriæ apud Meuoniam deflu= ens, ex quo si pecora post conceptionem biberint, al= bos fœtus pariunt.Verg.lib.2.Geor.*

Hinc albi Clitumne greges,& maxima taurus
Victima,&c.

Clitus *Mantij fuit filius, qui ab Aurora raptus nunquã postea apparuit.*

Clœlia,*uirgo fuit Romana, quæ cum reliquis iuuenibus & uirginibus Porsenæ Hetruscorũ regi obses data,do= nec bellum componeretur,custodes rogauit,ut paula= tim discederent, dum se in proximo fluuio lauarent. Quare impetrata, cæteros omnes hortata est ut se se= querentur, ipsaq; primum fluuium tranare cœpit, re= liquæ sequebantur,atq; ita ad suos redierunt.Quapro pter in honorem Clœliæ posita est ei statua in uia,qua ad forum itur. Verg.lib.8.*

Et fluuium uinclis innaret Clœlia ruptis.

Cloto,*una est Parcarum,colum baiulans, Vide infrà de Parcis.Statius:*

Quid bonus ille deũm statuat, quid ferrea Clotho.

Clupea,*urbs Aphricæ littoralis, in promontorio Mer= curij.*

curij. Lucanus lib. 4.

Et Clupeam tenuit stationis littora notæ.

Clymēne, *Oceani & Tethyos filia, quæ cùm forma ualeret, Soli placuit, in cuius cōcubitū ueniēs, ex ea Phaëthontem & sorores peperit. Ouid. lib. 1. Metamor.*

Et tulit ad Clymenen Epaphi conuitia matrē, &c.

Inde Clymeneis, *idos, patronymicum. &* Clymeneius, *a, um, ut Clymeneia proles, id est, Phaëthon.*

Clitæmnestra, *Iouis & Ledæ filia, ex uno ouo cum Helena prognata. Hæc Agamemnoni nupsit. uide suprà* Aegistus, Agamemnon, Leda, *et* Orestes. *Ponta.*

Hocq; Clytæmnestre potuit formosa uideri, &c.

C N.

Cnosus, *uide infrà,* Gnosus.

C O.

Coatræ, *siue* Coastræ, *ciuitas ad Persidem, iuxta quam sunt arbores inauditæ magnitudinis. Lucan. lib. 3.*

Aethera tangentes syluas liquere Coatræ, &c.

Cocles, *uide infrà* Horatius Cocles.

Cocytus, *pe. prod. infernalis fluuius ex Styge oriens, à luctu nomen trahit.* κωκυτὸς *enim luctus est. Verg. lib. 6.*

Cocytusq; sinu labens circumuenit atro, &c.

Codrus, *rex fuit Atheniensium, qui cùm bellum gereretur cum Laconibus, extaretq; oraculū, illos posse uincere, quorum dux in bello caderet, sumpta humili ueste iuxta hostilia castra iurgio hostes ita lacessiuit, ut incognitus necaretur, atq; hoc modo uictoria penes suos esset. Vergilius Ecloga quinta:*

Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.

Colchis, *idos, regio est Asiæ iuxta pōtū, in qua iuga Caucasi ad Riphæos mōtes torquētur, altero latere in Eu-*

xinum

xinum & Meonin deuexa, altero in Caspium seu in Hyrcanum mare. In ea est Phasis amnis. Regnum fuit Aeetæ patris Medeæ, unde sæpissimè Colchis pro Medea sumitur. Martialis:

Ignipedes posset sine Colchide uincere tauros.

Colchi, *dicuntur populi.* Hinc Colchicus, & Colchiacus, *a, um.*

Collatina *porta Romæ, à Collatio oppido dicta, prope Romam.* Collatina *dea, quæ collibus præsidebat.*

Collina, *porta Romana, per quam ibatur ad collē Quirinalem. Eadem Salaria dicebatur. Ouidius:*

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina rege tenet.

Colophon, *urbs est Ioniæ clarissima: primum quòd in equestribus certaminibus plurimum ualuit, ut ubi bella difficulter componi potuerint, huius urbis equitatu dirimerentur: hinc natum adagium Colophonē addere, pro summā operi manum imponere. Deinde, quòd Colophonij nauales opes haberent amplissimas. Tertio quòd patria existeret multorum clarissimorum uirorum, & secundum quosdam Homeri.* Hinc Colophonius, & Collophoniacus, *a, um. Vergilius in Cyri:*

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

Colosse, *siue* Colossis, *ciuitas Phrygiæ prope Laodiceam, quæ temporibus Neronis cum Laodicea & Hierapoli urbibus Asiæ, terræmotu cecidit, ut inquit Orosius.* Colossenses, *eiusdem incolæ.*

Comagēna, *pars est Syriæ, iuxta Amanum, et Ciliciam, in qua aruspices claruerunt. Iuuenal.*

Tractato Armenius uel Comagenus aruspex.

Comata Gallia, *uide infrà,* Gallia.

Comum,*ciuitas Galliæ Ciſalpinæ iuxta Larium lacum, quæ cum mediocris Romanorum eſſet colonia, à multis Romanorum ducibus aucta eſt.* Comenſes, *eius incolæ.*

Cone,*inſula eſt ad oſtium Iſtri. Lucan.lib.3.*

–Et barbara Cone
Sarmaticas ubi perdit aquas,&c.

Conon,*Imperator Athenienſiũ egregius, quem reſpublica ſua omnibus inſulis præfecit: ipſe autem uictis Lacedæmonibus patriæ libertatem reſtituit. Alius fuit Conon, mathematicus inſignis, cuius meminit Vergilius Ecloga tertia:*

In medio duo ſigna Conon,& quis fuit alter,&c.

De hoc ſuprà etiam in dictione Berenice.

Conſtantinopolis, *dicta eſt urbs Byzantium, à Conſtantino Cæſare, qui eam ampliauit. Vide ſuprà.*

Coptus,*urbs fuit Aegyptiorum & Arabum communis, & mercium emporium inſigne, uergens ad mare rubrum. Iuuenalis Satyr.15.*

Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti.

Coralli,*populi ſunt Pontici, immanitate inſignes. Ouid. lib.4. de Ponto:*

Hic mea cui reticem, flauis niſi ſcripta Corallis?

Coras,*uide ſuprà,*Catillus.

Corduba,*ciuitas eſt Hiſpaniæ Bethicæ, patria Senecæ philoſophi,& Lucani poëtæ. Martial.*

Quà diues placidum Corduba Bethin amat.

Cordubenſis,*ſe, aliquis ex Corduba.*

Corcyra,*pe.prod. inſula eſt Epiro adiacens, uicina mari Adriatico, prius Melæna dicta, deinde Scheria, & Drepane, à Cerere, quæ tum temporis eam inhabitabat*

bat, antequam Phæaces in suam ditionem redigerent. Item Macris, à Macride Dionysij nutrice. Corcyra uerò à Corcyra Aesopi filia. Hodie Corfun appellant: Venetis paret. Lucan. lib. 2.

– Seu uela ferantur

In portus Corcyra tuos, &c.

Corinna, *nomen mulieris. Fuerunt autem tres huius nominis. Prima Thebana seu Tanagræa, Archelodori & Porratiæ filia, & Myrthidis discipula, quæ lyricorum principem Pindarum quinquies uicisse, & Epigrammatum quinque libros edidisse fertur. Secūda fuit Thesbia, ueterum monumentis plurimū celebrata. Tertia floruit Ouidij temporibus, ipsi poëtæ charißima. De hac Martial.*

Norat Nasonem sola Corinna suum.

Corinthus, *Achaiæ urbs ditißima, in medio Isthmi Peloponesiaci sita, quam Sisyphus latro condidisse fertur, Corcyramq́; nominasse. Postea Ephyre, ab Ephyre Oceani filia, ad extremum Corinthus à Corintho Orestis seu Iouis filio uocata est. Hæc cum olim opibus abundaret, Romani ueriti, ne aliquando de imperio cogitaret, misso exercitu, & duce Posthumio, eam uastauerunt. Verum ab Augusto restaurata est. Claruit ære laudatißimo, ex quo uasa fiebant admodum preciosa. Ouid. lib. 6. Metam.*

Orchomenosq́; ferax, & nobilis ære Corinthus, etc.

Corinthij, *ciues. itē* Corinthius, & Corinthiacus, *a, um.*

Cornelia, *Romana fuit matrona Aphricani maioris filia, Sempronij Gracchi uxor, Tyberij & Caij Gracchi mater, quos in bene dicendi arte, qua illa plurimum*

pollebat, ipsa instituit.

Cornelius Gallus, *poëta fuit elegiographus,* Foroiuliensis. *In Augusti fauore conscendit ad gradum Praeturae.* Euphorionem *Graecum in Latinum sermonem transtulit. Scripsit quatuor libros amorum suorum de Cythercide Volumij liberta, quam alio nomine Lycorida appellauit. haec eo contempto, Antonium secuta est in Galliam. Quapropter Vergilius eum Eclog.10. consolatur. Fuit primum summus Octauij amicus, sed postea suspitione coniurationis, quum in eius odiũ impegisset, sibi ipse mortẽ cõsciuit, anno aetatis 43. Oui. lib. 3. Eleg.*

Sanguinis atq; animae prodige Galle tuae.

Coroebus, *filius fuit Mygdonis, unde à Verg. Mygdonides appellatur. Hic incensus amore Cassandrae, quam etiam Priamus pater ei desponderat, ad Troiam uenit, socero & Phrygibus laturus auxilium, quantumuis à sponsa ipsi exitium, nisi abiret, esset praedictum. Nam ea nocte qua Ilium cecidit, occisus est à Peneleo quodam Graeco. Verg. lib. 2. Aeneid.*

–Iuuenisq; Coroebus
Mygdonides, illis qui ad Troiam forte diebus, &c.
Vide Prouerb. Stultior Coroebo.

Corõnis, *idos, alio nomine Arsinoê, nympha fuit, Phlegiae, uel ut alij tradunt, Leucippi filia: quae cùm forma esset non ineleganti, Apollini placuit, à quo uitiata, Aesculapium peperit. Sed postea ab ipso Apolline sagittis confossa est, quòd cum Elati filio, cui Ischys nomẽ fuerat, concubuisset. Vide suprà de* Aesculapio, *Ouidius libro secundo Metamorph.*

Pulchrior in tota, quàm Larissaea Coronis,
Non fuit Aemonia, &c.

Corona

Corōna, *urbs est in Peloponeso, à qua* Coroueus *sinus dictus est.* Coronea *etiam urbs est Bœotiæ.*

Corsica, *insula est in mari Ligustico, inter Italiam & Sardiniam, sic dicta à Corsa muliere: cuius taurus cum ex continenti in insulam tranasset, nomen quod habet, retulit. A' Græcis Cyrnos uocatur, à Cyrno Herculis filio, cùm antea Therapne nominaretur. Terra eius aspera est, & in multis locis inaccessibilis. Celebris est propter optimum uinum quod in ea crescit.*

Cortina, *pen. prod. siue* Gortina, *urbs est Cretæ, iuxta quā nascūtur calami sagittis aptißimi.* Hinc Verg. li. 11.

Spicula torquebat Lycio Cortinia cornu.

Corus, *uentus flans ab Occasu solstitiali, inter Circium & Zephyrum. Lucan. lib.* 1.

–Non Corus in illum Ius habet, &c.

Et ex cognatione literarum Caurus *uocatur. Verg. libro* 3. *Georg.*

In Boreā, Caurūq;, & unde nigerrimus Auster, &c.

Corybantes, *ministri fuerunt Cybeles, in Ida, monte Phrygiæ, qui cantando & saltando eiusdem Deæ sacra faciebant. Postea autem in Cretam nauigarunt, & occupato monte, hūc quoque Idam à nomine mōtis Phrygiæ uocauere: ubi Iouem infantem aluisse dicuntur: & ne Saturnus (qui cum Titano fratre conuenerat, se omne genus masculum deuoraturum) uagiētem audiret, tympana pulsauere. Sic dicti uel à Græca uoce* κόρυς, *id est, galerum, quòd galero quodam capite tecti incedebāt: uel quòd caput iactarēt, uel quòd apertis oculis more leporū dormire cogerētur, quod Græcis* κορυβαντιᾶν *est. Dicuntur & Curetes, item Caberi, à Cabero mōte: Idæi, ab Ida: Telchines præterea & Dactyli. Clau.*

Non te progenitum Cybeleius ære canoro
Lustrauit Corybas, &c.

Corybantia *æra, apud Maronem.*

Corycus, *mons, & urbs: Item portus, & specus (quod tamen quidam Corycium nominãt) Ciliciæ, ubi optimũ crocũ nascitur: à quo* Corycius, *a, um.* Hor. *li.* 2. *Ser.*

Coryciumq́; croco sparsum stetit, &c.

Corycides, *nymphæ à specu uocantur ab* Ouid. *libro* 1. Metamorph.

Coryneta, *latro fuit famosissimus, Vulcani filius, qui iuxta Epidaurum hospites claua quadam, quæ coryna dicebatur, peremit, unde & hoc nominis sibi sumpsit. prius enim Periphatum uocatum tradunt.* Hunc The*seus interfecit.*

Corytus, *media breui, oppidum Thusciæ, prope Aretium in paruo colle eiusdem nominis, à Coryto rege conditum.* Verg. *lib.* 10.

Venerat antiquis Coryti de finibus Acron.

Corytus, *med. longa, sagittarum thecã significat.* Verg.

Corytiq́; leues humeris & letifer arcus.

Côs, κῶς, *insula est in mari Aegeo, una Cycladum, quam Hercules olim diripuisse fertur, ibiq́; regem Eurypilum, Neptuni filium unà cum liberis & uxore Clytia occidisse, eò quòd ipsum tempestate eò adpulsum & impeditum ab urbe & hospitio prohiberent, postquam à uastatione Troiæ & Laomedontis recessisset. Celebratur propter suauitatem uini, quod in ea nascitur. Ab ea fit* Cous, *a, um.*

Cosyra, *media longa, insula & ciuitas Aphricæ.* Ouid. *lib.* 3. *Fastorum:*

Fertilis est Melite sterili uicina Cosyræ, &c.

C R.

Cragus, *mons est Lyciæ ex opposito habens montem Anticragum: sic dictus à Crago Trenedeti & Paraxi dicæ nymphæ filio. Horat. lib. 1. Carmi.*

Syluis aut uiridis Cragus, &c.

Cranaus, *secundus rex fuit Athenarum, & Cecropis successor: à quo Athenienses dicuntur* Cranai.

Crantor, oris, *philosophus fuit Solensis, academicus, Xenocratis auditor. Librū scripsit de consolatione: acerrimè inuehebatur in Stoicos, taxans illorum indolentiam, quòd ea nullo modo esse poßit, nisi hominē saxeū esse uelimus, omniq; sensu carētē. Hor. lib. 1. Epist.*

Quicquid sit pulchrū, qd turpe, quid utile, quid nō,
Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit.

Alius fuit Pelei armiger, de quo Ouid. lib. 12. Metam.

Cratęis, *mater fuit Scyllæ, ut quidā uolūt. Verg. in Cyri.*

Ipsi seu Lamiæ mater sit, siue Cratæis.

Crathis, idis, *fluuius Achaiæ, itē Calabriæ, cuius aquis flauescunt capilli. Ouid. lib. 15. Metamor.*

Crathis & hinc Sybaris nostris conterminus oris
Electro similes faciunt auroq; capillos.

Cratinus, *Atheniensis poëta, ueteris comœdiæ scriptor uinosus. Horatius:*

Eupolis atq; Cratinus Aristophanesq; poëtæ.

Cratippus, *philosophus peripateticus, cui M. Cicero filium suum instituendum Athenis dederat, ut idem ait in procemio lib. 1. Officior.*

Cremera, *fluuius est Italiæ, ubi trecenti & sex Fabij pugnantes à Veientibus occisi sunt. Ouid. lib. 2. Fast.*

Vt celeri passu Cremeram tenuere capacem,
Turbidus hybernis ille fluebat aquis.

Cremona, *ciuitas Italiæ in ea regione, quæ hodie* Longobardia *dicitur: cuius ciues cum contrà Augustum unà cum Antonio sensissent, Cæsar uictor, ueteranis suis eorum agros dedit, qui cum non sufficissent, acceperunt etiam uicinorum agros, ut Mantuanorum, &c.* Hinc Verg. Eclo. 9.

Mantua, uæ miseræ nimium uicina Cremonæ.

Cremmyon, *siue* Crommyon, *oppidum non procul à Corintho, iuxta quod Theseus suem, quæ omnes agros deuastabat, occidit. Ouidius libro septimo:*

Quodq; suam securus arat Cremyona colonus, &c. ubi alterum m, uersus gratia, à poëta elisum. Est etiam urbs Lybiæ, à qua Cremmyonius *deriuatur.*

Creon, *Sisyphi filius, & Corinthiorũ rex, qui Creusam filiam Iasoni, abdicata Medea, in uxorem dedit. Alius fuit Thebarum rex, qui filiam suam Megarã Herculi spopõdit. Argiã præterea & Antigonã interfici curauit. quarũ iniuriã postea ultus Theseus, Creõtẽ occidit.*

Creontiades, *Herculis filius ex Megara, quem pater cũ Teriomacho fratre ab inferis rediẽs, & in furorem uersus à Iunone, quòd Lycum interfecisset, interemit.*

Creta, *in mari mediterraneo insula, quæ ab Oriente Carpathio, à Meridie Aphricano, ab Occidẽte Adriatico, à Septentrione Cretico mari cingitur: poëtarum monumentis clara. Cẽtum urbes olim habuit (unde à Græcis Hecatompolis appellatur) quarum præcipuæ fuerũt Cortyna, Cydon, Gnosos. In hac natus fuit Iupiter, & à Curetibus in Ida monte clàm nutritus. Vide infrà de* Saturno, Ioue, *&c. Nullũ in ea noxiũ esse animal ferunt. Habitatores eius omnes sagittandi arte plurimũ ualuerũt. Dictã uerò putãt uel à Creta nympha Hesperidis*

ridis filia, uel à Creto Curetum rege Iouis filio. Verg.
Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
Centũ urbes habitant magnas, uberrima regna, &c.

Cretæus, *a, um*, Cretensis, Cres, Cressa.

Crethon, ōnis, *filius fuit Dioclis, qui cum fratre Orsilocho ad bellum Troianũ Græcis auxilium laturus profectus est. sed cùm hi duo nimiũ suis uiribus confiderẽt, cùm Aenea congredi ausi fuerunt: sed ambo ab eodem interfecti sunt: quin & eorũ cadauera uix à Menelao & Antilocho ex hostium manibus subtrahi potuerũt.*

Creusa, *filia fuit Creontis, Corinthiorum regis, quæ abdicata Medea, Iasoni nupsit. quamobrem Medea indignata carminibus suis ignem inextinguibilem scrineolo inclusum per filios suos Creusæ muneris loco misit. filios uerò præmonuit, ut statim oblato munere discederent. Creusa igitur uidẽdi cupida, nihilq; mali suspicãs, scrineolũ aperuit, & cõtinuò euolauit ignis, Creusamq; & totã Creõtis regiã exussit. Ouid. li. 1. de Arte:*
Cui non defleta est Ephiræa nata Creusæ?

Alia fuit Priami & Hecubæ filia, Aneæ coniux, cui Ascanium filiũ peperit. Hãc in excidio Ilij ab Aenea, qui fugiens patrem humeris gestabat, filium manu ducebat, perditam in itinere, dum uias notas excessisset, habetur apud Maronẽ lib. 2. Aeneid. Sed nõnulli eam ab ipso Aenea ex pactione cum Græcis facta occisam uolunt, ne quis ex semine Priami superesset. Verũ his refragatur fabula de Heleno & Cassandra, liberis Priami, quos Græci captiuos abduxerunt.

Crinīsus, *fluuius est Siciliæ, Oceani & Terræ filius, de quo ita fabulantur. Cùm Laomedon Neptuno & A=*

pollini mercedem pro ædificatione murorum Ilij recusaret, Neptunus iratus Troiæ cete immisit, ut eam uastaret. consultus Apollo sinistra dedit responsa, puellas scilicet belluæ esse obijciendas. Hippotes igitur nobilis Troianus timens, ne & Aegista filia sua ceto, ut Hesiona, exponeretur, naui eam imposuit, ut potius se non uidente mergeretur fluctibus, quàm coràm deuoraretur. Sed illa casu in Siciliam delata, Criniso placuit, qui in canem, seu ursum mutatus eam oppreßit, suscepitq; ex eo concubitu Aceston Siciliæ regem. Verg. lib. 5.

Troia Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit, &c.

Crœsus, rex fuit Lydorum ditißimus, qui propter bonorum copiam, putabat se omnium mortaliũ felicißimũ, unde aliquando ostendens Soloni suum thesaurum, an quisquam felicior esset interrogauit. Solon autem negans dicebat, Neminẽ ante obitũ beatum esse uocãdũ. Tandem à Cyro Persarũ rege, cui aliquoties rebellasset, captus est, igniq; addictus. Cumq; iam in rogo cremãdus sederet, recordatus uerborum Solonis, alta uoce clamauit: O Solon, Solon. Interrogante Cyro, quid sibi uellet iste clamor, aut quis esset ille Solon: respondit Crœsus, Solon uir sapientißimus olim me monuit, nemi nem esse in hac uita felicem, quod iam experior. Tum Cyrus fortunæ uarietatem perpendens, eum non solum dimisit, sed etiam inter proceres & consiliarios recepit. Ouid. lib. 4. de Ponto:

Diuitis audita cui non opulentia Crœsi? &c.

Crommyon, uide Cremmyon.

Croton, urbs est in sinu Tarentino. Mantuan.

Mœrebatq; longæua Croton, Sybarisq; sepulta.

Hinc

Hinc Crotoniata, *gentile nomen.*

Crotopus, *rex fuit Argiuorum, ex cuius filia* Psammate *Apollo Linum suscepit, qui à patre matris* Crotopiades *nominatur. Ouidius in Ibin:*

Quiq; Crotopiaden diripuere Linum.

Crustumerium, *oppidum est in Latio, Albanorum colonia. Verg. lib. 7. Aeneid.*

Ardea Crustumeriq; & turrigeræ Antemnæ.

Crustumium, *oppidum est Thusciæ, unde* Crustumia & Crustumina *pyra. Est etiã fluuij nomen non procul ab Armino Italiæ oppido. Luca. lib. 2.*

–Veloxq; Metaurus,

Crustumiumq; rapax, & iunctus Sapis Isauro.

C T.

Ctesiphon, *uicus maximus propè Seleuciam, in quo Parthorũ reges hyemabant. Est etiã nomen architecti, qui tẽplũ Dianæ Ephesiæ extruxisse traditur, quod postea ab Herostrato incẽsum est, hac tantũ de causa, ut ob aliquod facinus nominaretur. Alius fuit Atheniensis, quẽ Demosthenes ab Aeschyne accusatum defendit.*

C V.

Cumæ, *arum, Campaniæ oppidum propè Neapolim, à Chalcidẽsibus ex Eubœa profectis cõditũ, nomen uerò ab Hippocle Cumæo sumpsit: nõnulli autẽ Cumas ob κύματα, id est, fluctus, quibus littus illud abũdat, dictas uolunt. Hinc &* Cumæus, & Cumanus. *Syl. lib. 8.*

Linternum, & quondam fatorum conscia Cumæ.

Cupido, *amoris deus, secundum Hesiodum, ex Chao & Terra natus fuit: Simonides & Cicero ex Marte & Venere: Acesilaus ex Nocte & Aethere: Alcæus, ex Lite & Zephyro: Sappho ex Venere et Cœlo: Seneca*

ex Venere & Vulcano. Quidam ex sola Venere pro-gnatum tradunt, citantes illud Vergilij lib. 1.

Nate meæ uires, mea magna potentia solus, &c.

Duplex est, Ouidio dicente:

Alma faue dixi geminorum mater Amorum, &c.

Honestus uidelicet & turpis: illumq; ex Venere & Ioue patre natum: hunc autẽ Herebi & Noctis filiũ esse Perottus ex Tullio citat. Fingitur à poëtis armatus flãmis & telis, aureo uidelicet & plũbeo, ut patet ex Ouid. lib. 1. Metam. de Daphne & Apolline: item cæcus, nudus, alatus, arcitenens, uolatilis, &c. Eius quoq; formæ descriptio extat multis uerbis apud Apuleium de asino aureo. Vergil. de uino & amore:

Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido.

Curetes, *sacerdotes fuerũt Cybeles in Creta, quos Ouid. lib. 4. Metam. ex imbri natos fabulatur, inquiens:*

—Largoq; satos Curetas ab imbri, &c.

Hi quoq; Corybantes dicuntur, ut superius auditum est. Curetas autem appellatos uolunt, uel ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, à tonsura capillorum: uel à Curo, eorum rege: uel quia sicuti Coræ, id est, puellæ, prolixis uestibus utebantur.

Curetes, *prima breui, populi Dalmatiæ bellicosi, quorũ meminit Luca. lib. 4.*

Illic bellaci confisus gente Curetum

Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto, &c.

Curis, *ut habet Strabo lib. 5.* Cures, *ium, ut alij, oppidũ fuit Sabinorum. Ouidius lib. 2. Fastor.*

Te Tatius, paruiq; Cures, Ceninaq; sensit.

Et Cures, *eiusdem oppidi incolæ. Verg. lib. 8.*

Romulidis, Tatioq; seui, Curibusq; seueris.

M.Curius, *consul* Romanus, *pauper quidem, sed nihilominus tamen uirtutibus præclarus.* Hic Samnites, Sabinos *&* Lucanos *uicit,* Pyrrhūq; *ex* Italia *pepulit.* Præcipuam *laudem meruit, quòd fuerit homo fortis, &* pecuniarum *contemptor.* Claudian.

Pauper erat Curius, *reges cum uinceret armis.*

Curtius, *insignis* Romanus, *qui se pro patria deuouit. Cum enim in foro* Romano *terribilis hiatus terræ subitò esset exortus, dixerunt uates,* Plutonem *petere nobilissimam uictimam, & nisi nobilium aliquis in illum hiatum se immitteret, grande periculum urbi imminere.* Quod *audiēs* Curtius, *armatus equitauit in illū hiatum, qui postea continuò desijt.* Vergilius *in* Culice:

Hic & fama uetus, nunquam moritura Camilli:
Curtius, *& medijs quem quondam sedibus urbis*
Deuotum bellis consumpsit gurges in unda.

C Y.

Cyaneæ, *insulæ lapidosæ, quas* Symplegadas *petras nonnulli uocauere, quæ per* Byzantiaci *oris angustias asperrimum nauigantibus fecere transitum.* Videntur *præterea nobiles & inter se concursantes, propter uētos uaria quadā lucta cō loci cōfligētes.* Oui.li.1.Trist.

Transeat instabiles strennua Cyaneas.

Cyane, *nympha,* Proserpinæ *comes: quæ cum* Plutonem *inhibere uellet, ne* Proserpinam *raperet, ab eodē in sui nominis fontem fuit commutata: qui* Anapi Siciliæ *fluuio iunctus iuxta* Ortygiam *insulam in mare labitur.* Ouid.lib.5.Metam.

Inter Sicelidas Cyane *celeberrima nymphas.*

Cyanee, *nympha,* Meandri *filia, ex qua* Miletus Solis *filius* Caunum *&* Biblida *suscepit.* Ouid.lib.9.Metam.

Hic

Hic tibi dum ſequitur patriæ curuamina ripæ,
Filia Meandri toties redeuntis eòdem,
Cognita Cyanee præſtanti corpore nympha.

Cybĕle,*es,Cœli & Terræ filia,& Saturni uxor,ſic dicta uel à Cybelo Phrygiæ monte, uel à rotunditate, quòd terra rotunda ſit,uel* ἀπὸ τοῦ κύβου, *quòd quidam crediderint terram eſſe quadrilateram. Vocatur item* Rhea,Ops,Veſta,Terra,Mater deûm,Bona dea,Dindyme, Dindymene *à Syllio lib.9.* Berecynthia, Pales, *de quibus nominibus ſuo loco. Veteres finxerunt eam ſedere in curru,qui à leonibus trahatur, uide ſuprà de* Atalanta & Hippomene.Verg.

Hinc mater cultrix Cybele Corybantiaq; æra.

Nonnunquam ll.*per Epentheſin geminatur.Lucan.*

Et lotam paruo reuocant Almone Cybellen.

Cyclădes,*multæ inſulæ ſunt in mari Aegeo,in cycli formam diſpoſitæ,numero 53.Ouid.lib.1.Triſt.*

Cycladas Aegeas obſtupuiſſe puto.

Cycloborus,*fluuius quidam Atticæ, ingẽti ſtrepitu defluens,uide prouerb.Cyclobori uox.*

Cyclōpes,*filij fuerũt Neptuni & Amphitrites,miniſtri Vulcani prope Aetnam Siciliæ montem, qui Ioui fulmina conficere finguntur apud Liparam, quæ eſt una ex Aeolijs inſulis:& hoc fortaſſe ob id,quòd primi ferri uſum inuenerint.Sic autem dicti ſunt,quòd unũ oculũ orbicularẽ in fronte haberent. eſt enim* κύκλος *circulus,*ὢψ *aſpectus,oculus.Vergil.lib.8.*

Ferrum exercebant uaſto Cyclopes in antro
Brõteſq;,Steropeſq;,& nudus mẽbra Pyracmõ,etc.

Hos enim inter cæteros præſtantiores fuiſſe memorãt. Poſteriorem Ouid. lib. 4. Faſt. Amonidem,Heſiodus uerò

uerò Harpem uocat. Inde Cyclopicus,*a,um.*

Cydippe,*puella quædam pomo decepta ab Acontio, ut superius traditum.* Ouid.

Littera Cydippen pomo prælata fefellit,
Insciaq; est uerbis capta puella suis.

Est etiam nomen nymphæ apud Maron.lib.4. Georg.

Cydnus,*fluuius est Ciliciæ amœnus & saluber ex Tauro monte oriens, Tharsum urbem diuidit, à candido colore nomen habens. Syri enim quicquid candidum est, Cydnum uocant.* Pris.

Flexilis & Cydnus dirimit qui flumine Tharson.

Cydon,*ōnis, Cretæ oppidum insigne, cuius incolæ* Cydones,*olim sagittandi arte claruerunt, ut pleriq; Cretenses. hinc* Cydonæus, *&* Cydonius,*a,um. Vergil.Eclo.*10.

Ire libet, Partho torquere Cydonia cornu Spicula.

Cygnus, *Martis fuit filius, quem Hercules equestri certamine uicit, adiutus equo Arione, quem Neptunus in faciem equi transformatus, ex Erinny genuit, deditq; Capreo Hiliarti regi, qui eundē Herculi donauit: Hercules uerò Adrasto dono dedit, cuius auxilio apud Thebas euasit, cũ reliq duces ferè omnes occiderētur.*

Cyllabarus, *Steneli fuit filius, cum quo Seruius Aegialen Diomedis coniugem concubuisse memoriæ tradit. uide suprà.*

Cyllarus, *equus fuit Pollucis, ut est apud Vergilium lib.*3. *Georg.*

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, & quorum Graij meminere poëtæ.

Seruius autem explicans hunc locũ, Castoris fuisse tradit, eumq; fratrem pro fratre posuisse, poëtica licētia.

Cyllene

Cyllēne,*es,mons est Arcadiæ, in quo Maia à Ioue com pressa Mercurium peperit,ut autor est Vergilius libro octauo Aeneidos,in oratione Euādri ad Aeneam.Hinc* Cyllenis,*idos,patronymicum,&* Cyllenius,*a,um,* & Cyllenius,*ipse Mercurius.Luca.lib.1.*

–Motuq; celer Cyllenius hæret.

Cymĭnus,*lacus est Hetruriæ,Cymino mōti suppositus, ad sex millia passuum ab urbe Viterbio.Verg.lib.7.*

Et Cymini cum monte lacus,&c.

Cymodoce,*seu* Cymodocea,*Nerei & Doridis filia, dicta quasi fluctuum susceptiua.* κῦμα, *id est, unda seu fluctus:*δέχομαι,*est suscipio.Vergil.lib.10.*

Quarum quæ fandi doctißima Cymodocea.

Cynăras,*uel ut alij,*Cynĭras,*rex fuit Cypri(Strabo uerò dicit hunc in Biblo Phœniciæ oppido regnasse) Paphi filius, qui ex coniuge sua Myrrham filiā suscepit: quæ cū esset formosißima,præter debitum patrem amauit,cuius cōcubitu nutricis suæ opera, dum mater Cereris sacra celebraret, in quibus per nouem dies uiri conspectu abstinere oportebat,potita est:unde grauida facta Adonem filium peperit.postea tamen ob nefandū scelus in arborem sui nominis est cōuersa.Ouid.lib.10.*

Editus & ille est,qui si sine prole fuisset,
Inter felices Cynaras potuisset haberi.

Hinc Cynareis,*patron.item* Cynareus,*&* Cynareius,*a, um. Fuit et alius huius nominis Assyriæ rex.*

Cynici, *philosophi erant, quorum autor fuit Antisthenes,de quibus multa Diogenes Laërtius.Dicti Cynici, id est, canini, propter acerbas suas inuectiones in malos,uel ob nimiam suam impudentiam,quia publicè cū uxoribus suis coibant more canum.*

Cynoſura, *uide ſuprà*, Arcas.

Cynthus, *mons eſt in Delo inſula, à quo Apollo* Cynthius, *&* *Diana* Cynthia, *dicuntur. Lucanus libro 1.*

Tertia iam grauido pluuialis Cynthia cornu.

Cypariſſus, *Telephi filius, ab Apolline dilectus, ut docet Ouid. lib. 10. Metam. à Syluano uerò, ut Seruius, qui cùm puer ceruam manſuetiſſimam, ſiue Apollinis, ſiue Syluani fuerit, occidiſſet, præ nimio dolore expirauit. tandē in arborē ſui nominis permutatus eſt. Verg.*

Aëreæ quercus, & coniferæ cypariſſi.

Cyprus, *inſula eſt in mari Carpathio, inter Ciliciam & Syriam, diues, & luxui deditiſſima, in qua Venus potiſſimū colebatur. unde &* Cypria, Cypris, *&* Cyprigena *dicta eſt. Lucan. libro 8.*

Quæſtor ab Icario Cynareæ littore Cypri, &c.

Cyrēne, *Penei fluminis filia, quam Apollo amore ardēs à Pelio Theſſaliæ monte rapuit, & in Libyam duxit, ibiq́; ex ea Ariſteū,* Nomium, *Auctonum, & Argeum ſuſcepit. Vergilius libro 4. Georg.*

—Et nati fletus cognouit inanes Cyrene, &c.

Cyrēne, *es, ſiue* Cyrenæ, *arum, ciuitas eſt Libyæ inter Aegyptum & Syrtes, à Batto Theræorum duce condita, & à Cyrene Penei filia, quam ad ea loca Apollo aſportarat, ſic nominata. Patria fuit Callimachi poëtæ & Ariſtippi philoſophi.* Cyrenæa, *uocatur ea Libyæ pars, quæ huic urbi adiacet, à Plinio Pētapolis dicta, quòd in ea quinque eſſent urbes inſigniores, Beronice uidelicet, Archinoë, Ptolemais, Apollonia, & Cyrene. Lucan. lib. 9.*

Proximus in muros & mœnia Cyrenarum, &c.

Hinc Cyrenenſis, Cirenæus, *&* Cyrenaicus, *a, um.*

Cyrnus, *Herculis filius, à quo Corsica dicta est*. Hinc Cyrnæus, *a, um. Vergilius:*

Sic tua Cyrnæas fugiant examina quercus.

Vide *suprà, de* Corsica.

Cyrrha, *oppidum est in Phocide, situm in radicibus Parnasi montis, ad mare, sub rupe Cyrphin: in eo religiosissimè colebatur Appollo, qui inde* Cyrrheus *appellatur.* Hinc Campi Cyrrhæi, *&* Antrũ Cyrrhæũ. *Lucanus lib. 3.*

Phocaicas Amphisa manus scopulosaq; Cyrrha, etc.

Cyrus, *rex fuit Persarum, Astyagis Mædorum regis nepos, quem exponi iußit: sed à pastore regio inuētus & nutritus est. itaque iam adultus Astyagem bello uicit, regnumq; ad Persas detulit, quod etiam ualdè auxit. Tandem à Thomyri Scytharum rege, cui bellum intulerat, cũ maxima suorum clade occisus est. Lucan. li. 3.*

Non cum Mæonijs deducens agmina regnis
Cyrus, & effusis numerato milite telis
Descendit Perses, &c.

Cyrus, *fluuius est Scythiæ in Coraxico monte oriens, longeq; per Hyrcanos & Iberas fluens, non procul à mari in eodem lacu cum Cambyse flumine iunctus, fretum Hyrcanum influit.*

Cythera, *orum, ciuitas est in Cypro, & insula quoq; nō procul ab eadē, antea Porphyris dicta, Veneri sacra, unde &* Cytherea *uocata est. Verg. lib. 10.*

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atq; Cythera, Idaliæq; domus, &c.

Inde Cythereius, *&* Cytheriacus, *a, um, &* Cythereis, *idos, id est, Venus.*

Cytheris, *nomen fuit libertæ Volumnij, quam Gallus poëta*

poëta adamasse fertur. Vergilius verò hanc Eclo.10. *ficto nomine Lycorim appellat.*

Cytheron,*mons est Bœotiæ, Apollini & Musis sacer, à quo &* Cythereides *dicuntur. In eo quoq; Bacchi sacra celebrabant. Vergilius:*

–Nocturnusq; uocat clamore Cytheron.

Hinc quoq; Cythera,*&* Cythereius,*a,um.*

Cythnos,*una est ex Cycladibus, à Cythno primo habitatore sic appellata, alio nomine* Ophiusa, *ac* Dryopis. *Hinc* Cythnius,*a,um.*

Cythorus,*mons est Asiæ in Paphlagonia regione, buxo abundans, unde Verg. lib. 3.* Georgic.

Et iuuat undantem buxo, spectare Cythorum.

Hinc Cythoriacus,*a,um. Est etiam huius nominis ciuitas Sinopensium emporium, à Cythoro Phryxi filio condita.*

Cytea,*urbs Colchorũ, ueneficis herbis, fœminisq; incantatricibus famosa. Inde carmina uocantur* Cytenia: *& saga,* Cyteis. *Propert. lib. 2.*

Non hic herba ualet, non hic nocturna Cyteis.

Cyzicus, *seu* Cyzicum, *insula est in Propontide, duobus pontibus continenti iuncta, habens urbem eiusdem nominis. Traxit autem nomen à Cyzico rege, quem Iason Colchos nauigans imprudenter interfecit. Propertius libro 3.*

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos.

Ouidius libro primo Trist.

Hincq; Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus.

Cyziceni,*eiusdem inhabitatores.*

DE LITERA D.

D A.

DAcia, *regio est Scythica, inter* Thraciam *&* Germaniam, *circa Istrum fluuium, eius populi* Daci, *&* Dacæ *dicuntur, olim* Daui *appellati: hi semper* Romanis *reluctabantur.* Verg.

Indomitiq; Dacæ, & pontem indignatus Araxes.

Hinc Dacicus, *qui eam regionem domuit.* Iuuenal.

–Cum lance beata

Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.

Quidam putant hanc eandem esse, quam hodie Valachiam uel Transyluaniam uocant.

Dactyli Idæi, *idem qui Corybantes, quos Ioue nutriuisse ferunt, & ne uagitu puer proderetur, nouo lusus genere excogitato, clypeolis æneis inter se concursantes, æris tinnitu & numerosi pedis cõpositione, qui Dactylus inde dictus est, Saturnum celauerunt. Idæi autem dicuntur, à monte Ida.*

Dædalus, *Atheniensis, Mitionis filius, faber fuit ingeniosißimus, qui primus imaginibus immobilibus oculos induxit, & abditis quibusdam neruis effecit, ut huc atq; illuc mouerentur, adeo scitè, ut uiuere uiderentur spectantibus. Fecit etiam Venerẽ ligneam, quæ infuso argento uiuo mouebatur. Item in Creta Labyrinthum, multiplici & intricata uiarum perplexitate irremeabilẽ, in quem ab ipso Minoë cum Icaro filio inclusus est, quòd Pasiphaës adulterio operã dedisset, & Theseus Labyrinthum effugisset: sed corruptis custodibus sub faciẽdi muneris specie, quo rex placari posset, pennas & cerã petijt: quibus impetratis sibi et Icaro alas fecit, atq; ita ex Creta in Sardiniam euolauit, deinde Cumas delatus*

delatus est, ubi Apollini templū erexit. Icarus uerò cū patris monitus sperneret, altiusq; uolaret, cera radijs solis liquefacta, in mare, quod adhuc Icarium nominatur, decidit. Hæc autē ob id ficta sunt, quòd primus nauium uela, malum, & antennam inuenerit. Ferunt præterea hunc Dædalum, serram, asciam, perpendiculum, &c. inuenisse. Ouidius:

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis, &c.

Hinc Dædaleus, a, um, artificiosus.

Dæmorgon, gentilium deorum proauus, quē omnium rerum creatorem arbitrati sunt.

Dalmatia, regio Illyrica, contermina Lyburniæ, uersus occasum. Dalmatæ, eius populi. Hodie uerò ista regio Sclauonia, & populi Sclaui dicuntur. Hos Augustus deuicit. Ouidius libro secundo de Pont.

Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.

Damascus, uetus urbs, Syriæ caput, palmis fuit fœcundißima, & prunis, quæ adhuc Damascena uocantur. Lucanus lib. 3:

Et felix (sic fama) Ninos, uentosa Damascus.

Danaē, filia fuit Acrisij regis Argiuorum, ex qua Iupiter Perseum suscepit. uide suprà de Acrisio, item prouerb. Orci galea. Et Horatius libro tertio Carmin.

Inclusum Danaēn turris ahenea, &c.

Ab ea fit Danaēius, a, um, ut Danaēius heros, id est, Perseus.

Danaus, filius fuit Beli, & Aegisti frater (quem alij Aegyptum nominant) qui fratri in Aegypto imperij gubernacula cōmisiße dicitur, ipse autē in Achaiam profectus, expulso Stenelo rege, apud Argos regnauit. ab eo postea Achaia, dicta est Danaa, & ipsi Græci

Danai. *Vocatur Iasides ab Iasio Argiuorum rege: & Belides, media longa, à patre. Filias habuit quinquaginta, de quibus in dictione* Belides. *Hæ etiam* Danaides, *à patre uocantur.*

Danubius, *fluuius est Scythiæ permaximus, oriens in fonte quodam Germaniæ, non in monte Arnoba, ut testantur ij, qui ad eius ortum profecti sunt. Porrò acceptis sexaginta amnibus Daciã à Germania separat, & per Vngariam fluens, septem ostijs in pontum prorumpit. Alio nomine Ister dicitur. Ouidius ad Liuiam:*

Danubiusq́; rapax, & Dacius orbe remoto, &c.

Daphne, Penei, *siue, ut alij habent, Ladonis fluuij filia, quæ cum forma præstaret, ab Apolline adamata est. cuius cõcubitum cum Apollo peteret, illa fugiens, deorũ commiseratione in laurum conuersa est, quæ adhuc Apollini sacra esse dicitur. Ouid. lib. 1. Metamorph.*

Phœbus amat, uisæq́; cupit connubia Daphnes.

Daphnis, & Idæus, *filij fuerũt Paridis ex Oenone nympha Idæa, seu Pagasæa. Alius fuit Daphnis, Mercurij filius, in Sicilia natus, iuuenis formosissimus, qui primum Bucolicum carmen inuenisse dicitur.*

Dardanus, *Iouis fuit filius, ex Electra Atlantis filia, Coryti regis cõiuge, qui patre mortuo cum fratre Iasio, quem mater ex Coryto susceperat, de successione in discordiã ueniens, eum interemit. cùm autẽ uideret ciues suos turbatos, cõscensa naue in Samothraciã uenit, & inde abiens eam Asiæ partẽ, quæ Hellesponto contigua est, tenuit, ibiq́; Ilium condidit. Ab eo postea ipsa regio* Dardania *dicta est. Vergilius libro septimo,*

—His ortus in agris

Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad urbes.

Dardanius,*a,um, adiectiuum:& *Dardanides, *dicuntur* Troiani:& Dardanis,*mulier Troiana.*

Dardanus,*alius, fuit magus,à quo* Dardaniæ *artes,id est,magicæ. Columella:*

At si nulla ualet medicina repellere pestem,
Dardaniæ ueniunt artes,&c.

Darius ,*rex fuit Persarũ,qui regnauit 36.annis.hic cùm de ampliando imperio cogitaret, despicatam habens Alexãdri Magni adolescẽtiam,bello cum aggressus est: sed Alexander contracto paruo exercitu, illum profligauit: Darius uerò legionibus reparatis rursus bellum motitat:denuo uictus,uxore & filiabus, quæ ab Alexãdro captæ erant,relictis,Babylonẽ fugit,ibiq; cum Alexandro de redimendis captiuis egit.quod cũ impetrare nequiret,redintegratis copijs tertio cũ eo cõgressus est,& cùm iam diu fortiter ab utraq; parte pugnatum esset,coactus est fugere:in fuga uerò deprehensus, à suis,ut quidam ferunt,trucidatus est. Mantuan.*

Nec qua morte ferunt Persam cecidisse Darium.

Daulia, *oppidũ Thraciæ,quod olim sub Therei ditione fuit:unde Philomela* Daulias *dicta est. Ouid.in Epist.*

Concinit Ismarium Daulias ales Itym.

Daunus,*filius fuit Pilumni & Danaës, & auus Turni, qui in Apulia regnauit,à quo etiam* Daunia *dicta est. Alter fuit Daunus prioris filius, qui ex Venilia sorore Amatæ,Turnum suscepit.de quo infrà. Verg.li.12.*

–Dauni miserere senectæ.

Est quoq; fluuij nomen in Apulia, unde Horatius lib. tertio Carmi. Ode 31.

–Quà pauper aquæ Daunus agrestium
Regnator populorum,&c.

D E.

Decius, Romanus fuit, qui pro salute patriæ se deuouit. Cùm enim in Latino bello Romanorum aciē penè prostratam uideret, concitato equo in medium hostium agmen irrupit. Hoc idem eiusdē nominis filius fecit, qui in quarto consulatu Q. Fabij collega aduersus Gallos & Samnites profectus, pro patria fortißimè pugnans occubuit. Hoc idē nepos, qui in bello Pyrrhi, quod pro Tarentinis gestum est, perijt. Claudian.

His ego non Decios pulchros, fortesq; Metellos
Prætulerim, &c.

Deianira, filia fuit Oenei regis Calydoniæ, à multis procis adamata, ut testatur Ouidius lib. 9. Tandem Acheloo desponsata est primò, deinde Herculi. Itaq; ortum est duellum inter Herculem & Acheloum: sed hoc superato, Herculi in uxorē ceßit. Porrò cum Hercules transiturus esset Euenum Aetoliæ fluuium, qui tum temporis maximè excreuerat, Nessus Centaurus seipsum ultro obtulit, trāsuecturum uxorem. quam cùm Nesso cōmisisset, ipse primus intrepide tranauit fluuium. Nessus autem adhuc in altera ripa stans nouè nuptam uitiare uoluit: quod uidens Hercules, sagittis Hydræ sanguine infectis Cētaurum transfixit. qui se moriturū sentiens, ut hostem ulcisceretur, Deianiræ uestem suā proprio sanguine perfusam dono dedit, innuēs ei uim amatoriam inesse, & si hac maritus indueretur, ipsum ab aliarū mulierū amore auocari. Mulier itaq; nimis credula munus accepit. & cū audißet, maritū suū in Eubœa amore Ioles Euryti filiæ detineri, Neßi uestē domino suo perferendam Lychæ famulo tradidit. Hercules igitur nihil mali suspicans, cùm sacrificaturus eam induisset

induisset, tantis cruciatibus affectus est, ut in furorem uersus, Lycham è Cenco monte in Euboicum mare deiecerit: qui in scopulum mutatus est: ipse autem Hercules arcu & sagittis Phyloctetæ commissis, se in ardentem pyram in Oeta monte constructam coniecit. Quod Deianira audiens, dolore percita, Herculis claua se interfecit: ex cuius sanguine postea nata est herba, quæ Nymphea, item Heracleon dicitur. Ouid. lib. 9.

Victor ab Oechalia Cenæo sacra parabat
Vota Ioui, cum fama loquax peruenit ad aures,
Deianira tuas, &c.

Deïdamia, filia fuit Lycomedis regis Scyri, quã Achilles, cum inter huius regis filias sub muliebri habitu latitaret, grauidam fecit, & ex ea Pyrrhum genuit. Propertius lib. 2.

Scyria nec uiduo Deïdamia uiro.

Deione, secundum Ouid. lib. 9. mater fuit Mileti, quẽ ex Apolline peperit: hunc enim Deioniden uocat.

Tunc erat inualidus, Deïonidenq; iuuentæ
Robore Miletum, Phœboq; parente superbum,
Pertimuit, &c.

Deiphobe, Sibylla Cumæa, Glauci filia, quæ Aeneam ad inferos duxit. uide infrà de Sibyllis. Auson.

Vincas Cumanam tu quoq; Deiphoben.

Deiphobus, filius fuit Priami & Hecubæ, qui post mortem Paridis Helenam duxit, cuius tamen dolo, & proditione interfectus est à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromisit, ut autor est Vergilius lib. 6.

Atq; hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum uidit, &c.

Deiphile, *filia fuit* Adrasti, *quæ* Tydeo *iuncta*, Diomedem *peperit*.

Delos, *insula est in mari Aegeo, Cycladum omnium nobilißima, in qua Latona Apollinem & Dianam uno partu enixa est. Vnde ille uocatur* Delius, *hæc uero* Delia. *Nomen autem accepit, ut asserit Aristoteles, à* Δηλόω, *id est, ostendo, quòd repente apparuerit renata. antè Ortygia appellata, & Asteria. Alij Cynthiam, à Cyntho monte. Pyrpilem, ab igne primum ibidem reperto. item Lagiam, Cenciam, Mydiam, Cynethum, nominant. Verg. lib. 3. Georg.*

Cui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

Delphi, *oppidum est in Phocide, in Parnaso monte situm, magis rupibus & loci natura, quàm humana arte munitum, ubi clarißimum templum habuit Apollo, reddebatq; oracula, unde &* Delphicus *uocatus est.* Nomē *autem accepit à Delpho Deucalionis filio, ex Melantho eiusdem filia suscepto. Horat. lib. 1. Carmi.*

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimaris'ue Corinthi
Mœnia, uel Baccho Thebas, uel Apolline Delphos
Insignes, &c.

Democritus, *Abderites, philosophus, qui omnes actus hominum tanquam stultos ridebat: tandē seipsum excæcauit, quo subtilius indagaret naturæ secreta.*

Democles, *adulator fuit Dionysij tyranni, de quo multa apud Ciceronem in Tusculanis Quæstion.*

Democoon, *filius fuit Priami ex incerta matre natus, quem Vlysses in bello Troiano interfecit.*

Demophoon, *filius fuit Thesei & Phædræ, qui ab expeditione Troiana rediēs, aduersis uentis pulsus est in Thraciam,*

Thraciam: ibiq́; à Phyllide Lycurgi regis filia hospitio & lecto susceptus est: apud quam cum aliquandiu delituisset, Athenas abijt, ibiq́; mortuo priore rege imperium suscepit, oblitus Phyllidis, cui se rediturũ iurauerat. Quapropter illa uidẽs se derelictam, amoris impatientia de amygdalo se suspendit. Vide infrà Phyllis, *ubi hæc copiosius tractantur. Ouid. lib. 2. de Arte:*

Et tibi Demophoon Thesei criminis hæres,
Phyllide decepta, nulla relicta fuit, &c.

Demosthenes, *Orator fuit Atheniensis clarißimus, qui patrem habuit eiusdem nominis admodum pauperem. Hic cùm ab ætatis initio esset balbus, neq; literã r, pronũciare posset, quibusdam calculis in os coniectis prope maris littus naturæ uitium emendauit, ut postea eloquentißimus euaserit. Porrò cum post res gestas contra Antipatrem Alexandri successorem patriæ libertatem defenderet, & ab eo condemnatus præ metũ fugeret, in Calabriam Aegei maris insulam uenit, ubi in tẽplo Neptuni ab Archia Tragœdiographo Antipatri satellite correptus, sumpto calamo, quasi prius epistolam ad domesticos scripturus, uenenum ibidem inclusum bibit, statimq́; expirauit. Orare cœpit annos natus 27. Vide Plutarchum in eiusdem uita. Mantuan.*

Nec te diue Maro Demosthenis ora diserti, &c.

Deucalion, *Promethei filius, cui adulto Epimetheus patruus Pyrrham filiam coniugio iunxit. Porrò cùm hic apud Thessalos regnaret, ingens diluuium contigit: quapropter arrepta naui solus Deucalion cum Pyrrha in Parnasum montẽ uenit. Cessantibus uerò aquis Themistos oraculum adijt, consulturus de humani generis restitutione: quæ respondit, ut ossa magnæ matris post*

tergum

tergum iaceret. Coniectis igitur post tergũ lapidibus, quos Deucalion iecerat, in mares: quos Pyrrha, in fœminas uertebantur. Iuuenalis Satyr. 1.

Ex quo Deucalion nymbis tollentibus æquor,
Nauigio montem ascendit, sortesq; poposcit,
Paulatimq; anima caluerunt mollia saxa.

Inde Deucalionæus, a, um. Fuerunt & alij tres Deucaliones.

D I.

Dia, insula una est Cycladum, quæ & Naxus, item Strõgylos, Sicilia minor, Callipolis, & à uini fertilitate, Dionysiada appellatur. In hac Theseus Ariadnen Minois filiam deseruit. Baccho sacra fuit, quòd in hac nutritus dicatur. Ouidius:

Quà breuis æquoreis Dia feritur aquis.

Hanc quidam in Tyrrheno mari collocant.

Diana, Iouis & Latonæ filia, eodem partu cum Apolline edita, quam ueteres insignem perpetua uirginitate fecerunt: & quoniam Venere consortioq; aliorum hominum spreto, syluas habitaret, uacaretq; uenationi, ipsam arcu, sagittis, pharetra cinxerunt: mõtium præterea ac nemorum dixere deam, curruq; à ceruis albis tracto, nympharumq; societate & obsequio uti uoluerunt. Dicta quoq; est Triuia, quòd uijs præesse crederetur: itẽ Lucina, quòd à parturientibus inuocaretur. Porrò apud inferos Proserpina, seu Hecate, apud mortales Diana, apud superos Luna uocatur. sed de singulis nominibus suo loco. Dianam autẽ appellatam quidam putant, quasi Iouinianam, à Græca dictione δῖος, quòd sit Iouis filia. Cicero, quia noctu quasi diem efficiat, uel quòd noctu sola luceat, quasi lucẽs una. uel

Diana, quasi deuiana, quòd qui uenantur per syluas, errare plerunq; soleant. Laudatißimum templum habuit apud Ephesios: aliud item in Taurica regione, ubi carne tantum humana litabatur. de hac Lucan. lib. 1.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Dicte, es, ciuitas est Cretæ, à qua Iupiter Dictæus. Vergilius lib. 2. Georg.

Ante etiam sceptrum Dictæi regis & ante, &c.

Idem Eclog. 6. Dictææ nymphæ. id est, Cretenses.

Dictynna, uide suprà, Britomartis.

Dido, quæ & Elisa, filia fuit Beli, quæ Sichæo Herculis sacerdoti nupsit, qui à Pygmalione auaritiæ stimulis agitato, ante aram occisus est. illa uerò in somnis monita, cum his, quibus Pygmalionem exosum sciebat, acceptis thesauris, & conscensa naui aufugit: cumq; ad Aphricum littus appulisset, tantum soli emit ab incolis, quantum bouino corio circundare posset: ibiq; Carthaginem urbem condidit, eiusq; arcem Byrsam nomine, ut suprà dictum est. Ad hanc cum Aeneas tempestate appulsus uenisset (quem tamen multi affirmant nunquam Aphricam uidisse) cũ hospitio suscepit, & quãuis Hiarbæ & alijs regibus secundò nubere recusasset, tamen amore uicta, huic se copulauit. sed cùm sponsus fatis cogeretur in Italiam nauigare, præ nimio dolore conscenso ingenti rogo, tanquam Sichæi manes placatura, seipsam gladio, quem Aeneas abiens reliquerat, traiecit, ut habetur apud Vergilium lib. 4. Aeneidos:

Ipsa tenẽs dextra pateram pulcherrima Dido, &c.

Historiographi uerò diuersum sentiunt, qui ob pudicitiam se interfecisse scribunt.

Dindymus, media breui, in plurali Dindyma, orum, mons

mons est Phrygiæ, in quo colebatur Cybele, quæ propterea Dindymene uocatur. uide suprà. Verg.

–Ite per alta Dindyma, &c.

Diogenes, Sinopeus, philosophus fuit Cynicus, maximus diuitiarum contemptor, habitabat in portarum uestibulis, & ciuitatum porticibus: torquebat se dolio, quod hyeme uertebat uersus Meridiē, æstate uersus Septentrionem, & quacunq; sol se inclinauerat, uolubilem domum conuertebat. Vide prouerbium, Doliaris uita. Ouidius lib. I. de Ponto:

Non doluit patria Cynicus procul esse Synopeus.

Diomeda, Phorbantis fuit filia, quam Achilles ex Lesbo raptam post amissam Briseida concubinam habuit.

Diomedeæ insulæ, duæ è regione Gargani montis Apuliæ: quarum altera deserta est, altera uerò habitatores habet: in hac sola Diomedeæ aues uidentur.

Diomedei cāpi, uocati sunt in Apulia, quæ in diuisione regni, quam cū Dauno fecisse dicitur, Diomedi cesserūt.

Diomedes, Aetoliæ rex, Tydei & Deiphiles filius, qui cum reliquis Græcis Troiam profectus adeò strenuè se gessit, ut post Achillem & Aiacem Telamonium fortißimus haberetur. Nam præter occisos à se reges, & singulares pugnas aduersus Hectorē & Aeneā, aliosq; insignes Troianorū principes, et captos Rhesi equos, Palladiūq; Troianis subtractū, Martē quoq; in eo bello uulnerauit, Veneremq; in dextra manu, dū Aeneam protegere uellet. Quamobrē dea indignata, Aegialæ tantā libidinē immisit, ut cùm Cyllabaro Sthenell filio cōcūberet. Qua re cognita Diomedes domū reuerti noluit, sed in Apuliam profectus regni partem à Dauno accepit, ibiq; Arpos condidit. Quidam ferunt Diomedem

dem ab Aenea dolo occisum, eiusq; socios ob pereptũ regem in aues Diomedeas, uel, ut Graeci uocant, Herci das, mutatos. Horatius lib. 1. Serm.

Qui locus à forti Diomede conditus olim, &c.

Diomédes, *alius, fuit Thraciae rex, qui equos suos hospitum, quos interficiebat, carne & sanguine pascebat: tandem ab Hercule uictus, & ipse suis equis datus est in pabulum. Ouid. lib. 9.*

Quid quum Thracis equos humano sanguine pingues, &c.

Diodōrus, *philosophus fuit Socraticus: alius item historicus Siculus, cuius opera adhuc extant.*

Dion *Syracusanus, amicus & auditor Platonis: qui expulso Dionysio tyranno patriae libertatem restituit. Alius fuit Dion Prusaeus, cui ob sermonis elegantiam Chrysostomo cognomen fuit.*

Diōne, *Oceani & Tethyos filia, materq; Veneris, pro qua nonnunquam ponitur. Stat. lib. 1. Syluar.*

Cedat equus Latiae qui contra templa Diones.

Inde fit Dionaeus, a, um.

Dionysius, *media longa, dictus est Bacchus, & Dionysia, Bacchanalia, Bacchi festa.*

Dionysius, *alius, fuit Syracusanorum tyrannus, Dionysij filius, apud quos cùm permulta perpetrasset scelera, à ciuibus est eiectus, & inde Corinthũ ueniẽs, cũ nihil aliud esset, quo uitã sustẽtaret, ludimagister factus est.*

Dipson, *fluuius est Ciliciae ex Tauro profluẽs. Luc. li. 8.*

—Tauroq; uidet Dipsonta cadentem, &c.

Dirce, *Solis filia, Lyci Thebarum regis coniux, quam duxerat repudiata Antiopa, sed haec uerita ne Antiopam reuocaret, impetrauit à marito, ut posset illam* in

in uinculis detinere: Antiopa uero tempore partus soluta, gemellos (quos ex Ioue conceperat, ut suprà auditum est) peperit, Amphionem uidelicet & Zethum, qui postea Lycum interfecerunt: Dircen uero caudæ indomiti equi alligarunt: quæ diu ita per terram raptata, tandem deorum commiseratione in sui nominis fontem conuersa est, non procul à Thebis. Vnde Dircæus, a, um. Lucanus libro 3.

Fatidica Cephisos aqua, Cadmeaq; Dirce.

Diræ, tres sunt Acherontis & Noctis filiæ, quæ apud inferos Canes, ut testatur Lucanus libro 6. apud mortales Furiæ, item Eumenides: apud superos Diræ uocantur. Harum nomina sunt Megæra, Tisiphone, & Alecto. Verg. lib. 12.

Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ.

Dis, id est, diues, nomen est Plutonis inferorum regis, cui omnem terrenam uim atq; naturam dedicatam putabant, quòd diuitiæ omnes è terra oriantur, & in terras recidant. Verg. lib. 6.

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis, &c.

DO.

Dodōna, ciuitas est Epiri, quæ lucum habet propinquū Ioui sacrum, querneum totum, & glandibus semper abundantem. In hoc duas columbas consulentibus responsum dedisse, quidam fabulantur, quarum altera Delphos, altera uerò in Ammonis Iouis templum uolauit. alij, arbores uocales fuisse. Hinc Iupiter Dodonæus: & Nymphæ, quas Bacchum nutriuisse commemorant, Dodonides dicuntur. Et Dodonius, a, um, apud Claudianum. Vergilius:

–Et uictum Dodona negaret.

Dolon, *Troianus quidam fuit, uelox pedibus, qui noctu missus explorator ad castra Græcorū pro præmio poposcit Achillis equos. Sed à* Diomede *&* Vlysse *deprehensus, qui & ipsi exploratum exierant, consilia* Troianorum *spe conseruandæ uitæ illis aperuit.* Verùm *ut proditorem, falsa spe delusum occiderunt.* Verg. *lib.* 12.

Antiqui proles bello præclara Dolonis.

Dolopes, *populi fuerunt* Thessaliæ, *ad* Pindum *montem, qui cum* Pyrrho Achillis *filio* Troiam *uenerunt.* Verg. *lib.* 2. Aeneid. *–Quis talia fando*

Myrmidonum Dolopum'*ue, aut duri miles* Vlyßi,

Temperet à lacrymis, &c.

Donysa, *penulti. longa, insula est in mari* Aegæo, *una ex* Cycladibus, *in qua uiride marmor nascitur.* Vergilius *libro tertio* Aeneid.

Bacchatamq́; iugis Naxon, *uiridemq́;* Donysam

Legimus, &c.

Dorion, *oppidum* Magnesiæ, *iuxta quod* Thamyras *citharœdus* Musas *ad cantus certamen prouocauit.* Lucanus *libro* 6.

–Teleos & Dorion *ira* Flebile Pieridum, *&c.*

Doris, *filia fuit* Oceani *&* Tethyos, Nerei *fratris coniux, atque* Nympharum *mater. quandoque pro ipso mari ponitur.* Vergilius:

Sic tibi cùm fluctus subterlabere Sicanos,

Doris *amara suam non intermisceat undam.*

Doris, *regio est* Græciæ *prope* Thessaliam, *à* Doro Neptuni *&* Elopis *filio sic appellata.* Hinc Dorienses, *populi: &* Doricus, *a, um, ut* Dorica *lingua.* Verg.

Dorica *castra uides, &c.*

Doryclus, *filius fuit* Priami, *quē* Aiax *interemit. Alius*

n fuit

fuit Doryclus, frater Phinei regis Thraciæ, de quo Vergilius lib. 5.

Fit Beroë Ismarij coniux longæua Dorycli.

Et paulo pòst, -Non hæc Rhœteia matres,

Est Dorycli coniux, &c.

D R.

Drãces, Orator fuit Latini regis, infestißimus Turno Rutulorũ regi, cuius descriptionẽ uide apud Maron. li. 11.

Tum Drances idem infensus, &c.

Drepanum, ciuitas est Siciliæ, non longè ab Eryce monte. Dicta uel à curuatura littoris, in qua posita est: uel quòd Saturnus post amputata uirilia Cœlo patri, illuc proiecit falcem, quæ Græcis δρέπανος dicitur. Verg. libro 3. Aeneid.

Hinc Drepani portus, & illætabilis ora,

Accipit, &c.

Druidæ, magi, seu sacerdotes fuerunt Gallorum, maximo apud eos in honore habiti, qui in sylvis more Bechardinorum degebant. Hi solebant sacrificia publica & priuata procurare, religiones interpretari, adolescentes disciplinis instituere, rerum naturalium causas scrutari, de cæde, de finibus, cæterisq; controuersijs cognoscere, ita ut si quis decreto non stetisset, eidem sacrificijs, hominũ sermone, & congressu interdicerent, ut ait Cæsar in Cõmentar. Immortales animas, & mũdũ non genitum asserebant: in primis autem hoc nitebantur persuadere, non interire animas, sed ab alijs post mortẽ trãsire ad alios, atq; hoc maximè homines ad uirtutẽ excitari putabãt, metu mortis neglecto. Luc. lib. 1.

Et uos barbaricos ritus moremq; sinistrum

Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.

Drusus,*filius fuit Liuiæ uxoris Augusti, frater Tiberij. Alius fuit* M. L. *Drusus Salinator, qui Hasdrubalem uicit.* Verg.lib.6.

Quin Decios,Drusosq; procul,&c. Aspice.

Dryades,*nymphæ sunt syluarum,à* δρῦς,*id est, arbore, seu quercu, sic nominatæ.* Ouid. in Epist.

Aut quas semideæ Dryades,Fauniq; bicornes.

Hamadryades *uerò, quæ cum arboribus uitam simul sortiuntur,& simul cum ijs intereunt.* Verg.eclo.10.

Iam neque Hamadryades rursus,nec carmina nobis Ipsa placent,&c.

Dryas,*filius fuit* Hippolochi, *cui Clustumina Colchida fuit coniux, ex qua Lycurgum suscepit. Hic in bello Thebano fuit,stetitq; à partibus Etheoclis:qui cùm in pugna Parthenopeum letali ictu uulnerasset, à Diana sagittis occisus est. Statius:*

Horrendumq; Dryana mouet,&c.

Dryantiades, *dicitur Lycurgus rex Thraciæ, apud Ouidium in Ibin:*

Vtq; Dryantiadæ Rodopeia regna tenenti.

Dryopes,*populi iuxta Parnasum habitantes.* Verg.lib. 4.Aeneid. *–Mistiq; altaria circum*

Cretesq; Dryopesq; fremunt,pictiq; Agathyrsi.

D V.

Dulichium,*insula est in mari Ionio non procul ab Ithaca,quōdam sub Vlyßis imperio. unde* Dulichius *pro Vlysse,uel ad Vlyßē pertinēte accipitur.* Verg.eclo.6.

Dulichias uexasse rates,&c.

Duria,*siue* Durias(*quidam tamen per t,literā scribunt*) *fluuius est Hispaniæ circa Numantiam per Vacceos fluens, qui Gallætiam à Lusitania separat.* Claudian.

Callætia risit

Floribus & roseis formosis Duria ripis, &c.

D Y.

Dyrrhachium, *ciuitas est in Epiro (alij in confinio Macedoniæ & Dalmatiæ sitam esse uolunt) quæ antea Epidaunius uocabatur. Nomen autem accepit à Dyrrhachio quodam, qui portum urbi adiecit. Lucan.*

—Dyrrhachij rapiendas tendit ad arces, &c.

DE LITERA E.

E B.

EBurones, *Galliæ Belgicæ populi, qui per fraudem multos ex Cæsaris exercitu trucidarunt. Hodie Leodienses dicuntur.*

Ebusus, *insula est, una ex Balearibus, in qua optimæ ficus nascuntur. Alia uidetur esse prope Phœniciā. Syl. li. 3.*

Iamq; Ebusus Phœnissa mouet, mouet Artabus arma, &c.

Nisi respexerit poëta fortasse ad Carthaginē Nouam, quæ à Chartaginiēsibus ex Phœnicia oriundis condita est, cui prior insula adiacet.

E C.

Echinades, *insulæ in sinu Corinthiaco, & Acheloi proruptionibus proximæ. Stat. lib. 2. Theb.*

Turbidus obiectas Achelous Echinadas exit.

Echion, *unus fuit sociorum Cadmi, primi regis Thebarum, & pater Penthei regis, qui ab eo* Echionides *dicitur. &* Echionius, *id est Thebanus. Lucanus lib. 6.*

—Veteres ubi fabula Thebas

Monstrat Echionidas, &c.

E D.

Edon, *mons est Thraciæ.* Edonij, *populi circa illum montem*

monte habitantes. Edonius, *a, um, posses. Verg. li. 12.*

Ac uelut Edoni Boreæ cum spiritus alto

Insonat Aegeo, &c.

Lucanus tamen per Systolen corripuit, inquiens,

Edonis Ogygio decurrit plane Lyæo.

E L.

Elatus, *pater fuit Cænei, unde* Elateius *dicitur. Ouidius lib. 12.* —*Manet imperfossus ab omni*

Inq; cruentatus Cæneus Elateius ictu.

Elea, *ciuitas est Lucaniæ. Hinc* Eleatæ, *eiusdem incolæ.*

Electra, *filia fuit Atlantis & Pleiones, ex qua Iupiter Dardanum suscepit. Ouid.*

Dardanon Electra quis nescit Atlantide cretum.

Scilicet Electram concubuisse Ioui?

Vide infrà, Pleiades. *Alia fuit Electra Agamemnonis & Clytæmnestræ filia, quæ occiso patre Orestem infantem Strophilo Phocensi Agamemnonis amico clàm commēdauit: cumq; matrem ob perpetratū scelus acerrimè increpasset, ab eadem in carcerem coniecta est, postea uerò occisa matre ab Oreste liberata.*

Eleïdes, *dicuntur mulieres Bacchantes, ab Eleo, id est, Baccho. Ouid. in Epist.*

Nunc feror ut Bacchi furijs Eleïdes actæ, &c.

Eleus, *Bacchi cognomen, dictus quasi pius pater, quòd libertatem hominibus præstet. Græci enim* ἔλεον *misericordem uocant. Ouid.*

Nycteliusq; Eleusq; parens, &c.

Eleusis, *ciuitas est in Attica regione nō lōgè ab Athenis, in qua regnauit Eleusius. In hac nobile fuit Cereris templum, unde* Eleusina *mater dicitur: &* Eleusina, *eius sacra. Ouid. lib. 7. Metam.*

Cercyonis letum uidit cerealis Eleusis.

Elice, *uide* Helice.

Elis, *idis, Arcadiæ ciuitas, iuxta quam Alpheus fluuius oritur. Clara fuit ob currule certamen, quod ibidem in honorem Iouis Olympici exercebatur. Inde* Eleus, *a, um.* Verg. 3. Georg.

Hic uel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit spatia, &c.

Elīsa, *proprium nomen Didonis.* Verg. lib. 5.

Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elisæ
Collucent flammis, &c. Vide suprà Dido.

Elicius, *dicitur Iupiter, quòd sacrificis eliciatur precibus.* Ouid. lib. 4. Fastor.

Eliciunt cœlo te Iuppiter: unde minores
Nunc quoq; te celebrant, Eliciumq́; uocant.

Elorus, *fluuius est Siciliæ, ex Pachinno mõte oriens: adiacentes campos fœcundat, ut* Nilus *Aegyptum. unde* Vergilius *lib.* 3. Aeneidos:

Exupero præpingue solum stagnantis Elori.

Elpēnor, *comes fuit Vlyßis, quem Circe in porcum mutauit, unde* Iuuenalis:

Et cum remigibus grunisse Elpenora porcis.

Homerus scribit, quòd cùm esset ebrius, de scalis cadens, ceruicem fregit. hinc apud Nasonem *legitur:*

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurrit regi flebilis umbra suo.

Eluīna, *dicta est* Ceres, *ab* Eluio oppido, *uel ab* Eluide *fluuio, in quo colebatur.* Iuuenal. Sat. 3.

Me quoq; ad Eluinam Cererē, uestramq́; Dianam.

Elysium, *locus est apud inferos, plenus uoluptatibus, ubi beatorum animas uersari fingunt poëtæ.* Verg.

Sed

Sed amœna piorum
Concilia, Elysiūq; colo, &c. Inde Elysius, *a, um.*

E M.

Emathia, *pars est Macedoniæ, alio nomine Pharsalia: in qua sunt cāpi Philippi, ubi primùm Cæsar & Pompeius, deinde Augustus & Caßius manus conseruerūt, ut testatur Verg. lib. 1. Georg.*
Non fuit indignum superis bis sanguine nostro
Emathiam, & latos Aemi pinguescere campos.
Nomen accepit ab Emathione rege. Hinc Emathis, *idos, &* Emathius, *a, um.*

Empedocles, *philosophus Agrigentinus, discipulus Pythagoræ, Rhetorices inuētor, qui de rerum natura uersibus conscripsit.* Hic cùm immortalitatem nouo mortis genere affectaret, in Aetnam se coniecit. Horat.
—Siculiq; poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit, Empedocles ardentem frigidus Aetnam
Insiluit, &c.

E N.

Enceladus, *gigantum maximus, Titanis & Terræ filius, quem Iupiter fulmine ictum Aetnæ monti suppoſuit. Verg. lib. 3. Aeneid.*
Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis.

Enchaliæ, *oppidum in Illyria, iuxta quod Cadmus & eiusdem uxor in serpentes uersi sunt. Lucanus lib. 3.*
—Et nomine prisco
Enchaliæ uersi testantes funera Cadmi, &c.

Endymion, *pastor quidam fuit, Aethlij filius, quem Iupiter in cœlum assumptum, cum Iunonem amaret, atq;*

etiam cum nube pro Iunone concūberet, iratus rurſum deiecit, & perpetuò ſomno damnauit. Huius poſtea amore Luna quoq; capta, eum in Latmi, Cariæ montis ſpecu occultauit, atq; ibidem cum eo conuerſata eſt. Ouidius:

Latmius Endymion *non eſt tibi cauſa pudoris.*

Vide prouerb. Endymionis *ſomnum dormire*

Enipheus, *quidam non aſpirant, fluuius eſt* Theſſaliæ, *apud quē* Cæſar & Pompeius *bello ſunt cōgreßi. Lentus primò, ſed Appidano mixtus, uelocißimus eſt.* Luc.

–*Nunquam celer niſi mixtus* Enipheus, &c.

Enna, *Siciliæ ciuitas, iuxta quam* Pluto Proſerpinam *rapuit, unde* Ennēa *dicitur apud* Lucanum *lib. octauo:*

–*Quæ te Contineant* Ennea *dapes*, &c.

Ennius, *poëta natus eſt* Rudijs Salētinorum *oppido*, Romam *uenit ætate* M. Plauti & M. Catonis *oratoris clarißimi: domum habuit in* Auentino *monte, parco ac tenui uictu uiuens. Scripſit libros* Annalium, Satyras, Comœdias & Tragœdias. *Primus coronam ex* Helicone *ſumpſit.* Scipionē Aphricanū *maximè coluit, mutuaq; beneuolētia ab eo redamatus ēſt: perijt articulari morbo, quem ex immodico uini uſu contraxerat.* Horatius:

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus, ad arma
Proſiluit dicenda, &c.

Ennoſigæus, *dictus eſt* Neptunus, *maris deus, quaſi concutiens terram.* Iuuenal.

Ipſum compedibus qui uinxerat Ennoſigæum.

Eſt enim ἐνόω, *id quod quatio, & per* Epēthesin ἐννόω. & γαῖα, *terra.*

Enyo, *penul. product. furor bellicus, capitur pro ipſa* Bellona. Martialis:

Cum

Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo.

E P.

Epæa,*ciuitas fuit* G*ræciæ*.Epæi,*ciues,contra quos* Ne*stor bella geßit.*

Epaminundas, *princeps fuit Thebanorum clarißimus, qui aliquoties cum Lacedæmonibus congreſſus,ſæpius retulit uictoriam.Tandem lancea traiectus, cùm in castra ſemianimis referretur, ubi audiuit ſcutũ ſuum adhuc ſaluum,nec ab hoſtibus raptum,reſpõdit:*Bene res *ſe habet,mortem hanc morior lubens.*

Epaphus, *filius fuit Iouis & Iûs Inachi filiæ, Aegypti rex,qui Memphim in eadẽ condidit.*Ouid.*lib.*1.*Meta.*

Hinc Epaphus magni genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Iouis,&c.

Huius quoq; mentio fit infrà de Phaëthonte.

Epeus,ἐπειός, *quem quidam Endymionis filium & Paeonis fratrẽ faciunt,fabricator fuit lignei equi,quo Troia prodita eſt.Verg.lib.2.*

–Et ipſe doli fabricator Epeus.

Ephĕſus, *metropolis Ioniæ,celeberrimo Dianæ templo clara,ab Amazonibus condita.*Horatius:

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenen,
Aut Epheſum,&c. Ephesius,*a,um,poſſeß.*

Ephialtes, & Othus, *filij fuerunt Neptuni ex Iſmediâ Aloi coniuge,qui Martẽ bello bis uicerunt,cathenisq; uinctum in carcere per tredecim menſes detinuerunt: & niſi Mercurius Iunonis iuſſu eum clàm liberaſſet,in carcere defeciſſet. Poſtea ad gigantomachiam mißi, à Ioue ad inferos fulmine ſunt detruſi.Verg.in Culice:*

Nam uictus ſedet immanis ſerpentibus Othus
Deuinctus,mœſtum procul aſpiciens Ephialten.

Ephyre, *penul. corr. urbs est Achaiæ, alio nomine Corinthus.* Ephyreïdes *puellæ, id est, Corinthiacæ. Sic dicta ab Ephyra Oceani filia. Ouid. in Epist.*

Hic Ephyrē bimarē, Scythiā tenet ille niuosam, etc.

Inde Ephyreus, *a, um, &* Ephyreïus, *a, um.*

Epicharmus, *poëta fuit Siculus, cui nonnulli inuentum Comœdiæ tribuunt. Horat. lib. 2. Epist.*

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Fuit et alius huius nominis philosophus Pythagoricus.

Epicurus, *Atheniensis philosophus, qui summū bonū ponebat in ea uoluptate, quā Cicero indolentiā, id est, doloris carentiā uocat, ut quidā uolūt. Existimabat cūcta fato agi.* Epicurei, *dicebantur eius sectatores. Sidon.*

Ast Epicureos eliminat undiq; uirtus.

Epidaunius, *uide* Dyrrhachium.

Epidaurus, *Achaiæ urbs est, in qua colebatur Aesculapius, qui inde* Epidaurius *nominatur. Est etiam nomē ciuitatis maritimæ in Dalmatia, de qua Lucan. lib. 2.*

Illyris Ionias uergens Epidaurus in undas.

Epimenides, *Cretensis, à patre suo missus, ut ouem perditam quæreret: diuertēs in specum, dormiuit quinquaginta septem annos: deinde experrectus ouē quæsiuit, putans se paulum dormiuisse. Postea philosophari cœpit. Vixit annos 152. uel secundum alios, 299. Vide prouerb. Vltra* Epimenidem *dormire.*

Epimetheus, *Iapeti ex Asia nympha filius, Promethei frater, qui ingenio ualēs, hominis statuā primus ex luto finxit: qua re indignatus Iupiter, cū uertit in simiā, atq; apd' isulas Pithecusas relegauit. Hic pater fuit Pyrrhæ uxoris Deucaliōis, ūde* Epimethis *dicitur. Ouid.*

Inde Promethides placidis Epimethida dictis

Mulcet,

Mulcet, &c. *Vide infrà de* Prometheo, Pandora, Pithecusis *insulis.*

Epirus, *regio est Græciæ, in qua olim Pyrrhus regnauit, ab ortu Achaiã habens, ab occidente mare Adriaticũ, à septentrione Macedoniam. Hodie autẽ cum maxima Macedoniæ parte Albania dicitur. Quõdã urbibus populisq; fuit frequẽtißima, sed à* Romanis *subacta, cùm sæpius deficeret, penè ĩ solitudinẽ redacta est.* Oui. li. 8.

Misit apros quanto maiores herbida tauros
Non habet Epirus, &c.

Epirota, *aliquis ex Epiro: &* Epiroticus, *a, um.*

E R.

Erasinus, *fluuius est ex Stymphalo lacu exoriens, & per aliquot stadia sub terra delatus in Argiuo agro erumpit, cum antea exitum non haberet.* Ouid. lib. 15.

—Tecto modò gurgite lapsus
Redditur *Argolicis ingens Erasinus in agris.*

Erato, ἐρατώ, *una est Musarum, quæ Orchesim inuenisse fertur, dicta uel à canẽdis amoribus, uel quòd omnibus desideretur.* Ouid.

Nunc Erato, nam tu nomen amantis habes.

Hanc idem poëta Amatorien appellat, inquiens:

Vilis Amatorie, uilis mihi candida Clio.

Eratosthenes, *cosmographus insignis, qui primus uniuersum totius orbis circulum ducentorum quinquaginta duorum stadiorum esse prodidit, unde & orbis terrarum mensor appellatus est.*

Erginus, *rex fuit Orchomeni, quem Hercules interfecit, eò quòd tributa quotannis à Thebis exigeret, ipsamq; urbem incensa regia euertit.*

Erebus, *obscurior pars est inferni, unde Vergilius:*

Imas

–Imas Erebi descendit ad umbras.
Erebum quoq; fluuium esse infrorum dicunt, citantes illud Verg. –Et magnos Erebi tranauimus amnes.

Erembi, populi sunt Arabiæ, qui & Ichthyophagi, & Troglodītæ uocantur: prærupta saxa & specus montium inhabitant, sine opibus.

Eribœa, dicta est Iuno, quasi lis bouis, quia Isidem multa tam nimia indignatione persecuta est.

Erichtheus, quē Homerus ἐρεχθῆα nominat, rex fuit Athenarum, quæ ab eo Erichthææ dicuntur. Verg. in Cyri:
Qualis Erichthæis olim portatur Athenis:

Erichtho, siue Erictho, mulier fuit Thessala, multis ueneficiis famosa. Lucan. –Hæc diræ carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho.

Erichthonius, quem quidam cum superiori Erichtheo eundem faciunt, Vulcani & Mineruæ filius. Vulcanus enim cùm Ioui fulmina contra gigantes fabricasset, petijt, ut sibi cum Minerua cōcumbere liceret: quod ipse concessit, data tamen Mineruæ licentia, ut uirginitatem uiribus, si posset, defenderet. Vulcanus itaq; cū Mineruæ cubiculum intrasset, & acriter se defendenti uim inferre conaretur, præ nimio libidinis ardore, semen in terram effudit: quod dea uidens, præ pudore terra cōtexit, & inde natus est Erichthonius: habuitq; pedes serpentinos, ad quos contegēdos iam adultus currū & equorum iugum inuenit. Vergilius lib. 3. Georg.
Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere uictor.
Hic Pādioni Atheniensiū regi in imperio successit: Argenti quoq; inuentor fuit, ut testatur Plin. Alius fuit Dardani filius ex Cādauia cōiuge, ut quibusdā placet.

Eridanus,

Eridănus, *fluuius est Italiæ, alio nomine Padus, in radici bus Vesuli montis oriens, per septem ostia rapido cur su in mare irrumpit. Nomen accepit à Phaëthōte, ibi= dem submerso, qui prius Eridanus dicebatur. Verg.*

Fluuiorum rex Eridanus, camposq; per omnes.

Erigone, *filia fuit Icarij, quæ cùm Baccho placuisset, ab eo in specie uuæ decepta atq; oppressa est. Hæc postea ductu canis in Marathoniam syluam ueniens, cùm pa= trem à pastoribus occisum comperisset, præ dolore se de arbore suspendit: sed ramo, nimia corporis ponde= re fracto, in terram decidit: cuius tamen miserti Dij, eā inter astra transtulerunt, factáq; est signum Zodiaci, quod adhuc Virgo dicitur. Vergilius:*

Quà locus Erigonen inter Gelasq; sequentes
Panditur, &c.

Porrò cùm eius umbra regionem illam infestaret, ad irā mitigandam imagunculas ex cera confectas arboribus appenderunt, quod & in Bacchi sacrificijs fieri con= suetum est. Vnde Verg. lib. 2. Georg. —Tibiq;

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Erinnys, *furia infernalis. Verg. lib. 2. Aeneid.*

—Quò tristis Erinnys, Quò fremitus uocat, &c.

Eriphyle, *Thalaonis, uel ut alij uolunt, Iphios filia, & uxor Amphiarai, quæ desiderio habēdi monilis aurei, quod Argia Polynicis cōiux ferebat, Amphiaraum ma ritū Adrasto regi prodidit: ob quod nefas postea ab Al cmeone filio occisa est. Sed de his latius suprà de* Am= phiarao *&* Alcmeone. *Verg. —Mœstāq; Eriphylē*

Crudelis nati monstrantem uulnera cernit, &c.

Erisichthon, *Thessalus quidā fuit, Cereris contemptor, cuius lucum, cum abscidisset, dea iniuriam ulciscente,*

ad

ad tantam famem redactus est, ut sua ipse membra corroserit. Ouid.

Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, &c.

Erymanthus, *mons Arcadiæ nemorosus, in quo* Hercules *uastißimum aprum cepit, &* Eurysteo *uiuum detulit.* Ouid. *lib.* 5. Metamorph.

Mænaliosq; sinus, gelidumq; Erymãthon, & Elin.
Inde Erymanthis, *idos, &* Erymanthius, *a, um.*

Erythræ, *arum, ciuitas est Asiæ, nõ longe à Chio, ex qua fuit Sibylla Erythræa. Vide infrà.*

Erythreus, *seu* Erythra, *filius fuit* Persei *&* Andromedæ, *qui in confinio rubri maris regnum habuit: unde etiam* Erythreum *mare, pro mari rubro positum affirmant.*

Erythia, ἐρύθεια, *ut habet* Mela: Erythræa, *ut alij: insula est in mari Gaditano, in qua fuit Geryonis regia.*

Eryx, *filius fuit* Buthæ *&* Veneris, *qui cùm uiribus ualeret, hospitibus legem statuit, ut cæstibus secum decertarent, atq; hoc modo multos necauit. Tandem ab* Hercule *ex Hispania redeunte uictus occubuit, atq; in eo monte, in quo matri templum condiderat, sepultus est, unde ipse mõs* Eryx, *& Venus* Erycina *dicitur.* Erycinus, *a, um, posseß.* Verg. *lib.* 10.

Quid referã exustas Erycino in littore classes? &c.

E S.

Essedones, *populi sunt Scythici, anthropophagi, qui parẽtum corpora, excepto capite, post mortẽ admixtis pecudũ carnibus, edere consueuerunt: caput autem inaurabant, habebantq; simulacri loco. De his* Herod. *lib. quarto* Histor.

Etheocles,

E T.

Etheocles, *filius fuit Oedipi, & frater Polynicis, cũ quo, patre iam mortuo ita conuenerat, ut alternis annis regnarent: uerùm cum Etheocles imperij gubernacula recepisset, anno suo finito, Polynici cedere noluit. Quapropter Polynices Adrastum socerum, aliosq; Achaiæ principes in auxiliũ uocauit, qui Thebas obsederunt. In quo bello cùm multi utrinq; essent occisi, Etheocles cum fratre in duellum uenit, cumq; se uictum uideret, cultro fratrem transegit, atq; ita mutuis uulneribus periērũt: quorũ cadauera cum in uno rogo cõburerētur, flamma se in duas partes diuisit, indicãs quòd odia etiam mortui nondum finissent. Stat. lib. 8. Theba.*

—Infando differt Etheoclea fratri, &c.

Ethesiæ, *uenti sunt certo tempore flantes, nempe quadraginta diebus post caniculæ exortum.* Hieron. *Mense Augusto flantibus Ethesijs nauem securus conscendi.*

Ethruria, *uide* Hethruria.

E V.

Euadne, *filia fuit Martis ex Thebe Asopi fluminis coniuge, quæ ex Capaneo marito Sthenelum peperit. Porrò tanto amore maritum suum dilexit, ut cùm audisset eum apud Thebas fulmine ictum perijsse, penè in mortis stuporem diriguerit: & cùm eiusdem funeralia celebrarentur, corpusq; semiustum in rogum poneretur, ipsa præ doloris impatientia flammis sese iniecit, atq; ita cum uiro combusta est. Verg. lib. 6.*

Euadnenq; & Pasiphaēn, his Laodamia, &c.

Euan, *cognomen est Bacchi, ab euantium clamore inditum.* Euantes, *dicuntur mulieres eiusdem dei sacra celebrantes. Verg. lib. 6.*

Euantes

–Euantes orgia circum Ducebat Phrygias,&c.

Euander, *Arcadiæ rex, ob eloquentiam Mercurij filius ex* Nicostrata, *habitus est. Hic cum patrem casu interfecisset, auito regno pulsus, suadente matre, quæ uates erat, conscensa naui in Italiam uenit, & pulsis Aboriginibus tenuit illa loca, ubi postea Roma condita est, paruumq; oppidum in Palatino monte extruxit, ibiq; Herculem ex Hispania redeuntem hospitio suscepit, qui illum ab insultibus Caci liberauit. Deinde etiam euersa Troia Aeneæ nouas sedes quærenti auxilium unà cum Pallante filio contra Turnum misit. Vide Verg. lib. 8.*

Arcades his oris,&c. Hinc Euandrius, *a, um. Verg. libro decimo:*

At tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.

Euboea, *insula est in Aegæo mari, Bœotiæ admodum uicina, à qua Euripo angusto maris portu separatur, hodie Nigropontus uocatur. Inde* Euboicus, *a, um, ut Euboicum mare, quod hanc insulam alluit. Et Euboicum mare, quod Cumarũ Baiarumq; oræ adiacet: sic dictũ ab Euboicis aduenis, qui illic habitarunt. unde Verg. lib. 6. Aeneid.*

–Teucros uocat alta in templa sacerdos
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.

Eucarpia, *Phrygiæ ciuitas, in qua racemi fertilitate & magnitudine spectabiles sunt.*

Euchius, *cognomẽ est Bacchi, ab* εὐχὴ, *id est, uotũ Colu.*

Sed nos maturis iam flagitat anxius uuis
Euchius,&c.

Euclides, *philosophus fuit Megarensis, auditor Socratis, & insignis geometra.*

Eudora,

Eudōra, *filia Atlantis ex Aethra. Vide suprà* Aethra.
Eudorus, *Mercurij filius, & Philumeles, homo bellicosus, qui cum Achille ad Troianum bellum profectus est.*
Eudoxus, *insignis astronomus, medicus & geometra, qui primus annum deprehendit, & conscripsit. Alius fuit Rhodius historicus. Alius item Siculus Agathoclis poëta comicus.*
Euenus, *Aetoliæ fluuius, per Calydonem urbem fluens, iuxta quem Hercules Nessum Centaurum interfecit, ut suprà de Deianira dictum est. Dictus ab Eueno Martis filio, Marpissæ patre, qui se in eundem præcipitauit. Vide* Idas. *Lucanus:*

Et Meleagræam maculatus sanguine Neßi,
Euenus Calydōna secat, &c.

Euhius, *Bacchi cognomen est. Horat.*

Curas edaces curat Euhius, &c.

Euganei, *Venetorū populi sunt. &* Euganei *mōtes iuxta Patauium, pecoribus mollißimas lanas habentibus abundantes.* Euganeus, *a, um. Iuuenal.*

–Euganea quantumuis mollior agna.

Eumenides, *tres sunt furiæ, Megæra, Tisiphone, & Alecto, sic dictæ per Antiphrasin, quòd minimè sint beneuolæ. Lucan. lib. 1.*

–Aut sæui cōtorsit tela Lycurgi
Eumenides, aut qualem, &c.

Euphranor, ōris, *pictor fuit insignis, de quo Fabius lib. 12. Item Iuuenal. Satyr. 3.*

Hic aliquid præclarū Euphranoris et Polycleti, etc.

Euphrates, *maximus Parthorum fluuius in Pyrarde Armeniæ mōte oriens, multis etiam amnibus acceptis per Babyloniam fluit, & inde in mare Persicū sese exonerat, ut*

rat, ut Curtius, Herodotus, & Diodorus Siculus tradiderunt, & non in mare rubrum, ut quidam arbitrati sunt. Verg. lib. 8. —Euphrates ibat iam mollior undis.

Euphrosyne, una est Gratiarum. uide Aglaia.

Euripides, Atheniensis Tragœdiographus, eo die natus quo Xerxes ab Atheniensibus fugatus est. Fertur Veneris omnino fuisse abstinentißimus. Vixit in summa familiaritate apud Archelaū Macedoniæ regē, à cuius cœna cùm noctu reuerteretur, iugulatus est à canibus, à quodā æmulo immißis, annū agens 75.

Euripus, est angustū mare inter Bœotiam seu Phocidem Bœotiæ partem, & Eubœā insulam, quod alterno cursu septies in die, totiesq; nocte fluit, & refluit, tanto impetu, ut etiam naues secum rapiat. Silius lib. 14.

Euboici non per scopulos illisa Caphareo
Euripus, &c.

Europa, filia fuit Agenoris, regis Phœnicum, quam Iupiter in bouis specie rapuit, & in Cretā abduxit, ibiq; ex ea Minoēn, Rhadamanthum, & Sarpedonē peperit. Ab hac postea nominata est Europa, tertia pars orbis, quæ à Tanai incipiens usq; ad Atlanticum mare protenditur. Verg.. Europæ atq; Asiæ, &c,

Eurōtas, fluuius est Laconiæ, Spartam præterfluens, cuius ripæ lauris abundant. Nomen sortitus est ab Eurota quodam Myletis filio, qui stagnantes per eam regionem aquas in mare produxit. Verg. Eclo. 6.

Audijt Eurotas, iußitq; ediscere lauros, &c.

Eurўăles, una fuit Gorgonum, Phorci filia. uide infrà.

Eurўălus, nobilis Troianus, qui cū Aenea post dirutam Troiā in Italiam uenit. Hic in bello, quod contra Turnum gestum est, cum Niso noctu egressus, hostium

castra

castra tacitè intrauit, & ambo multos trucidauerunt. Tandem ab equitibus depræhensus est Euryalus, *quem cum* Nisus *eripere non posset, cum amico mori, quàm eundē deserere maluit. Sed hæc omnia copiosius describit* Verg. *lib.9.* Aeneid. *Alius fuit* Euryalus, *qui cum fratre* Hyperbio *primus laterarias domos* Athenis *cōstituit. Est etiā histrionis cuiusdā nomen, de quo* Iuue.

Eurydia, *nutrix fuit* Vlyßis, *à qua primus fuit cognitus, quum à* Troia *reuersus esset.*

Eurydice, εὐρυδίκη, Orphei *fuit uxor, quam* Aristæus, *ut superius quoq; patet, amans, cum ea concūbere uoluit: illa autē fugiens morsu colubri in herba latentis interfecta est. Cuius amore* Orpheus *commotus acceptà cithara inferos adijt, carminibus'que* Plutonem & Proserpinam *flexit, ut eam redderent: quod etiam factum est, hac tamen lege, ne in itinere respiceret: quod cùm præ amore non seruasset, eam denuo amisit, ut canit* Verg. *lib.4.* Georg.

Restitit, Eurydicenq; *suam iam luce sub ipsa,*
Immemor heu, uictusq; animi, respexit, &c.

Alia fuit Eurydice Clymenes *filia, uxor* Nestoris, *ex qua septem filios & unam filiam suscepit.*

Eurymedon, *filius fuit* Fauni, *cuius meminit* Statius *lib. septimo* Theba.

Proximus Eurymedon, *cui pastoralia* Fauni
Arma patris, &c.

Eurynome, *filia fuit* Apollinis, *quæ* Thalaoni *iuncta,* Adrastum *regem* Argiuorum & Eriphylen Amphiarai *coniugem genuit. Est quoque nymphæ nomen,* Oceani & Tethyos *filiæ.*

Eurypylus, Eumonis *siue* Euemonis *filius, qui* Orchomeni

meni urbe Bœotiæ regnauit: hic cum Græcis quoque Troiam uenerat. Vergilius lib.2.

Mittimus Eurypylum scitatum oracula Phœbi.

Alius fuit Neptuni filius, de quo in dictione Cô. Alius fuit Telephi filius, á quo Telephides nominatur. Hunc Neoptolemus interfecit, ut autor est Homerus.

Eurysteus, Mycenarũ Rex, Stheneli fuit filius, qui Iunonis instinctu Herculi imperabat, ut uaria monstra domaret, putans eum aliquando periturum, cùm tamen semper uictor rediret. Vergilius:

—Quis aut Eurystea durum, &c.

Eurytus, penultima correpta, unus, fuit ex Centauris, qui cùm Theseo Hippodamiam ui rapere uellet, ab eodem est occisus. Alius fuit Eurytus, Oechaliæ rex, qui Ioles filiæ suæ nuptias pollicebatur, quicunq; sagittandi arte se, uel, ut alij tradunt, filios suos uicisset: nam ab Apolline hanc artem dono acceperat. Ab Hercule igitur uictus, filiam illi negauit. Quapropter Hercules iratus Euryti urbem diripuit, Iolamq́; occiso patre abduxit. Eurytis, idos, patronymicum.

Euterpe, εὐτέρπη, una est Musarum, quæ mathemata, uel, ut alijs placet, tibias inuenit, á concentus suauitate nomen trahens. est enim εὖ bene, & τέρπειν delectare. Vide Musas. Vergilius:

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus implet.

Euxinus, penul. prod. pars est maris, iuxta Byzantium, quasi bene hospitalis. antea enim Axenus, id est, inhospitalis dicebatur, á sæuo accolarum ingenio: sed postea mollitis moribus Euxinus uocari cœpit. Ouidius tamen falso hoc nominis impositum, multumq́; pristinæ ferocitatis reseruasse affirmat, dicens:

Quem

Quę tenet Euxinus mẽdax cognomine Põtus. Itẽ,
Exinus falso nomine dictus habet.

E X.

Exquiliæ,*arum, mons erat Romæ, dictus uel ab excubijs regum, uel quòd in eo rex Tullus arcem habuerit, addideritq; illũ montem ciuitati. Ouid. lib. 1. Fastor.*

Adde quòd excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Inde Exquilinus,*a,um,ut Exquilina porta.*

DE LITERA F.

F A.

FAbaris,*fluuius est Sabinorum, quem Plautus Farfarum nominat. Vergilius libro septimo:*

Qui Tyberim, Fabarimq́ue bibunt, &c.

Fabius Maximus,*qui cunctando Annibalis uires attriuit, ut docet Ennius. Porrò Fabiorum familia Romæ fuit illustrißima, quorum sex & trecenti apud Cremeram fluuium à Veientibus dolo circumuenti, & occisi sunt. Ouidius:*

Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

Fabricius, *Romanus, neq; metu neq; auro expugnabilis, qui consul electus cum Pyrrhus aduersus Romanũ imperium bellum mouisset, Timochares medicus Pyrrhi ad C. Fabricium uenit, promittens se dominũ ueneno sublaturum, si quam petebat mercedem acciperet. Fabricius hominis perfidiã detestans, eum Pyrrho remisit cum literis, quibus illum monuit, ut à domesticis insidijs caueret. Bellum quoq; contra Samnites gеßit: qui postea ei regium munus obtulerunt (uiuebat enim tenuißimo cẽsu) quod forti animo cõtempsit. Verg. li. 6.*

–Paruoq; potentem Fabricium, &c.

Falernus, *regio est Campaniæ optimo uino nobilitata, quod* Falernum *dicitur: quondam Amineum appellatum, ut Amineæ uites apud Maron. Mart. de Falerno:*

Attica nectareum turbatis mella Falernum,

Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Falisci, *siue* Phalisci, *populi fuerũt Hetruriæ, quorum oppidum Falerij uocabatur. Hos cùm obsideret Camillus, eorum ludi magister, quasi spatiatum egressus cum Faliscorum filijs, illos Camillo tradidit. Sed Camillus hominem nudatum & à pueris cæsum in urbem remisit. Quapropter Falisci iustitiam Camilli admirati, se ultro dediderunt. Verg. libro 7.*

Hic Fescenninas acies, æquosq; Faliscos, &c.

Fanum, *urbs Piceni amœnißima in Adriatico littore, inter Pisaurũ & Senogalliam sita, haud longè à Metauro amne. sic dictum, quòd in ea pulcherrimum fortunæ fanum, id est, templum fuerit. Hinc* Fanenses, *seu* Fanestres, *eius incolæ.*

Fanesÿ, *populi sunt in Oceano Septentrionali, qui, ut refert Plinius libro 4. tam grandes aures habent, ut eorũ nuda corpora tegantur.*

Fascelis, *dicta est Diana, à fasce lignorum, in quo absconditum Dianæ simulachrum Orestes Aritiam detulit.*

Fauna, *quæ & Senta, Pici regis filia, & soror Fauni, quam idem in uxorem duxisse fertur. Vide suprà de* Bona Dea.

Faunus, *filius fuit Pici & pater Latini, qui regnauit in Latio: is genuisse etiam fertur Faunos, Satyros, Panes, & Syluanos rusticorum numina, quos poëtæ fingunt & cornigeros & caprinis pedibus. Ouid.*

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina nymphæ,
Et Fauni, Satyriq́; , & monticolæ Syluani.

Faustŭlus, *pastoris nomen, qui* Romulum *&* Remum *in fantes expositos inuenit, eosq́; Laurentiæ uxori nutriendos dedit: quæ quia corpus suum turpiter prostituebat, lupa uocata est.* Vide *infrà*, Laurentia.

F E.

Felsina, *urbs est* Italiæ, *alio nomine* Bononia. *Mantuan.*
–Felsina dicta fuit Bononia *prisco, &c.*

Feretrius, *dicitur* Iupiter, *quòd pacem ferre uideretur, quoniam ex templo eius, quod* Romæ *primũ à* Romulo *ædificatum est, sumebant sceptrum, per quod iurarẽt; & lapidem silicem, quo fœdus ferirent. uel à feriendo, ut ait* Plutarchus. Propert. lib. 4.
Nunc Iouis *incipiam causas aperire* Feretri.

Feronia, *dea nemorũ, à ferendis arboribus. Tradunt eum cùm nemus eius aliquando fortuito arsisset incẽdiõ, & ob id transferre inde simulacrum incolæ uellent, subitò nemus euiruisse. Vnde* Verg. *lib.* 7.
–Et uiridi gaudens Feronia *luco.*
Fuit & Feronia *ciuitas in radicibus* Soractis *mõtis* Hirpinorum *in* Faliscis, *in cuius uertice tẽplum erat* Deæ *eiusdẽ nominis, quam finitimi mira religione colebant.*

Ferraria, *promontorium* Hispaniæ *in* Sucronensi *sinu.* Itẽ *ciuitas* Italiæ, *adueterẽ* Padũ *sita, ũde* Ferrariẽsis.

Fescenninum, *oppidum fuit* Campaniæ, *ubi carmina nuptialia primum sunt inuẽta: hi populi originem ducũt ab* Atheniẽsibus, *ut autor est* Seruius. Inde *fit* Fescenninus, *a, um.* Vergilius *libro septimo:*
Hi Fescenninas *acies, æquosq́;* Faliscos, *&c.*

Fesulæ, *arum, urbs fuit* Hetruriæ, *non procul à* Florẽtia,

hodie paruus uicus. Conditam autem uolunt ab Atlante Mauritaniæ rege.

F I.

Fidēna, & Fidenæ, arum, urbs fuit in Latio, à qua Fidenates, eius ciues. Verglius lib. 6.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemq; Fidenam,

Iuuenalis primam produxit:

Viuat Fidenis, & agello cedo paterno.

F L.

Flaminea, uide Aemilia.

Flora, meretrix fuit ditißima, quæ Romanum populum constituit hæredem, unde & in deorum numerum relata est. Floralia, sacra eidem constituta, quæ Aprili mense fieri solebant, magno uerborum & rerum omnium cum lasciuia, tum licentia. Et Flora dicitur dea florū, quæ prius Chloris dicebatur, de qua suprà. Ouid.

Chloris eram, quæ Flora uocor, &c.

Florentia, urbs est Italiæ, quæ condita fertur à militibus Syllæ, iuxta Arnum fluuium, prius Fluentia dicta. Hanc à Gotthis dirutam Carolus Magnus restaurauit.

F O.

Folia, mulier quædam fuit Ariminēsis, ueneficijs famosa. Horat. Non defuisse masculæ libidinis

Ariminensem Foliam, &c.

Formiæ, arum, Campaniæ oppidū maritimū, nō procul à Taracina, à Laconibus conditum. prius uocabatur Hormiæ, à stationis bonitate. Inde Formianus, a, um.

Foruli, Sabinorum oppidum, in saxosis locis situm, unde Strabo petras uocat ad rebellandum, quàm ad habitandum aptiores. Verg. lib. 7.

Qui Tetricæ horrenteis rupes, montemq; Seuerum,

Casperiamq;

Casperiamq; colunt, Forulos, & flumen Hymellæ.

F R.

Francia, *regio est Germaniæ inter Haßiam & Sueuiam.* Franci, *eiusdem populi, quos uulgo Francones appellant.* Mantuan.

Misisset fortes contra genera impia Francos.

Fregellæ, *oppidum est in Latio antiquißimum. Hinc ager* Fregellanus.

F V.

Fucinus, *magnus Marsorũ lacus est in Italia. Verg. li. 7.*

—Vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi fleuere lacus.

Fundi, *oppidum est Campaniæ, in mediterraneo loco situm, optimi uini ferax, quod* Fundanum *appellatur.*

Furiæ, *tres sunt, Acherontis & Noctis filiæ, quarum nomina sunt Megæra, id est, odium: Tisiphone, id est, ultio cædis: & Alecto, id est, indesinens. has punire sontes apud inferos poëtæ fingunt, easq; pro capillis angues habere. Vide* Diras.

DE LITERA G.

G A.

GAbiȷ, orũ, *Volscorũ urbs, distans à mari septuaginta millibus passuum, à Galacto & Bio Siculis fratribus cõdita, unde nomẽ habet.* Gabiniȷ, *qui Gabios inhabitant: hos Tarquinius dolo superauit. Iuuen. Sat. 3.*

Simplicibus Gabijs aut proni Liburis arce, &c.

Inde Gabĩnus, *a, um, ut Iuno Gabina. Verg.*

Quiq; altum Præneste uiri, quiq; arua Gabinæ Iunonis, &c.

Gades, *ium, insula est prope Hispaniam in fine Bethicæ prouinciæ, à continente, ut ait Plinius, septingentos*

pedes distans, in qua oppidũ est Gaddir nomine, olim à Tyrijs, q ab Erythræo mari uenerãt, conditũ: & hinc est, quòd quidam totam insulam Erythræam uocarũt.

Gaditani, *uocãtur eiusdem incolæ. Claruit olim hæc insula excellentibus uiris, sed puellas habuit libidinosas, procaces, saltatrices, & nimia lasciuia in cantilenis & choreis gestiẽtes, ut est apud Iuuenalem Satyra 11. & ob hoc quidam Aphrodisiam, quasi Veneris insulã uocarunt. In hac quoq; templum Herculis, in quo quidam columnas illas esse existimant, quas Herculeas nominant, factæ ex ære, cubitorum octo. Silius lib. 6.*

Nam repeto Herculeas Erythræa ad littora Gades.

Hæc insula à Pomponio Mela Erythia uocatur.

Galathea, *nympha, Nerei & Doridis filia, quam Polyphemus amauit. Vide suprà* Acis. *Vergil. Eclog. 7.*

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ.

Galatia, γαλατία, *regio est minoris Asiæ, Phrygiæ contermina, quam olim Galli ex Europa uenientes habitarunt. à qua* Galatæ, *populi. Lucanus lib. 7.*

Istis parce precor, uiuant Galatæq; Syriq;.

Hæc & Gallogræcia dicitur, à qua Gallogræci. Nam cum à rege Bithyniæ Galli simul & Græci in auxiliũ uocati uenissent, partem regni tenuerũt, & ab utrisq; populis Gallogræci sunt dicti.

Galenus, *Pergamenus, medicus insignis, qui temporibus Antonij imperatoris floruit. Fama est hunc centum & quadraginta annos uixisse.*

Galesus, *fluuius est Calabriæ, prope Tarentum. Est itẽ cuiusdam Itali nomen, apud Vergilium lib. 7.*

—Seniorq; Galesus, Dũ paci mediũ se offert, &c.

Galli, *sacerdotes fuerũt Cybeles in Phrygia, dicti à Gallo flumine,*

lo flumine, cuius aquis poti statim furere incipiebant, adeò ut se ipsos castrarēt, quod aliter citra perniciē facere nō poterāt, nisi Samia testa. Hi sacra facietes furētiū more capita rotabāt. Lucan. lib. 1. – Crinēq; rotātes Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.

Gallia, maxima Europæ regio inter Hispaniam & Oceanum, dicta à candore populi, qui Galli uocantur (est enim γάλα, lac) nam montes & rigor cœli solis ardorem excludunt, ne corpora eorum colorentur. Duplex est, Cisalpina & Transalpina. Cisalpina, quæ ab usu togæ Togata dicta est, pars est Italiæ, in qua sunt Lōbardia, ut uocant, Mediolanum, & Venetorum pars. Transalpina, quæ & Comata, item Braccata uocatur (sunt tamen, qui Comatam à Braccata distinguant, uocantes hanc Narbonensem) diuiditur in tria populorū genera, amnibus maximè distincta: à Scalde ad Sequanam Belgica, à qua Belgi: ab eo ad Garumnam Celtica, à qua Celtæ, & qui finitimi ijs Hispani sunt Celtiberi, eadem etiam Lugdunensis à Lugduno insigni oppido: inde ad Pirenæi montis excursum Aquitania, quæ antea Aremorica dicebatur, à qua Aquitani, item Aquitanica regio. Iuuenal. Sat. 15.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Gallogræcia, uide Galatia.

Gallus, fluuius Phrygiæ, uide suprà de Gallis, Cybeles sacerdotibus. Ouid. in Fastis:

Inter ait uiridem Cybelen, altasq; Celenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.

Gallus, poëta, uide Cornelius Gallus.

Gangaridæ, populi habitantes iuxta Gangen fluuium.

Ganges, maximus Indiæ fluuius, incertæ originis, licet

sint

sint qui eum ex Paradysi fontibus scaturire tradant. auriferus esse perhibetur. Tantæ magnitudinis est, ut ubi minus occupat latitudinis nusquam minus uiginti paßibus reperitur, idemq́; multis fluminibus auctus no uem ostijs in mare irrumpit. Dictus à Gange Aethiopũ *rege, ut ait Suidas.* Ouid. *lib. 4. Metam.*

Decolor *extremo, quà cingitur* India Gange.

Hinc Gangeticus, *a, um, id est,* Indicus. *Lucan.*

E*t quas sentit Arabs, & quas Gangetica tellus.*

Ganymedes, Trois *filius, iuuenis speciosißimus: quem aquila, dum uenaretur in* Ida *monte* Troadis, *rapuit, mensæq́;* Iouis *ad præministranda eidem pocula, adhibuit, contẽpta* Hebe Iunonis *filia: quæ prima causa fuit inuidiæ* Iunonis *erga* Troianos. *postea in* Zodiaco *positus,* Aquarij *locum obtinuit.* Verg. *lib. 1.* Aeneid.

E*t genus inuisum, & rapti* Ganymedis *honores.*

Garamantes, *populi sunt* Libyæ, Psillis *finitimi, à* Garamante Apollinis *filio sic uocati, qui ibi* Garama *oppidum ex suo nomine condidit.* Vergil. *in* Bucol.

I*smarus aut* Rhodope, *extremi* Garamantes.

Alius fuit Garamantes *rex, cuius filiã* Garamantida Iu*piter* Ammon *apud fluuiũ* Bragadã *compreßit, & ex ea* Hiarbam *genuit, ut autor est* Verg. *lib. 4.* Aeneid.

—Hic Ammone *satus,* Garamantide *nympha, &c.*

Garganus, *mons est* Apuliæ, *ubi quondam* Diomedes Tydei *filius ab expeditione* Troiana *reuersus consedit.* Lucanus *libro 5.*

A*ppulus* Adriacas *exit* Garganus *in undas.*

Gargarus, *in singulari, in plural.* Gargara, *unus est ex collibus* Idæ, *in cuius radicibus ciuitas eiusdem nominis, apud quam tanta erat frugum copia, ut qui ma-*

gnum

gnum cuiusq; rei numerum uellet exprimere, pro immensa multitudine numeraret. unde Ouidius:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Alij Gargara pro monte & ciuitate accipiunt. Gargarum, τὸ γάργαρον, autem pro lacu, ex quo Scamander & Simois fluuij decurrunt.

Garumna, fluuius ex Pirenæis mõtibus defluens, Celtas ab Aquitanis dirimit, augetur tribus amnibus, & per Bituriges & Santones fluẽs in Oceanũ cadit. Claud.

Quosq; rigat retro pernicior unda Garumna,
Oceani pleno quoties impellitur, &c.

Gaurus, mõs Cãpaniæ, Maßico & Surrẽto propinquus, ĩ quo nascitur uinũ præcipuæ bonitatis. Stat. lib. 3. Syl.

Seu tibi Bacchæi uineta madentia Gauri.

Gaza, insignis ciuitas est Palæstinæ, quæ olim Iudæ in sortem cecidit. sic dicta à regia gaza, id est, pecunia, quam illuc quondam Cambyses Persarum rex uehi curarat. Hinc Gazæus, aliquis ex hac urbe.

G E.

Gebenna, mons inter Aluernos & Heluetios medius, in cuius radicibus urbs est eiusdem nominis. Lucan. lib. 1.

—Quà montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Gela, fluuius Siciliæ, dictus ab atra, nimiáq; nebula, quã exhalat, iuxta quã est ciuitas eiusdẽ nominis. Ver. li. 3.

Apparet Camerina procul, campiq; Geloi,
Immanisq; Gela, fluuij cognomine dicta, &c.

Geloum, stagnum est Siciliæ, qui appropinquantes tetro odore abigit: à quo non procul duo fontes sunt: ex quorum altero si sterilis bibat, cõcipit: ex altero autẽ

si fœ

si fœcunda, sterilis fit. Hinc Campi Geloi, *stagno illi adiacentes. Sunt tamẽ, qui ab Gela fluuio dictos uolũt.*

Geloni, *populi sunt Scythiæ, Agathyrsis contermini, dicti à* Gelono *Herculis filio. Multas singuli habebant uxores: contenti uiuebant suis finibus, ut ait* Horatius *lib. 2. Carm. Sanguinem equinum bibebant cum lacte, teste* Vergilio *in* Georg.

Profuit immensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine uenam,
Bisaltæ quo more solent, acerq́; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, *aut in deserta* Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino, &c.

Genius, *dicebatur à priscis* Deus *naturæ, & qui omniũ rerum gignendarum uim haberet: unde cuiusq; rei dicebatur suus* Genius: *hominiq́; duos Genios aßignabãt: bonum & malum. Accipitur pro ipsa natura: quidam ipsam animam, uel deum, uel spiritum esse uolunt, qui mortales ad uoluptatem incitet.*

Genua, *insignis* Liguriæ *urbs maritima, in extremis* Allobrogum: *sic dicta à* Genuo Phaëthontis *socio, ibidem relicto. A' quibusdam* Ianua *uocatur, quasi à* Iano Italorum *rege condita.*

Genũsus, *fluuius, quem* Dyrrhachio *euntes in* Thessaliã, *inueniunt.* Lucan. *lib. 5.*

Quam uolucer Genusus, *quam mollior* Apsus
Circumeunt ripis, &c.

Germania, *ampla regio* Europæ, *quæ à* Gallis, Rhetijs, *à* Pannonijs Rheno *&* Danubio *fluminibus, à* Sarmatis Dacisq; *mutuo metu ac montibus separatur, cætera ambit* Oceanus.

Germani, *ciues populi, sic appellati, quasi* Gallorum *fratres,*

tres, quibus solent esse moribus similes. De his multa Cæsar in Commentarijs. Ouid. lib. 4. Trist.

Iam fera Cæsaribus Germania, totus ut orbis, &c.

Geryon, rex fuit Hispaniæ, secundũ Hesiodũ Chrysaoris filius: qui quoniã tria regna tenebat, tricorpor dictus est: postea ab Hercule occisus est, qui pecora eius egregia, Græciã usq; cũ magna põpa deduxit. Verg. lib. 8.

Tergemini nece Geryonis, spolijsq; superbus.

Alij tres fratres uno nomine Geryones dictos uolunt: & quoniam tanta inter se concordia uiuerent, una anima regi putatos.

Getæ, populi feri in Scythia, quos olim Dacos nominatos uolũt: nullos habẽt in agro limites, sed fruges cõmunes. Gaudẽt sagittis & pharetris: integũtur ferarũ pellibus, bibunt equinum sanguinẽ permixto lacte. Ouid.

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe, &c.

Inde Geticus, a, um.

Getulia, regio est Aphricæ iuxta Garamantes. Getuli, eiusdem populi. Habet autem hoc nomen priores syllabas indifferentes. Ouid.

Quid dubitas uinctam Getulo me tradere Hiarbæ?

Lucanus:

Inculto Gẽtũlus equo, semperq; paratus, &c.

Adiectiuũ uerò Getulus, a, um, semper producit. Ver.

Et Gẽtũlæ urbes, genus insuperabile bello, &c.

G I.

Gigantes, Titanis & Terræ fuerũt filij, qui tanta superbia elati, ut impetum in deos fecerint, eosq; cœlo deijcere conati sunt: cuius rei causa dij territi, omnes mutatis figuris in Aegypto delituerunt. Tandem à Ioue fulmine partim sub Aetnam aliasq; insulas, partim ad

inferos

rat,ut Curtius,Herodotus,& Diodorus Siculus tradiderunt, & non in mare rubrum, ut quidam arbitrati sunt. Verg.lib.8. –Euphrates ibat iam mollior undis.

Euphrosyne,*una est Gratiarum.uide* Aglaia.

Euripides,*Atheniensis Tragœdiographus,eo die natus quo Xerxes ab Atheniensibus fugatus est. Fertur Veneris omnino fuisse abstinentißimus. Vixit in summa familiaritate apud Archelaũ Macedoniæ regẽ, à cuius cœna cùm noctu reuerteretur, iugulatus est à canibus, à quodã æmulo immißis,annũ agens 75.*

Euripus,*est angustũ mare inter Bœotiam seu Phocidem Bœotiæ partem,& Eubœã insulam, quod alterno cursu septies in die,totiesq; nocte fluit, & refluit, tanto impetu,ut etiam naues secum rapiat.Silius lib.14.*

Euboici non per scopulos illisa Caphareo
Euripus,&c.

Europa,*filia fuit Agenoris,regis Phœnicum, quam Iupiter in bouis specie rapuit, & in Cretã abduxit,ibiq; ex ea Minoẽn,Rhadamanthum, & Sarpedonẽ peperit. Ab hac postea nominata est Europa,tertia pars orbis, quæ à Tanai incipiens usq; ad Atlanticum mare protenditur. Verg.. Europæ atq; Asiæ,&c.*

Eurōtas,*fluuius est Laconiæ,Spartam præterfluens, cuius ripæ lauris abundant. Nomen sortitus est ab Eurota quodam Myletis filio,qui stagnantes per eam regionem aquas in mare produxit. Verg. Eclo.6.*

Audijt Eurotas,iußitq; ediscere lauros,&c.

Euryăles,*una fuit Gorgonum, Phorci filia. uide infrà.*

Euryălus,*nobilis Troianus, qui cũ Aenea post dirutam Troiã in Italiam uenit.Hic in bello,quod contra Turnum gestum est, cum Niso noctu egressus, hostium castra*

castra tacitè intrauit, & ambo multos trucidauerunt. Tandem ab equitibus depræhensus est Euryalus, quem cum Nisus eripere non posset, cum amico mori, quàm eundẽ deserere maluit. Sed hæc omnia copiosius describit Verg. lib. 9. Aeneid. Alius fuit Euryalus, qui cum fratre Hyperbio primus laterarias domos Athenis cõstituit. Est etiã histrionis cuiusdã nomen, de quo Iuue.

Eurydia, *nutrix fuit Vlyßis, à qua primus fuit cognitus, quum à Troia reuersus esset.*

Eurydice, εὐρυδίκη, *Orphei fuit uxor, quam Aristæus, ut superius quoq; patet, amans, cum ea concũbere uoluit: illa autẽ fugiens morsu colubri in herba latentis interfecta est. Cuius amore Orpheus commotus accepta cithara inferos adijt, carminibusque Plutonem & Proserpinam flexit, ut eam redderent: quod etiam factum est, hac tamen lege, ne in itinere respiceret: quod cùm præ amore non seruasset, eam denuo amisit, ut canit Verg. lib. 4. Georg.*

Restitit, Eurydicenq; suam iam luce sub ipsa,
Immemor heu, uictusq; animi, respexit, &c.

Alia fuit Eurydice Clymenes filia, uxor Nestoris, ex qua septem filios & unam filiam suscepit.

Eurymedon, *filius fuit Fauni, cuius meminit Statius lib. septimo Theba.*

Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, &c.

Eurynome; *filia fuit Apollinis, quæ Thalaoni iuncta, Adrastum regem Argiuorum & Eriphylen Amphiarai coniugem genuit. Est quoque nymphæ nomen, Oceani & Tethyos filiæ.*

Eurypylus, *Eumonis siue Euemonis filius, qui Orcho-*

meni urbe Bœotiæ regnauit: hic cum Græcis quoque Troiam uenerat. Vergilius lib. 2.

Mittimus Eurypylum scitatum oracula Phœbi.

Alius fuit Neptuni filius, de quo in dictione Cô. Alius fuit Telephi filius, à quo Telephides nominatur. Hunc Neoptolemus interfecit, ut autor est Homerus.

Eurysteus, Mycenarũ Rex, Stheneli fuit filius, qui Iunonis instinctu Herculi imperabat, ut uaria monstra domaret, putans eum aliquando periturum, cùm tamen semper uictor rediret. Vergilius:

—Quis aut Eurystea durum, &c.

Eurytus, penultima correpta, unus fuit ex Centauris, qui cùm Theseo Hippodamiam ui rapere uellet, ab eodem est occisus. Alius fuit Eurytus, Oechaliæ rex, qui Ioles filiæ suæ nuptias pollicebatur, quicunq; sagittandi arte se, uel, ut alij tradunt, filios suos uicisset: nam ab Apolline hanc artem dono acceperat. Ab Hercule igitur uictus, filiam illi negauit. Quapropter Hercules iratus Euryti urbem diripuit, Iolamq; occiso patre abduxit. Eurytis, idos, patronymicum.

Euterpe, εὐτέρπη, una est Musarum, quæ mathemata, uel, ut alijs placet, tibias inuenit, à concentus suauitate nomen trahens. est enim εὖ bene, & τέρπειν delectare. Vide Musas. Vergilius:

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus implet.

Euxinus, penul. prod. pars est maris, iuxta Byzantium, quasi bene hospitalis. antea enim Axenus, id est, inhospitalis dicebatur, à sæuo accolarum ingenio: sed postea mollitis moribus Euxinus uocari cœpit. Ouidius tamen falso hoc nominis impositum, multumq; pristinæ ferocitatis reseruasse affirmat, dicens:

Quem

Quę tenet Euxinus mēdax cognomine Pōtus. Itē,
Exinus falso nomine dictus habet.

E X.

Exquiliæ, arum, mons erat Romæ, dictus uel ab excubijs regum, uel quòd in eo rex Tullus arcem habuerit, addideritq; illū montem ciuitati. Ouid. lib. 1. Fastor.

Adde quòd excubias ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Inde Exquilinus, a, um, ut Exquilina porta.

DE LITERA F.

F A.

FAbaris, fluuius est Sabinorum, quem Plautus Farfarum nominat. Vergilius libro septimo:

Qui Tyberim, Fabarimq́ue bibunt, &c.

Fabius Maximus, qui cunctando Annibalis uires attriuit, ut docet Ennius. Porrò Fabiorum familia Romæ fuit illustrißima, quorum sex & trecenti apud Cremeram fluuium à Veientibus dolo circumuenti, & occisi sunt. Ouidius:

Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

Fabricius, Romanus, neq; metu neq; auro expugnabilis, qui consul electus cum Pyrrhus aduersus Romanū imperium bellum mouisset, Timochares medicus Pyrrhi ad C. Fabricium uenit, promittens se dominū ueneno sublaturum, si quam petebat mercedem acciperet. Fabricius hominis perfidiā detestans, eum Pyrrho remisit cum literis, quibus illum monuit, ut à domesticis insidijs caueret. Bellum quoq; contra Samnites geßit: qui postea ei regium munus obtulerunt (uiuebat enim tenuißimo cēsu) quod forti animo cōtempsit. Verg. li. 6.

—Paruoq; potentem Fabricium,&c.

Falernus, regio est Campaniæ optimo uino nobilitata, quod Falernum dicitur: quondam Amineum appellatum, ut Amineæ uites apud Maron. Mart. de Falerno:

Attica nectareum turbatis mella Falernum,
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Falisci, siue Phalisci, populi fuerūt Hetruriæ, quorum oppidum Falerij uocabatur. Hos cùm obsideret Camillus, eorum ludi magister, quasi spatiatum egressus cum Faliscorum filijs, illos Camillo tradidit. Sed Camillus hominem nudatum & à pueris cæsum in urbem remisit. Quapropter Falisci iustitiam Camilli admirati, se ultro dediderunt. Verg. libro 7.

Hic Fescenninas acies, æquosq; Faliscos, &c.

Fanum, urbs Piceni amœnißima in Adriatico littore, inter Pisaurū & Senogalliam sita, haud longè à Metauro amne. sic dictum, quòd in ea pulcherrimum fortunæ fanum, id est, templum fuerit. Hinc Fanenses, seu Fanestres, eius incolæ.

Fanesij, populi sunt in Oceano Septentrionali, qui, ut refert Plinius libro 4. tam grandes aures habent, ut corū nuda corpora tegantur.

Fascelis, dicta est Diana, à fasce lignorum, in quo abscon ditum Dianæ simulachrum Orestes Aritiam detulit.

Fauna, quæ & Senta, Pici regis filia, & soror Fauni, quam idem in uxorem duxisse fertur. Vide suprà de Bona Dea.

Faunus, filius fuit Pici & pater Latini, qui regnauit in Latio: is genuisse etiam fertur Faunos, Satyros, Panes, & Syluanos rusticorum numina, quos poëtæ fingunt & cornigeros & caprinis pedibus. Ouid.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina nymphæ,
Et Fauni, Satyriq́; , & monticolæ Syluani.

Faustŭlus, *pastoris nomen, qui* Romulum *&* Remum *in fantes expositos inuenit, eosq́; Laurentiæ uxori nutriendos dedit: quæ quia corpus suum turpiter prostituebat, lupa uocata est.* Vide *infrà*, Laurentia.

F E.

Felsĭna, *urbs est Italiæ, alio nomine Bononia. Mantuan.*
–Felsina dicta fuit Bononia prisco, &c.

Feretrius, *dicitur Iupiter, quòd pacem ferre uideretur, quoniam ex templo eius, quod Romæ primùm à Romulo ædificatum est, sumebant sceptrum, per quod iurarēt, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent, uel à feriendo, ut ait Plutarchus.* Propert.lib.4.

Nunc *Iouis incipiam causas aperire Feretri.*

Feronia, *dea nemorū, à ferendis arboribus. Tradunt eum cùm nemus eius aliquando fortuito arsisset incēdio, & ob id transferre inde simulacrum incolæ uellent, subitò nemus euiruisse.* Vnde Verg.lib.7.

–Et uiridi gaudens Feronia luco.

Fuit & Feronia ciuitas in radicibus Soractis mōtis Hirpinorum in Faliscis, in cuius uertice tēplum erat Deæ eiusdē nominis, quam finitimi mira religione colebant.

Ferraria, *promontorium Hispaniæ in Sueronensi sinu. Itē ciuitas Italiæ, ad ueterē Padū sita, ūde Ferrariēsis.*

Fescenninum, *oppidum fuit Campaniæ, ubi carmina nuptialia primum sunt inuēta: hi populi originem ducūt ab Atheniēsibus, ut autor est Seruius. Inde fit* Fescenninus, *a, um. Vergilius libro septimo:*

Hi *Fescenninas acies, æquosq́; Faliscos, &c.*

Fesulæ, *arum, urbs fuit Hetruriæ, non procul à Florētia,*

Casperiamq; colunt,Forulos,& flumen Hymellæ.

F R.

Francia,*regio est Germaniæ inter Haßiam & Sueuiam.* Franci,*eiusdem populi, quos uulgo Francones appellant. Mantuan.*

Misisset fortes contra genera impia Francos.

Fregellæ,*oppidum est in Latio antiquißimum. Hinc ager* Fregellanus.

F V.

Fucinus,*magnus Marsorũ lacus est in Italia.Verg.li.7.*

—Vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi fleuere lacus.

Fundi,*oppidum est Campaniæ,in mediterraneo loco situm,optimi uini ferax, quod* Fundanum *appellatur.*

Furiæ,*tres sunt, Acherontis & Noctis filiæ,quarum nomina sunt Megæra,id est, odium:Tisiphone,id est,ultio cædis:& Alecto,id est, indesinens.has punire sontes apud inferos poëtæ fingunt, easq; pro capillis angues habere.Vide* Diras.

DE LITERA G.

G A.

GAbij,orũ,*Volscorũ urbs,distans à mari septuaginta millibus passuum, à Galacto & Bio Siculis fratribus cõdita,unde nomẽ habet.*Gabinij,*qui Gabios inhabitant:hos Tarquinius dolo superauit.Iuuen.Sat.3.*

Simplicibus Gabijs aut proni Liburis arce,&c.

Inde Gabinus,*a,um,ut Iuno Gabina.Verg.*

Quiq; altum Præneste uiri,quiq; arua Gabinæ
Iunonis,&c.

Gades, *ium, insula est prope Hispaniam in fine Bethicæ prouinciæ, à continente, ut ait Plinius, septingentos*

pedes distans, in qua oppidũ est Gaddir nomine, olim à Tyrijs, q ab Erythræo mari uenerãt, conditũ: & hinc est, quòd quidam totam insulam Erythræam uocarũt.

Gaditani, uocãtur eiusdem incolæ. Claruit olim hæc insula excellentibus uiris, sed puellas habuit libidinosas, procaces, saltatrices, & nimia lasciuia in cantilenis & choreis gestiẽtes, ut est apud Iuuenalem Satyra 11. & ob hoc quidam Aphrodisiam, quasi Veneris insulã uocarunt. In hac quoq; templum Herculis, in quo quidam columnas illas esse existimant, quas Herculeas nominant, factæ ex ære, cubitorum octo. Silius lib. 6.

Nam repeto Herculeas Erythræa ad littora Gades.

Hæc insula à Pomponio Mela Erythia uocatur.

Galathea, nympha, Nerei & Doridis filia, quam Polyphemus amauit. Vide suprà Acis. Vergil. Eclog. 7.

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ.

Galatia, γαλατία, regio est minoris Asiæ, Phrygiæ contermina, quam olim Galli ex Europa uenientes habitarunt. à qua Galatæ, populi. Lucanus lib. 7.

Istis parce precor, uiuant Galatæq; Syriq;.

Hæc & Gallogræcia dicitur, à qua Gallogræci. Nam cum à rege Bithyniæ Galli simul & Græci in auxiliũ uocati uenissent, partem regni tenuerũt, & ab utrisq; populis Gallogræci sunt dicti.

Galenus, Pergamenus, medicus insignis, qui temporibus Antonij imperatoris floruit. Fama est hunc centum & quadraginta annos uixisse.

Galesus, fluuius est Calabriæ, prope Tarentum. Est itẽ cuiusdam Itali nomen, apud Vergilium lib. 7.

—Seniorq; Galesus, Dũ paci mediũ se offert, &c.

Galli, sacerdotes fuerũt Cybeles in Phrygia, dicti à Gallo flumine,

lo flumine, cuius aquis poti statim furere incipiebant, adeò ut se ipsos castrarēt, quod aliter citra perniciē fa cere nō poterāt, nisi Samia testa. Hi sacra faciētes furē tiū more capita rotabāt. Lucan. lib. 1. – Crineq; rotātes Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.

Gallia, *maxima Europæ regio inter Hispaniam & Ocea num, dicta à candore populi, qui Galli uocantur (est enim γάλα, lac) nam montes & rigor cœli solis ardorem excludunt, ne corpora eorum colorentur. Duplex est, Cisalpina & Transalpina. Cisalpina, quæ ab usu togæ Togata dicta est, pars est Italiæ, in qua sunt Lōbardia, ut uocant, Mediolanum, & Venetorum pars. Transal pina, quæ & Comata, item Braccata uocatur (sunt ta men, qui Comatam à Braccata distinguant, uocantes hanc Narbonensem) diuiditur in tria populorū gene ra, omnibus maximè distincta: à Scalde ad Sequanam Belgica, à qua Belgi: ab eo ad Garumnam Celtica, à qua Celtæ, & qui finitimi ijs Hispani sunt Celtiberi, eadem etiam Lugdunensis à Lugduno insigni oppi do: inde ad Pirenæi montis excursum Aquitania, quæ antea Aremorica dicebatur, à qua Aquitani, item A quitanica regio. Iuuenal. Sat. 15.*

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Gallogræcia, *uide* Galatia.

Gallus, *fluuius Phrygiæ, uide suprà de Gallis, Cybeles sacerdotibus. Ouid. in Fastis:*

Inter ait uiridem Cybelen, altasq; Celenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.

Gallus, *poëta, uide* Cornelius Gallus.

Gangaridæ, *populi habitantes iuxta Gangen fluuium.*

Ganges, *maximus Indiæ fluuius, incertæ originis, licet*

sint

gnum cuiusq; rei numerum uellet exprimere, pro immensa multitudine numeraret. unde Ouidius:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,

Alij Gargara pro monte & ciuitate accipiunt. Gargarum, τὸ γάργαρον, autem pro lacu, ex quo Scamander & Simois fluuij decurrunt.

Garumna, fluuius ex Pireneis mōtibus defluens, Celtas ab Aquitanis dirimit, augetur tribus amnibus, & per Bituriges & Santones fluēs in Oceanū cadit. Claud.

Quosq; rigat retro pernicior unda Garumna,
Oceani pleno quoties impellitur, &c.

Gaurus, mōs Cāpaniæ, Maßico & Surrēto propinquus, ĩ quo nascitur uinū præcipuæ bonitatis. Stat. lib. 3. Syl.

Seu tibi Bacchæi uineta madentia Gauri.

Gaza, insignis ciuitas est Palæstinæ, quæ olim Iudæ in sortem cecidit. sic dicta à regia gaza, id est, pecunia, quam illuc quondam Cambyses Persarum rex uehi curarat. Hinc Gazæus, aliquis ex hac urbe.

G E.

Gebenna, mons inter Aluernos & Heluetios medius, in cuius radicibus urbs est eiusdem nominis. Lucan. lib. 1.

—Quà montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Gela, fluuius Siciliæ, dictus ab atra, nimiaq; nebula, quā exhalat, iuxta quā est ciuitas eiusdē nominis. Ver. li. 3.

Apparet Camerina procul, campiq; Geloi,
Immanisq; Gela, fluuij cognomine dicta, &c.

Geloum, stagnum est Siciliæ, qui appropinquantes tetro odore abigit: à quo non procul duo fontes sunt: ex quorum altero si sterilis bibat, cōcipit: ex altero autē

si fœ

si fœcunda, sterilis fit. Hinc Campi Geloi, stagno illi adiacentes. Sunt tamẽ, qui ab Gela fluuio dictos uolũt.

Geloni, populi sunt Scythiæ, Agathyrsis contermini, dicti à Gelono Herculis filio. Multas singuli habebant uxores: contenti uiuebant suis finibus, ut ait Horatius lib. 2. Carm. Sanguinem equinum bibebant cum lacte, teste Vergilio in Georg.

Profuit immensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine uenam,
Bisaltæ quo more solent, acerq; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, aut in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino, &c.

Genius, dicebatur à priscis Deus naturæ, & qui omniũ rerum gignendarum uim haberet: unde cuiusq; rei dicebatur suus Genius: hominiq; duos Genios aßignabãt: bonum & malum. Accipitur pro ipsa natura: quidam ipsam animam, uel deum, uel spiritum esse uolunt, qui mortales ad uoluptatem incitet.

Genua, insignis Liguriæ urbs maritima, in extremis Allobrogum: sic dicta à Genuo Phaëthontis socio, ibidem relicto. À quibusdam Ianua uocatur, quasi à Iano Italorum rege condita.

Genũsus, fluuius, quem Dyrrhachio euntes in Thessaliã, inueniunt. Lucan. lib. 5.

Quam uolucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis, &c.

Germania, ampla regio Europæ, quæ à Gallis, Rhetijs, à Pannonijs Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisq; mutuo metu ac montibus separatur, cætera ambit Oceanus.

Germani, eius populi, sic appellati, quasi Gallorum fratres,

tres,quibus solent esse moribus similes.De his multa Cæsar in Commentarijs.Ouid.lib.4.Trist.

Iam fera Cæsaribus Germania, totus ut orbis,&c.

Geryon,rex fuit Hispaniæ,secundũ Hesiodũ Chrysaoris filius: qui quoniã tria regna tenebat, tricorpor dictus est:postea ab Hercule occisus est,qui pecora eius egregia,Græciã usq; cũ magna põpa deduxit.Verg.lib. 8.

Tergemini nece Geryonis,spolijsq; superbus.

Alij tres fratres uno nomine Geryones dictos uolunt: & quoniam tanta inter se concordia uiuerent, una anima regi putatos.

Getæ, populi feri in Scythia,quos olim Dacos nominatos uolũt:nullos habẽt in agro limites,sed fruges cõmunes.Gaudẽt sagittis & pharetris:integũtur ferarũ pellibus,bibunt equinum sanguinẽ permixto lacte.Ouid.

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe,&c.

Inde Geticus,a,um.

Getulia, regio est Aphricæ iuxta Garamantes . Getuli, eiusdem populi.Habet autem hoc nomen priores syllabas indifferentes.Ouid.

Quid dubitas uinctam Getulo me tradere Hiarbæ?

Lucanus:

Inculto Gētūlus equo,semperq; paratus,&c.

Adiectiuũ uerò Getulus,a,um,semper producit.Ver.

Et Gētūlæ urbes,genus insuperabile bello,&c.

G I.

Gigantes,Titanis & Terræ fuerũt filij,qui tanta superbia elati,ut impetum in deos fecerint, eosq; cœlo deijcere conati sunt: cuius rei causa dij territi, omnes mutatis figuris in Aegypto delituerunt . Tandem à Ioue fulmine partim sub Aetnam aliasq; insulas , partim ad inferos

inferos detrusi sunt. Lucan. lib. 1.

Cœlumq́; suo seruire tonanti,
Non nisi sæuorum potuit post bella gigantum.

Hinc fit Gigantæus, a, um.

G L.

Glaucōpis, γλαυκῶπις, cognomen est Mineruæ, quasi cæsios oculos habens.

Glaucus, piscator quidā fuit, qui gramine gustato in marinū deū mutatus est. Hic Scyllā amauit. Vide prouer. Glaucus comesa herba habitabat in mari. Alius fuit Glaucus Minois filius, quē quidā putāt in parte quodā Italiæ regnasse, eūq; in mellis dolio necatū, Aesculapij opera reuixisse. Alius fuit Hippolochi filius, qui cum Troianis in auxiliū uenisset, cū Diomede cōgressus est, sed inter pugnandū cū quisq; maiores suos, qui magna familiaritate inuicē uixerant, cōmemorasset, facta pace arma permutarūt, sed admodū inæqualia. Glaucus enim Diomedi aurea dederat, ærea recipiēs. Vide Erasmū in prouerbio, Diomedis & Glauci permutatio. Martial.

Tam stupidus nunquam nec tu puto Glauce fuisti,
χρύσεα, donanti χάλκεα, qui dederis.

Ferunt tamen hunc ab Aiace occisum, cum pro corpore interfecti Achillis pugnaretur, & postea in Lyciā uentis delatum in fluuiū mutatū esse. Alius item fuit Glaucus Potniæus, ex Potnia Bœotiæ uico, Sisyphi filius: qui cum equos à coitu cohiberet, quo essent ueloeiores, Venus indignata eis furorem immisit, qui illum dilacerauerunt. Verg. lib. 3. Georg.

Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades mālis membra absumpsere quadrigæ.

Vide adagium, Glaucus alter.

Gnidos

G N.

Gnidos,*urbs est Lyciæ duos portus habens, & in fronte insulam aggeribus continenti iunctam, in qua maior pars ciuium habitabat. In ea fuit Veneris templum & simulachrũ à Praxitelo mira arte sculptũ.* Ouid.*lib.*10.

Piscosamq; Gnidõ, grauidamq; Amathunta metallis.

Hinc Gnidius,*a,um.*

Gnosus,*siue* Cnosus,*siue* Cnossus,κνωσσός,*urbs est Cretæ in plano sita, olim Cerathus dicta, à præterlabentis fluuij nomine: hodie Candia uocatur, quondam Minois regia.* Gnosus, Gnosius, Gnosidus, & Gnosiacus, *a,um.* Verg.*lib.*6.

Gnosius hæc Rhadamãtus habet durißima regna.

G O.

Gorgias, *Leontinus sophista, & rhetor celeberrimus, qui arte sua tantũ pecuniæ corrasit, ut auream statuã primus omnium poneret in tẽplo Apollinis Delphici.*

Gorgythion, *Priami filius ex Castianira in Aesina ciuitate susceptus, postea in bello Troiano à Teucro Telamonis filio confossus occubuit.*

Gorgones,*filiæ fuerũt Phorci ex marino mõstro susceptæ, Medusa uidelicet, Stenio, quã Hesiodus Stenô uocat, & Euryale: uide infrà* Medusa.*Hæ Dorcades insulas in Aethiopico mari habitarũt. Dictas autẽ uolũt ab agilitate,*γοργὸς *enim agilem sonat. Vide Eras. in prouer.*Orci galea. *Inde fit* Gorgoneus, *a,um.*Oui.

Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Gortina,*uide* Cortina.

Gotthi,*siue* Gothi, *populi sunt Scythici prope Daciã, qui nunc Sueci & Rusci uocantur. Hi imperante Honorio multas prouincias, immo & Italiam Alarico*

duce omnem ſubegerunt, ipſamq; urbem Romam ceperunt. Mant.

Ora ſubit Gothus armipotẽs & Vãdalus acer. Idẽ,
Quã ſerus algenti Gotthus deſcendit ab axe.

Inde Gothicus,a,um.

G R.

Gracchi, duo fuerunt fratres apud Romanos, Tyberius & Caius Gracchi, ambo eloquẽtes, quorum facundiæ mater Cornelia multum contulit. Hi multas factiones concitarũt in rep. uoluerunt enim commouere plebem in ſenatum, & reuocare leges agrarias, de agris uiritim diuidẽdis, ob quã cauſam ambo occiſi ſunt. Iuuen.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Gradiuus, dicitur Mars, belli deus, quem quidam hoc nominis traxiſſe uolunt à gradiendo, quòd in bello ultro congrediatur: alij à gramine, quòd ex gramine natus ſit. uide infrà de Marte. alij à uibratione haſtæ: κραδαίνειν, enim Græcis uibrare eſt: alij neq; Græcum, neq; Latinum uocabulum eſſe contẽdunt, ſed Thrax, ſignificareq; bellicoſum & fortem. Verg.

Gradiuumq; patrem Geticis qui præſidet aruis.

Grææ, γραῖαι, tres fuerunt ſorores, Phorci filiæ, unicum tantum habentes oculum, & dentem, quibus uiciſsim inter ſe tres utebantur. Harum ope Perſeus ad Gorgonas peruenit. Vide prouerb. apud Eraſ. Orei galea, ubi hæc omnia copioſius.

Græcia, regio eſt Europæ undiq; mari circumſcepta, præterquàm à Septentrione, ubi Pindo, Olympo, & Oſſa montibus clauditur. Sic dicta à Græco rege. Græci, qui & Graij, Danai, Pelaſgi, Achæi, Argolici, Achiui dicuntur, eiuſdem populi. Olim quidem Græcia adeò

bonis

bonis artibus florebat, ut undiq; iuuentus ad eam confluerct, discendi causa: hodie uerò barbarie inquinata tota Turcarum imperio paret. Iuuenal. Sat. 10.

– Et quicquid Græcia mendax
Audet in historia, &c.

Gratiæ, *tres sunt, Aglaia, Thalia, & Euphrosyne: de quibus suprà in dictione* Aglaia.

Grauiscæ, *Hetruriæ ciuitas est, de qua Vergil. libro 10.*

Et Pyrgi ueteres intempestæq; Grauiscæ.

Gryneum, *oppidum Myrenæorum, ut docet Strabo lib. 13. in quo tēplum Apollinis & locus uaticinandi peruetustus. templum autem candido marmore sumptuosum erat, in quo ipse Apollo colebatur, unde & Grynæus appellatur. Verg. Eclog. 6.*

Hic tibi Grynæi nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus quo se plus iactet Apollo.

G Y.

Gygæa, *γυγαῖα, lacus est Lydiæ, à quo* Gygæus, *a, um. Propertius libro 3.*

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Gyges, *γύγης, siue ut alij scribunt, γίγης, Titanis & Terræ fuit filius, immanis gigas, & centimanus, frater Briarei. Sunt tamē, qui Briareū, Gygen, & Aegæona eosdē esse putant. Ouid. lib. 4. Trist.*

Centimanumq; Gygen, semibouemq; uirum.

Alius fuit rex Lydiæ, qui anuli ope ex regio pastore factus est rex, cuius fabulā describit Cicer. lib. 3. Offic. Est etiam nomen proprium uiri apud Maronem lib. 9.

Principio Phalarim & succiso poplite Gygen
Excipit, &c.

Item formosi cuiusdam pueri, apud Horat. lib. 2. Carm.

Luna mari Gnydius'ue Gyges.

Gyarus,*ri*,& Gyari,*orum*,*parua insula in Aegeo mari, una ex Cycladibus, in quam Romani noxios relegabant.Iuuenal.Satyr.1.*

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

DE LITERA H.

H A.

HAemō,ἄιμον,*Thebanus fuit iuuenis, qui tanto amore dilexit Antigonen Oedipi & Iocastæ filiam,ut ad mortuæ tumulum seipsum interfecerit: fuerat enim Antigone iussu Creontis iugulata, ut superius audiuimus.Prop.lib.2.*

Quid non Antigones tumulo Bæotius Hæmō, &c.

Hæmus,& Hæmonia,*uide* Aemus.

Halcyone,*uide* Alcyone.

Halesus,*Agamemnonis fuit filius ex Briseida, ut quidā uolunt: ex Clytæmnestra,ut alij: dicunt enim hunc cum matre sensisse contra patrem,& postea patria pulsum in Italiam uenisse, atque apud Maßicum Campaniæ montem consedisse,& tanquam Troiani nominis hostē Turno aduersus Aeneam fauisse.Verg.*

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis,
Iungit Halesus equos,&c.

Ouid.quoq; li.4.Fast.autor est, hūc Faliscos cōdidisse.

Halesus,*fluuius est Siciliæ,de quo Columella:*

Et quæ Sicanij flores legistis Halesi.

Halicarnassus,*ciuitas est Cariæ maritima, in minori Asia,principū regia,Argiuorū colonia,in qua Mausoli quondam nobilißimum opus extabat.* Inde Halicarnassæus,*a*,*um*.

Halizones, *populi Paphlagonum, dicti* ἀπὸ τοῦ ὑποζώσασθαι ἅλι,

νῆσοι ἅλι, hoc est, quòd mari undique circundentur.

Halys, *fluuius est, qui in Tauri radicibus oriens Syros, Cappadoces, Paphlagonesq́; interfluit, ut tradit Herodotus: Ptolemæus uerò originem & exitum eius in Paphlagonia describit. Ouidius libro quarto de Ponto:*

Influit & crebro uortice tortus Halys.

Hamadryades, *uide* Dryades.

Harmonia, *Martis & Veneris filia, Cadmi uxor, cui Vulcanus pulchrum, sed exitiale monile dedit, eò quòd ex coniugis adulterio fuisset prognata. Reliqua suprà de Cadmo, & apud Ouidium libro 4. Metamorph.*

Harpalice, *mulier fuit Thrax, Licurgi filia, uenationibus dedita: hæc cum patrem senem à Getis captum sensisset, collecta confestim multitudine, & celerius, quàm de fœmina sperari potuerit, illum armis & robore liberauit. Vergilius libro 1. Aeneid.*

—Vel qualis equo Threissa fatigat
Harpalice, uolucremq́; fuga præuertitur Hebrum.

Harpe, *gladius est Mercurij, falcatus, quo Perseum usum ferunt. Ouid. lib. 5. Metamor.*

—Et inertia frustra
Brachia tendentem Cyllenide concidit Harpe.

Harpocrates, *deus fuit Aegyptiorum ex Iside & Osiride natus, cuius simulachrum fingebatur digito labris admoto.*

Harpyiç, *ἅρπυιαι, ut est apud Seruium, Neptuni & Terræ fuerũt filiæ uolatiles, uultu uirgineo, ũcis manibus. Alij ex Thaumante & Electra prognatas affirmant. Strophades insulas incolunt: dictæ ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν. id est, à diripiendo. Harum nomina sunt Aëllo, Ocypete, & Celæno, quarum posteriorem Homerus Podargen*

uocat, & ex ea Zephyrum uẽtum Achillis equos, Balium uidelicet & Xanthũ genuisse dicit. Hesiodus tantum duas nominat, Aëllo uidelicet & Ocypeten. De Harpyijs quoq; suprà de Calai & Zethe, item infrà de Phineo. Verg. lib. 3. Aeneid.

Accipiunt Strophades: Graio sunt nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæq́; colunt aliæ, &c.

Hasdrubal (sunt tamen qui aspirationem reijciant) dux fuit Carthaginiẽsis, frater Annibalis, occisus à Romanis in faucibus Italiæ cum maximo exercitu, quem fratri afferebat.

H E.

Hebe, ἥβη, filia fuit Iunonis absq; patre, ut Latinorum poëtæ asserũt. Apollo enim cũ Iunoni nouercæ conuiuium in patris sui domo parasset, inter alia lactucas agrestes ei apposuit, quas cum Iuno desiderio commedisset, ilico, usque tũc sterilis, prægnãs effecta est, peperitq́; Heben: quam postea Iupiter ob formæ elegãtiam ad officiũ pincernatus assumpsit, deamq́; iuuẽtutis effecit. Tandem cùm ipse unà cum cæteris dijs apud Aethiopes commessaturus iuisset, contigit, quòd administrante eius Hebe pocula, perq́; lubricum minus cautè incedẽte caderet, amotisq́; uestibus obscœna superis monstraret, quam ob rẽ ab officio est amota, eiusq́; loco Ganymedes subrogatus. Homerus autẽ ex Ioue eam cõceptã esse tradit, neque omnino ab officio remotã, sed cæterorum deorum pincernam fuisse, Ganymedem uerò solius Iouis. Ouid. lib. 9. Metamorph.

Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe, &c.

Hebrus, Thraciæ fluuius, nascitur iuxta Adrianopolim, in monte

in monte Rhodope, labiturq; in Aegeum mare, è regio ne Samothraciæ insulæ. Celebratur propter aurũ, quod ex arena eius colligitur. Poëtæ fabulãtur in hunc Orphei caput proiectum esse, unde & Oeagrius dicitur, ab Oeagro Orphei patre. Verg. lib. 4. Georg.

Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulsum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, &c.

Hecate, dicitur Proserpina, uel quia centum uictimis placabatur, unde & Hecatombe nomen habet: uel quia centum annos errare faciebat insepultos. Alia fuit Hecate uenenorum & herbarum, radicumq; cognitione peritißima, ex Perseo Solis filio & Aeete fratre, quem in Taurica regione regnasse Dionysius Milesius testatur, progenita. Ab hoc igitur illam Perseida dictam alij uolũt, alij uerò à patre Perse Titano. Ouid. li. 7. Meta.

Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras.
Valerius Flaccus lib. 6.
Hanc residens altis Hecate Perseia lucis
Flebat, &c.

Hector, filius fuit Priami, ex Hecuba uxore, Troianorum omnium fortißimus, quo sospite, Troia nunquam potuit expugnari. Vxorem habuit Andromachen, ex qua Astyanacten suscepit, quem Vlysses capta Troia è fastigio turris præcipitauit. Solus Græcos, quemadmodum Achilles solus Troianos, fugabat, ex quibus Prothesilaum & Patroclum aliosq; permultos interfecit. Tandem ab Achille interemptus est, à quo etiam bigis ter circum Iliacos muros raptatus, ut fabulatur Verg. libro primo Aeneidos:

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Tandem eius corpus per duodecim dies insepultum ab Achille seruatum Priamus auro redemit, idq́; ueteri more honorificentißimè cremauit. Vide quoque suprà de Achille.

Hecuba, *filia fuit Cissei regis Thraciæ, & uxor Priami, ex qua multos filios & filias suscepit. Tãdem uiro cum filijs occiso, & Troia diruta, præ nimio dolore mutata est in canem.*

Hedui, *populi Galliæ post Heluetios & Sequanos in occasum uergentes, iuxta quos ex Alpibus fluit Araris.*

Hegesias, *philosophus Cyrenaicus, tam eloquens, ut cùm aliquando uitæ humanæ miserias commemoraret, mortemq́; harũ omniũ certißimum eße remedium perhiberet, multi exauditorum numero sibijpsi mortem consciuerint. Postea tamen à Ptolemæo de hac re ulterius dicere prohibitus est.*

Hegaleos, *mons est Atticæ nemorosus, de quo Stat. li. 12.*
Diues & Hegaleos nemorum, Permesq́; benignus
Soluatur, &c.

Helena, *filia fuit Iouis & Ledæ. Hæc ob formæ elegantiam, qua cæteris præstabat, à multis amata est, & primum à Theseo adhuc uirguncula rapta, sed postea absente Theseo à Castore & Polluce repetentibus citra iniuriam restituta: mox adulta Menelao Lacedæmonũ regi nupsit. Paris autem Priami filius nemini quoq; forma cedens, illius pulchritudine illectus Spartam nauigauit, ibiq́; Helenã ipsam absente Menelao, à quo prius benignè fuerat exceptus, rapuit. Alij tamen dicunt, cùm postulata Hesiona negaretur, Paridem illam regionem bello uastaße, & expugnata Sparta Helenam captiuã abduxiße. Hac itaq; iniuria uniuersi Græcorũ*

principes

principes commoti, primum omnes in Aulide coniurarunt de repetenda Helena, & euertendo Ilio, ut decēnali bello factū est. Porrò occiso Paride Deiphobo eiusdem fratri nupsit. Græci itaq; armis diffidentes, proditione urbem capere conati sunt: & cum discessum ex cōposito simulassent, illa ex arce accensa face ad occupandam urbem Græcos reuocauit. Capta urbe, Menelaum in cubiculū, ubi Deiphobus dormiebat, uocauit, quo interfecto cum uiro in gratiam rediisse Vergilius autor est. Hoc igitur modo Menelao restituta cū eodē nauem ascendens, tēpestatibus in Aegyptum delata est: inde rursus nauigans cum marito incolumis in Lacedæmoniam peruenit. Vergil. lib. 7.

Ledæamq; Helenam Troianas uexit ad urbes.

Helene, *alio nomine Cranaë, insula est una ex Sporadibus, quæ adiacet Sumo promontorio terræ Atticæ. Dicta autem quòd Paris raptæ Helenæ primum in ea stuprum intulerit.*

Helenus, *filius fuit Priami ex Hecuba, uaticinio clarus, quem quidam ob id à Græcis reseruatū dicunt, quòd loca opportuna ad capiendam patriam reuelasset. Ipse etiam Ilio deiecto, Pyrrho nauigationē prohibuit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit. Quāobrem nō solū à Pyrrho seruatus, sed etiā in Epyrū deductus est: cui quoq; postea Pyrrhus cū Hermionē Oresti rapuisset, Andromachē Hectoris coniugē, quam ipse uxoris loco habuerat, cōcessit, data simul regni parte, quā Helenus de fratris nomine Chaoniā dixit, ibiq; urbem ad similitudinem Troiæ cōdidit, in qua & profugum Aeneam hospitio suscepit. Verg. lib. 3. Aeneid.*

–Cum sese à mœnibus heros

Priamides multis Helenus comitantibus offert.

Heliades, *tres fuerunt filiæ Solis & Clymenes, sorores Phaëthontis, quarũ nomina sunt Phaëtusa, Lãpetusa, & Lãpetia. Hæ iuxta Padũ mortẽ Phaëthõtis fulmine deiecti flẽtes, in arbores, quas alnos uocãt, uersæ sunt, electrũ lacrymantes. Vocãtur autem Heliades, à patre Sole, qui Græcis* ἥλιος *dicitur. Ouid. lib. 2. Metamorph.*

Nec minus Heliades lugent, &c.

Item Phaëthontiades, à fratre. Verg. Eclog. 6.

Tum Phaëthontiades musco circundat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Helisos, *fluuius est Atticæ, de quo Stat. lib. 4. Theb.*

—Quos pigra uado Langia tacenti
Lambit, & infractu riparum incuruus Helisos.

Hellas, *ados, dicitur Græcia ab Hellane Deucalionis & Pyrrhæ filio. Hellenes, ipsi Græci.*

Helle, *filia Athamantis regis Thebarum & Nepheles, quæ nouercæ insidias cum Phryxo fratre fugiens, arietem aurei uelleris conscendit, ut eo modo Colchos ueheretur. Quos cum per mare ferret aries, uenissentq́; iuxta Byzantium urbem, contigit ut Helle puella maris æstu perterrita in pontum decideret, qui inde Hellespontus uocari cœpit. Ouid. lib. 11. Metam.*

Angustum citra pontum Nepheleidos Helles
Laomedontæis Latonis astitit aruis, &c.

Hellespontus, *ut in præcedentibus audiuimus, est angustũ mare, Asiam & Europam septẽ tantũ stadijs disterminans ab Austro, à Tenedo insula usq; ad Propõtidẽ uersus Septentrionẽ extẽditur. Casu quoq; Leandri iuuenis & Herûs puellæ nobilitatum. Ouid. lib. 13.*

Longus in angustum quà clauditur Hellespontus.

Heluetij, populi fuerũt Galliæ, quos interijsse putant: nã qui hodie illorũ regionẽ tenent, Alemanni sunt. De his multa apud Cæsarem in Commentarijs. Mantuan.

Heluetij genus armipotens, &c.

Helice, est ursa maior, sidus Septẽtrionale, quod in nauigãdo obseruãt & sequũtur Peloponesij. Vide Arcas.

Helicon, mons est Bœotiæ, non procul à Parnaso, Phocidi uicinus, Apollini sacer & Musis, quæ ꝓpterea Heliconiades uocantur à Persio. In eo est fons caballinus, quem Pegasus ungula fecit. Horat. lib. 2. Epist.

Vt studio maiore petant Helicona uirentem.

Inde Heliconius, a, um.

Heraclea, ciuitas est Bosphorana, in finibus Europæ, quæ antea Perinthus uocabatur. Mantuan.

–Quà magna Perinthus
Antè fuit, priscum mutauit Heraclea nomen.

In hac fuit amphitheatrũ tanta structura, ut inter septẽ orbis miracula connumeratum sit. Alia est in radicibus Oētæ mõtis, quã Asaris fluuius abluit. Alia in ponto iuxta Lycum amnem. Alia iuxta Rhodani ostia. Alia item in Campania, quæ & Herculanum dicitur. Hinc Heracleotes, aliquis ex Heraclea.

Herceus, ἑρκεῖος, dictus est Iupiter, qui intra conseptum domus cuiusq; colebatur: eundem quoq; Deum penetralem uocabant. Ouidius:

Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.

Hercules, ἡρακλῆς, filius fuit Iouis ex Alcmena Amphitryonis coniuge, ut suprà audiuimus: qui Iunonis odio propter Alcmenam pellicem, Eurysthei, quem Iuno instigabat, mãdatis ad tollẽda uaria mundi mõstra missus fuit: sperabat enim sic fore, ut periret: sed is semper

si fœcunda, sterilis fit. Hinc Campi Geloi, *stagno illi adiacentes. Sunt tamē, qui ab Gela fluuio dictos uolūt.*

Geloni, *populi sunt Scythiæ, Agathyrsis contermini, dicti à* Gelono *Herculis filio. Multas singuli habebant uxores: contenti uiuebant suis finibus, ut ait* Horatius *lib. 2. Carm. Sanguinem equinum bibebant cum lacte, teste* Vergilio *in* Georg.

Profuit immensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine uenam,
Bisaltæ quo more solent, acerq́; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, *aut in deserta Getarum,*
Et lac concretum cum sanguine potat equino, &c.

Genius, *dicebatur à priscis* Deus *naturæ, & qui omniū rerum gignendarum uim haberet: unde cuiusq; rei dicebatur suus Genius: hominiq́; duos Genios aßignabāt: bonum & malum. Accipitur pro ipsa natura: quidam ipsam animam, uel deum, uel spiritum esse uolunt, qui mortales ad uoluptatem incitet.*

Genua, *insignis Liguriæ urbs maritima, in extremis* Allobrogum: *sic dicta à* Genuo Phaëthontis *socio, ibidem relicto. À quibusdam* Ianua *uocatur, quasi à* Iano *Italorum rege condita.*

Genūsus, *fluuius, quem* Dyrrhachio *euntes in* Thessaliā, *inueniunt. Lucan. lib. 5.*

Quam uolucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis, &c.

Germania, *ampla regio Europæ, quæ à* Gallis, Rhetijs, *à* Pannonijs Rheno *&* Danubio *fluminibus, à* Sarmatis Dacisq́; *mutuo metu ac montibus separatur, cætera ambit* Oceanus.

Germani, *eius populi, sic appellati, quasi* Gallorum *fratres,*

tres, quibus solent esse moribus similes. De his multa Caesar in Commentarijs. Ouid. lib. 4. Trist.

Iam fera Caesaribus Germania, totus ut orbis, &c.

Geryon, *rex fuit Hispaniae, secundū Hesiodū Chrysaoris filius: qui quoniā tria regna tenebat, tricorpor dictus est: postea ab Hercule occisus est, qui pecora eius egregia, Graeciā usq; cū magna pōpa deduxit. Verg. lib. 8.*

Tergemini nece Geryonis, spolijsq; superbus.

Alij tres fratres uno nomine Geryones dictos uolunt: & quoniam tanta inter se concordia uiuerent, una anima regi putatos.

Getae, *populi feri in Scythia, quos olim Dacos nominatos uolūt: nullos habēt in agro limites, sed fruges cōmunes. Gaudēt sagittis & pharetris: integūtur ferarū pellibus, bibunt equinum sanguinē permixto lacte. Ouid.*

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe, &c.

Inde Geticus, *a, um.*

Getulia, *regio est Aphricae iuxta Garamantes.* Getuli, *eiusdem populi. Habet autem hoc nomen priores syllabas indifferentes. Ouid.*

Quid dubitas uinctam Getulo me tradere Hiarbae?

Lucanus:

Inculto Gētūlus equo, semperq; paratus, &c.

Adiectiuū uerò Getulus, *a, um, semper producit. Ver.*

Et Gētūlae urbes, genus insuperabile bello, &c.

G I.

Gigantes, *Titanis & Terrae fuerūt filij, qui tanta superbia elati, ut impetum in deos fecerint, eosq; coelo deijcere conati sunt: cuius rei causa dij territi, omnes mutatis figuris in Aegypto delituerunt. Tandem à Ioue fulmine partim sub Aetnam aliasq; insulas, partim ad inferos*

G N.

Gnidos, *urbs est* Lyci*æ duos portus habens, & in fronte insulam aggeribus continenti iunctam, in qua maior pars ciuium habitabat. In ea fuit Veneris templum & simulachrū à Praxitelo mira arte sculptū. Ouid. lib. 10.*

Piscosamq́; Gnidō, grauidamq́; Amathunta metallis.

Hinc Gnidius, *a, um.*

Gnosus, *siue* Cnosus, *siue* Cnossus, κνωσσὸς, *urbs est Cretæ in plano sita, olim Cerathus dicta, à præterlabentis fluuij nomine: hodie Candia uocatur, quondam Minois regia.* Gnosus, Gnosius, Gnosidus, & Gnosiacus, *a, um. Verg. lib. 6.*

Gnosius hæc Rhadamātus habet durißima regna.

G O.

Gorgias, *Leontinus sophista, & rhetor celeberrimus, qui arte sua tantū pecuniæ corrasit, ut auream statuā primus omnium poneret in tēplo Apollinis Delphici.*

Gorgythion, *Priami filius ex Castianira in Aesina ciuitate susceptus, postea in bello Troiano à Teucro Telamonis filio confoßus occubuit.*

Gorgones, *filiæ fuerūt Phorci ex marino mōstro susceptæ, Medusa uidelicet, Stenio, quā Hesiodus Stenô uocat, & Euryale: uide infrà* Medusa. *Hæ Dorcades insulas in Aethiopico mari habitarūt. Dictas autē uolūt ab agilitate, γόργον enim agilem sonat. Vide Eras. in prouer. Orci galea. Inde fit* Gorgoneus, *a, um. Oui.*

Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Gortina, *uide* Cortina.

Gotthi, *siue* Gothi, *populi sunt Scythici prope Daciā, qui nunc Sueci & Rusci uocantur. Hi imperante Honorio multas prouincias, immo & Italiam Alarico*

dace omnem ſubegerunt, ipſamq́; urbem Romam ceperunt. Mant.

Ora ſubit Gothus armipotẽs & Vãdalus acer. Idẽ,
Quã ferus algenti Gotthus deſcendit ab axe.

Inde Gothicus,*a,um.*

G R.

Gracchi, *duo fuerunt fratres apud* Romanos, *Tyberius & Caius Gracchi, ambo eloquẽtes, quorum facundiæ mater Cornelia multum contulit. Hi multas factiones concitarũt in rep. uoluerunt enim commouere plebem in ſenatum, & reuocare leges agrarias, de agris uiritim diuidẽdis, ob quã cauſam ambo occiſi ſunt. Iuuen.*

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Gradiuus, *dicitur Mars, belli deus, quem quidam hoc nominis traxiſſe uolunt à gradiendo, quòd in bello ultro congrediatur: alij à gramine, quòd ex gramine natus ſit. uide infrà de* Marte. *alij à uibratione haſtæ:* κραδαίνειν, *enim Græcis uibrare eſt: alij neq; Græcum, neq; Latinum uocabulum eſſe contẽdunt, ſed Thrax, ſignificareq́; bellicoſum & fortem. Verg.*

Gradiuumq́; patrem Geticis qui præſidet aruis.

Grææ, γραῖαι, *tres fuerunt ſorores, Phorci filiæ, unicum tantum habentes oculum, & dentem, quibus uiciſsim inter ſe tres utebantur. Harum ope Perſeus ad Gorgonas peruenit. Vide prouerb. apud Eraſ. Orci galea, ubi hæc omnia copioſius.*

Græcia, *regio eſt Europæ undiq; mari circumſcepta, prætérquàm à Septentrione, ubi Pindo, Olympo, & Oſſa montibus clauditur. Sic dicta à Græco rege. Græci, qui & Graij, Danai, Pelaſgi, Achæi, Argolici, Achiui dicuntur, eiuſdem populi. Olim quidem Græcia adeò*

bonis

bonis artibus florebat, ut undiq; iuuentus ad eam confluxeret, discendi causa: hodie uerò barbarie inquinata tota Turcarum imperio paret. Iuuenal. Sat. 10.

– Et quicquid Græcia mendax
Audet in historia, &c.

Gratiæ, *tres sunt, Aglaia, Thalia, & Euphrosyne: de quibus suprà in dictione* Aglaia.

Grauiscæ, *Hetruriæ ciuitas est, de qua Vergil. libro* 10.

Et Pyrgi ueteres intempestæq; Grauiscæ.

Gryneum, *oppidum Myrenæorum, ut docet Strabo lib. 13. in quo tēplum Apollinis & locus uaticinandi peruetustus. templum autem candido marmore sumptuosum erat, in quo ipse Apollo colebatur, unde &* Grynæus *appellatur. Verg. Eclog. 6.*

Hic tibi Grynæi nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus quo se plus iactet Apollo.

G Y.

Gygæa, *γυγαῖα, lacus est Lydiæ, à quo* Gygæus, *a, um. Propertius libro 3.*

Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Gyges, *γύγης, siue ut alij scribunt, γύης, Titanis & Terræ fuit filius, immanis gigas, & centimanus, frater Briarei. Sunt tamē, qui Briareū, Gygen, & Aegæona eosdē esse putant. Ouid. lib. 4. Trist.*

Centimanumq; Gygen, semibouemq; uirum.

Alius fuit rex Lydiæ, qui anuli ope ex regio pastore factus est rex, cuius fabulā describit Cicer. lib. 3. Offic. Est etiam nomen proprium uiri apud Maronem lib. 9.

Principio Phalarim & succiso poplite Gygen
Excipit, &c.

Item formosi cuiusdam pueri, apud Horat. lib. 2. Carm.

Luna mari Gnydius'ue Gyges.

Gyarus,*ri*,& Gyari,*orum*,*parua insula in Aegeo mari, una ex Cycladibus, in quam Romani noxios relegabant.Iuuenal.Satyr.*1.

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

DE LITERA H.

H A.

HAemō,αἵμων,*Thebanus fuit iuuenis, qui tanto amore dilexit Antigonen Oedipi & Iocastæ filiam,ut ad mortuæ tumulum seipsum interfecerit: fuerat enim Antigone iussu Creontis iugulata, ut superius audiuimus.*Prop.*lib.*2.

Quid non Antigones tumulo Bæotius Hæmō, &c.

Hæmus,& Hæmonia,*uide* Aemus.

Halcyone,*uide* Alcyone.

Halesus,*Agamemnonis fuit filius ex Briseida, ut quidā uolunt: ex Clytæmnestra,ut alij: dicunt enim hunc cum matre sensisse contra patrem,& postea patria pulsum in Italiam uenisse, atque apud Maßicum Campaniæ montem consedisse,& tanquam Troiani nominis hostē Turno aduersus Aeneam fauisse.*Verg.

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis,
Iungit Halesus equos,&c.

*Ouid.quoq; li.*4.*Fast.autor est,hūc Faliscos cōdidisse.*

Halesus,*fluuius est Siciliæ,de quo Columella:*

Et quæ Sicanij flores legistis Halesi.

Halicarnassus,*ciuitas est Cariæ maritima, in minori Asia,principū regia,Argiuorū colonia,in qua Mausoli quondam nobilißimum opus extabat.* Inde Halicarnassæus,*a*,*um*.

Halizones,*populi Paphlagonum, dicti* ἀπὸ τοῦ ὑποζώσασθαι ἅλι,

νῆσοι ἅλι, hoc est, quòd mari undique circundentur.

Halys, fluuius est, qui in Tauri radicibus oriens Syros, Cappadoces, Paphlagonesq; interfluit, ut tradit Herodotus: Ptolemæus uero originem & exitum eius in Paphlagonia describit. Ouidius libro quarto de Ponto:

Influit & crebro uortice tortus Halys.

Hamadryades, *uide* Dryades.

Harmonia, *Martis & Veneris filia, Cadmi uxor, cui Vulcanus pulchrum, sed exitiale monile dedit, eò quòd ex coniugis adulterio fuisset prognata.* Reliqua suprà de Cadmo, & apud Ouidium libro 4. Metamorph.

Harpalice, *mulier fuit Thrax, Licurgi filia, uenationibus dedita: hæc cum patrem senem à Getis captum sensisset, collecta confestim multitudine, & celerius, quàm de fœmina sperari potuerit, illum armis & robore liberauit. Vergilius libro 1. Aeneid.*

–Vel qualis equo Threïssa fatigat
Harpalice, uolucremq; fuga præuertitur Hebrum.

Harpe, *gladius est Mercurij, falcatus, quo Perseum usum ferunt. Ouid. lib. 5. Metamor.*

–Et inertia frustra
Brachia tendentem Cyllenide concidit Harpe.

Harpocrates, *deus fuit Aegyptiorum ex Iside & Osiride natus, cuius simulachrum fingebatur digito labris admoto.*

Harpyię, ἅρπυιαι, *ut est apud Seruium, Neptuni & Terræ fuerũt filiæ uolatiles, uultu uirgineo, ũcis manibus. Alij ex Thaumante & Electra prognatas affirmant. Strophades insulas incolunt: dictæ ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν. id est, à diripiendo. Harum nomina sunt Aëllo, Ocypete, & Celæno, quarum posteriorem Homerus Podargen*

uocat, & ex ea Zephyrum uetum Achillis equos, Balium uidelicet & Xanthū genuisse dicit. Hesiodus tantum duas nominat, Aëllo uidelicet & Ocypeten. De Harpyijs quoq; suprà de Calai & Zethe, item infrà de Phineo. Verg. lib. 3. Aeneid.

Accipiunt Strophades: Graio sunt nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæq; colunt aliæ, &c.

Hasdrubal (*sunt tamen qui aspirationem reijciant*) *dux fuit Carthaginiēsis, frater Annibalis, occisus à Romanis in faucibus Italiæ cum maximo exercitu, quem fratri afferebat.*

H E.

Hebe, ἥβη, *filia fuit Iunonis absq; patre, ut Latinorum poëtæ asserūt. Apollo enim cū Iunoni nouercæ conuiuium in patris sui domo parasset, inter alia lactucas agrestes ei apposuit, quas cum Iuno desiderio commedisset, ilico, usque tūc sterilis, prægnās effecta est, peperitq; Heben: quam postea Iupiter ob formæ elegātiam ad officiū pincernatus assumpsit, deamq; iuuētutis effecit. Tandem cùm ipse unà cum cæteris dijs apud Aethiopes commessaturus iuisset, contigit, quòd administrante eius Hebe pocula, perq; lubricum minus cautè incedēte caderet, amotisq; uestibus obscœna superis monstraret, quam ob rē ab officio est amota, eiusq; loco Ganymedes subrogatus. Homerus autē ex Ioue eam cōceptā esse tradit, neque omnino ab officio remotā, sed cæterorum deorum pincernam fuisse, Ganymedem uerò solius Iouis. Ouid. lib. 9. Metamorph.*

Hoc illi dederat Iunonia muneris Hebe, &c.

Hebrus, *Thraciæ fluuius, nascitur iuxta Adrianopolim, in monte*

in monte Rhodope, labiturq; in Aegeum mare, è regione Samothraciæ insulæ. Celebratur propter aurū, quod ex arena eius colligitur. Poëtæ fabulātur in hunc Orphei caput proiectum esse, unde & Oeagrius dicitur, ab Oeagro Orphei patre. Verg. lib. 4. Georg.

Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulsum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, &c.

Hecate, dicitur Proserpina, uel quia centum uictimis placabatur, unde & Hecatombe nomen habet: uel quia centum annos errare faciebat insepultos. Alia fuit Hecate uenenorum & herbarum, radicumq; cognitione peritissima, ex Perseo Solis filio & Aeete fratre, quem in Taurica regione regnasse Dionysius Milesius testatur, progenita. Ab hoc igitur illam Perseida dictam alij uolūt, alij uerò à patre Perse Titano. Ouid. li. 7. Meta.

Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras.

Valerius Flaccus lib. 6.

Hanc residens altis Hecate Perseia lucis
Flebat, &c.

Hector, filius fuit Priami, ex Hecuba uxore, Troianorum omnium fortissimus, quo sospite, Troia nunquam potuit expugnari. Vxorem habuit Andromachen, ex qua Astyanacten suscepit, quem Vlysses capta Troia è fastigio turris præcipitauit. Solus Græcos, quemadmodum Achilles solus Troianos, fugabat, ex quibus Prothesilaum & Patroclum aliosq; permultos interfecit. Tandem ab Achille interemptus est, à quo etiam bigis ter circum Iliacos muros raptatus, ut fabulatur Verg. libro primo Aeneidos:

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Tandem eius corpus per duodecim dies insepultum ab Achille seruatum Priamus auro redemit, idq; ueteri more honorificentißimè cremauit. Vide quoque suprà de Achille.

Hecuba, *filia fuit Cissei regis Thraciæ, & uxor Priami, ex qua multos filios & filias suscepit. Tãdem uiro cum filijs occiso, & Troia diruta, præ nimio dolore mutata est in canem.*

Hedui, *populi Galliæ post Heluetios & Sequanos in occasum uergentes, iuxta quos ex Alpibus fluit Araris.*

Hegesias, *philosophus Cyrenaicus, tam eloquens, ut cùm aliquando uitæ humanæ miserias commemoraret, mortemq; harũ omniũ certißimum eße remedium perhiberet, multi exauditorum numero sibijpsi mortem consciuerint. Postea tamen à Ptolemæo de hac re ulterius dicere prohibitus est.*

Hegaleos, *mons est Atticæ nemorosus, de quo Stat. li. 12.*
Diues & Hegaleos nemorum, Parnesq; benignus
Soluatur, &c.

Helena, *filia fuit Iouis & Ledæ. Hæc ob formæ elegantiam, qua cæteris præstabat, à multis amata est, & primum à Theseo adhuc uirguncula rapta, sed postea absente Theseo à Castore & Polluce repetentibus citra iniuriam restituta: mox adulta Menelao Lacedæmonũ regi nupsit. Paris autem Priami filius nemini quoq; forma cedens, illius pulchritudine illectus Spartam nauigauit, ibiq; Helenã ipsam absente Menelao, à quo prius benignè fuerat exceptus, rapuit. Alij tamen dicunt, cùm postulata Hesiona negaretur, Paridem illam regionem bello uastasse, & expugnata Sparta Helenam captiuã abduxisse. Hac itaq; iniuria uniuersi Græcorũ*

principes

principes commoti, primum omnes in Aulide coniurarunt de repetenda Helena, *& euertendo* Ilio, *ut decẽnali bello factũ est.* Porrò *occiso* Paride Deiphobo *eius dem fratri nupsit.* Græci *itaq; armis diffidentes, proditione urbem capere conati sunt: & cum discessum ex cõposito simulassent, illa ex arce accensa face ad occupandam urbem* Græcos *reuocauit.* Capta *urbe,* Menelaum *in cubiculũ, ubi* Deiphobus *dormiebat, uocauit, quo interfecto cum uiro in gratiam rediisse* Vergilius *autor est.* Hoc *igitur modo* Menelao *restituta cũ eodẽ nauem ascendens, tẽpestatibus in* Aegyptum *delata est: inde rursus nauigans cum marito incolumis in* Lacedæmoniam *peruenit.* Vergil. lib. 7.

Ledæamq; Helenam Troianas uexit ad urbes.

Helene, *alio nomine* Cranaë, *insula est una ex* Sporadibus, *quæ adiacet* Sumo *promontorio terræ* Atticæ. Dicta *autem quòd* Paris *raptæ* Helenæ *primum in ea stuprum intulerit.*

Helenus, *filius fuit* Priami *ex* Hecuba, *uaticinio clarus, quem quidam ob id à* Græcis *reseruatũ dicunt, quòd loca opportuna ad capiendam patriam reuelasset.* Ipse *etiam* Ilio *deiecto,* Pyrrho *nauigationẽ prohibuit, cæteris abeuntibus naufragium prædixit.* Quãobrem *nõ solũ à* Pyrrho *seruatus, sed etiã in* Epyrũ *deductus est: cui quoq; postea* Pyrrhus *cũ* Hermionẽ Oresti *rapuisset,* Andromachẽ Hectoris *coniugẽ, quam ipse uxoris loco habuerat, cõcessit, data simul regni parte, quã* Helenus *de fratris nomine* Chaoniã *dixit, ibiq; urbem ad similitudinem* Troiæ *cõdidit, in qua & profugum* Aeneam *hospitio suscepit.* Verg. lib. 3. Aeneid.

–*Cum sese à mœnibus heros*

Priamides multis Helenus comitantibus offert.

Heliades, *tres fuerunt filiæ Solis & Clymenes, sorores Phaëthontis, quarũ nomina sunt Phaëtusa, Lãpetusa, & Lãpetia. Hæ iuxta Padũ mortẽ Phaëthõtis fulmine deiecti flẽtes, in arbores, quas alnos uocãt, uersæ sunt, electrũ lacrymantes. Vocãtur autem Heliades, à patre Sole, qui Græcis* ἥλιος *dicitur. Ouid. lib. 2. Metamorph.*

Nec minus Heliades lugent, &c.

Item Phaëthontiades, à fratre. Verg. Eclog. 6.

Tum Phaëthontiades musco circundat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Helisos, *fluuius est Atticæ, de quo Stat. lib. 4. Theb.*

–Quos pigra uado Langia tacenti
Lambit, & infractu riparum incuruus Helisos.

Hellas, *ados, dicitur Græcia ab Hellane Deucalionis & Pyrrhæ filio.* Hellenes, *ipsi Græci.*

Helle, *filia Athamantis regis Thebarum & Nepheles, quæ nouercæ insidias cum Phryxo fratre fugiens, arietem aurei uelleris conscendit, ut eo modo Colchos ueheretur. Quos cum per mare ferret aries, uenissentq; iuxta Byzantium urbem, contigit ut Helle puella maris æstu perterrita in pontum decideret, qui inde Hellespontus uocari cœpit. Ouid. lib. 11. Metam.*

Angustum citra pontum Nepheleidos Helles
Laomedonteis Latonis astitit aruis, &c.

Hellespontus, *ut in præcedentibus audiuimus, est angustũ mare, Asiam & Europam septẽ tantũ stadijs disterminans ab Austro, à Tenedo insula usq; ad Propõtidẽ uersus Septentrionẽ extẽditur. Casu quoq; Leandri iuuenis & Herũs puellæ nobilitatum. Ouid. lib. 13.*

Longus in angustum quà clauditur Hellespontus.

Heluetij, *populi fuerũt Galliæ, quos interijsse putant: nã qui hodie illorũ regionẽ tenent, Alemanni sunt. De his multa apud Cæsarem in Commentarijs. Mantuan.*

Heluetij genus armipotens, &c.

Helice, *est ursa maior, sidus Septẽtrionale, quod in nauigãdo obseruãt & sequũtur Peloponesij. Vide* Arcas.

Helicon, *mons est Bœotiæ, non procul à Parnaso, Phocidi uicinus, Apollini sacer & Musis, quæ ꝑpterea* Heliconiades *uocantur à Persio. In eo est fons caballinus, quem Pegasus ungula fecit. Horat. lib. 2. Epist.*

Vt studio maiore petant Helicona uirentem.

Inde Heliconius, *a, um.*

Heraclea, *ciuitas est Bosphorana, in finibus Europæ, quæ antea Perinthus uocabatur. Mantuan.*

—Quæ magna Perinthus
Antè fuit, priscum mutauit Heraclea nomen.

In hac fuit amphitheatrũ tanta structura, ut inter septẽ orbis miracula connumeratum sit. Alia est in radicibus Oëtæ mõtis, quã Asaris fluuius abluit. Alia in ponto iuxta Lycum amnem. Alia iuxta Rhodani ostia. Alia item in Campania, quæ & Herculanum dicitur. Hinc Heracleotes, *aliquis ex Heraclea.*

Herceus, ἑρκεῖος, *dictus est Iupiter, qui intra conseptum domus cuiusq; colebatur: eundem quoq; Deum penetralem uocabant. Ouidius:*

Cui nihil Hercei profuit ara Iouis.

Hercules, ἡρακλῆς, *filius fuit Iouis ex Alcmena Amphitryonis coniuge, ut suprà audiuimus: qui Iunonis odio propter Alcmenam pellicem, Eurysthei, quem Iuno instigabat, mãdatis ad tollẽda uaria mundi mõstra missus fuit: sperabat enim sic fore, ut periret: sed is sem-*

per

per uictor cum maxima etiam rerum gestarum laude redibat. Et *licet multi fuerint* Hercules, *qui uarijs tẽpo ribus floruerunt, omnes heroica uirtute rerumq́; gesta-rum magnitudine insignes: tamen huic uni reliquorum omnium labores tribuuntur: quorum quandoquidem undiq; fit mentio, uisum est celebriores subijcere.* Pri-*mò itaq; cùm adhuc in cunabulis iaceret, geminos an-gues à* Iunone *immissos elisit.* I I. *Thespij filias nu-mero quinquaginta, adhuc puer, sed corporis robore præstans, una nocte compreßit, suscepitq́; quinquagin ta filios, quos* Thespiadas *uocauerunt.* I I I. *Iã adul tus* Hydram *colubris & capitibus pullulantem face & ferro in* Lerna *palude oppreßit.* I I I I. *Ceruam æri-pedẽ, aureaq́; habentem cornua in* Mænalo *monte cur su depræhendit, atq; interfecit.* V. In Nemea *sylua iuxta* Cleonas *inusitatæ magnitudinis leonẽ iugulauit, & detractam pellem pro insigni gestauit.* Vicit *quoq;* Theumesium *leonem, cuius meminit* Statius *in* Theba-*ide.* V I. Diomedem Thraciæ *regem, qui equos suos hospitũ carnibus & sanguine pascebat, deuicit, uictũ ipsius equis in pabulum dedit.* V I I. In Erymantho Arcadiæ *monte terribilem aprum, & omnia circa illũ locum deuastantem cepit, eumq́; uiuum ad* Eurystheũ *detulit.* V I I I. *Stymphalides aues sagittis, ut quidam uolunt, interfecit, ut alij, sonitu aheneí crepitaculi usq; ad insulã* Aretiada *fugauit.* I X. Taurũ *(cui* Neptu-*nus furorem immiserat, eò quòd* Minos Neptuno *sa-crificaturus optasset uictimã maiestate illius dignã: cui cum pulcherrimus taurus ab eodem deo fuißet oblatus, ipsum* Minos *seruare uoluisset) insulã* Cretam *ferè totã deuastantem domuit, eumq́; uinctum ad* Eurystheum

detulit:

detulit: qui postea eum Atticæ regioni immisit, cui plurimũ damni intulit: sed à Theseo interfectus fuit apud Marathonem, ut canit Ouid. lib. 7. Metamorph. x. *Acheloum superauit, ut suprà dictũ est.* xi. *Busiridẽ Aegypti regem hospites suos mactantẽ occidit.* xii. *Antheum gigantem in Libya lucta uictum suffocauit.* xiii. *Calpen & Abylam montes antea coniunctos diuisit.* xiiii. *Aurea mala in Hesperidũ hortis, interẽpto prius dracone peruigili, qui ea custodiebat, sustulit.* xv. *Cœlum iam fesso & succumbente Atlante, humeris tulit.* xvi. *Geryonem Hispaniæ regem tricorporem bello superauit, eiusq; armenta abduxit.* xvii. *Cacum latronem Vulcani filium semihominem & flammiuomũ oppreßit.* xviii. *Lacinum latronẽ extremam Italiæ oram infestantem sustulit, ibiq; Iunoni templum constituit, quod Iunonis Laciniæ appellauit.* xix. *Albionem & Bergionem iter ipsius impedientes haud longè ab ostio Rhodani, à Ioue patre lapidum imbre adiutus, deuicit.* xx. *Pyrechmum Euboeæ regem Bœotijs bellum inferentem profligauit, eumq; pullis equinis alligatũ in diuersas partes discerpsit.* xxi. *Centauros domuit.* xxii. *Augiæ stabulum repurgauit. uide suprà.* xxiii. *Hesionen Laomedontis filiam monstro marino expositam liberauit, occiso prius ceto, sed cum Laomedon equos præstantißimos in præmium illi pollicitos, denegaret, Hercules indignatus Troiam euertit, & occiso rege Hesionen Telamoni, qui primus murum conscenderat, in prædæ partem conceßit.* xxiiii. *Diripuit insulam Cô, regemq; Eurypylum cum uxore & liberis trucidauit. uide suprà in dictione Côs.*

xxv.

XXV. Amazonas debellauit, earumq; Hippolytē reginā cepit, cui baltheū abstulit, Eurystheoq; regi tradidit, captam uerò Amazonē Theseo bellorū socio dedit. XXVI. Ad inferos descendit, & Cerberum iter prohibentem triplici cathena uinctum ad superos traxit. Sunt qui dicunt Herculem etiam adiuuasse Theseum in rapienda Proserpina: alij solum Theseum eduxisse ad superos, Ditemq; uulnerasse. XXVII. Alcesten Admeti regis coniugē ab inferis ad uirū reduxit. XXVIII. Ab inferis reuersus Lycum Thebarum regem, eò quòd Megaræ coniugi uim uoluisset inferre, interemit. XXIX. Promethei aquilam, quæ senis istius in Caucaso alligati epar deuorabat, sagittis traiecit. XXX. Cygnū Martis filiū equestri certamine uicit. XXXI. Occidit Theodamantē, quòd ei cibum denegasset, illiusq; filium Hylam sibi charißimum secum abduxit. XXXII. Cercopas uicit, dum Omphalæ Lydorū reginæ seruiret. XXXIII. Pylū diripuit, eiusq; regem Neleū cum tota domo præter Nestorē trucidauit, insuper Iunonem Neleo opem ferētem trisulco uulnerauit. XXXIIII. Eurythum Oechaliæ regē occidit, ipsamq; Oechaliam urbem deleuit, & Iolen Eurythi filiam sibi uxorem denegatam, quam tamen parens antea desponderat, ui obtinuit, eamq; secum in Eubœam abduxit. Quod cum Deianira coniux resciuisset, maritum uidelicet suum Ioles amore detineri, Neßi Centauri uestem per Lycham seruum illi misit, putans eadē abstrahi maritum suum ab aliarum amore, quemadmodum Centaurus ipsi persuaserat. Cum itaq; Hercules uestem sacrificaturus induisset, in tantam rabiē uersus est, ut constructa pyra seipsum combusserit. Post

mortem

mortem uerò in Deorum numerum relatus est. Habentur & aliæ res gestæ apud Diodor. *Siculũ, quas si quis uolet, inde petat. Ab eo fit* Herculeus, *a, um. Horat. lib.* 1. *Carm.*

Perrupit Acheronta Herculeus labor, &c.

Hermaphroditus, *filius fuit Mercurij et Veneris, à quibus etiam nomen traxit: est enim Græcis* ἑρμῆς *Mercurius, &* ἀφροδίτη *Venus. Hic cum uagabundus in Cariam ad lympidissimum fontem, quem Salmacis nympha incolebat, peruenisset, illa subitò eius amore correpta (erat enim adolescens formosissimus) cum neq; blãditijs, neq; precibus ad concubitum flectere posset, simulato recessu post ueprem latuit. is autem nympham abijsse ratus, fontem nudus intrauit: quod uidens Salmacis, subitò accurrit, & abiectis uestibus arctissimè eum cõplexa est. Sed cum neq; tunc obstinatũ exorare posset, à dijs petijt, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur: itaq; factũ, ut qui uir fontẽ intraret,* Ἀνδρόγυνος, *id est, utrumq; sexum habens, exiret. Hinc omnes Androgyni uocantur Hermaphroditi.*

Hermiõna, *ciuitas est in conspectu maris Aegei, producitq; duas medias. Verg. in Cyri:*

Hinc sinus, hinc statio, contrà patet Hermiona.

Hermiŏne, *filia Menelai ex Helena, admodum formosa, militante patre apud Troiã Oresti Agamemnonis filio desponsata fuit: sed hanc quoq; Menelaus huius rei inscius apud Troiam promisit Pyrrho Achillis filio: qui domũ reuersus cum Aegistus regiã occiso Agamemnone occupasset, atq; Orestes ad regem Strophium Phocensem Electræ sororis auxilio clàm ablegatus esset, Hermionẽ reluctãtẽ ui rapuit, tradita Andromacha*

Hectoris

Hectoris coniuge, quæ illi in sortem cesserat, proq; uxore habuerat, Heleno uati, filio Priami. At Orestes posito furore, quo ob interfectam à se matrẽ cruciabatur, ex Taurica regione rediens Pyrrhum in templo Apollinis Delphici trucidauit, suamq; sponsam recepit. Vergilius lib. 3. Aeneid. —Qui deinde secutus

Ledæã Hermionẽ Lacedæmoniosq; hymenæos, etc.

Hermus, fluuius est, qui ortus in Dorylao monte Phrygiæ Smyrneos campos secat. Phrygiamq; à Caria diuidit, atq; etiã Lydiã alluens in mare labitur: & quoniam cãpus superfusus maximã gignit fertilitatẽ, creditus est olim fluctibus aureis æstuasse. Verg. lib. 2. Geor.

Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus.

Hernici, populi in Campania, saxa incolentes: dicti uel à saxis quas illi Hernas uocant, uel ab Herno Pelasgo, qui eorum dux fuit: horum metropolis est Anagnia. Verg. lib. 7. Aene. —Et rosida riuis

Hernica saxa colunt, quos diues Anagnia pascit.

Hero, ἡρῶ, puella formosißima, Veneris sacerdos, ex Sesto urbe Europæ ad Hellespõtum sita, & ex aduerso Abydo Asiæ ciuitati. quæ correpta amore Leandri adolescẽtis Abydeni, lucernã accensã noctu ponebat in fastigio turris, ad cuius lumẽ Leãder natabat: sed aliquãdo furentibus uẽtis & tẽpestate suborta extincta est lãpas, & natator submersus, cuius corpus cũ forte fluctibus ad Sestõ urbẽ delatũ esset, Hero illud uidẽs præ nimio dolore se è turri præcipitauit. Vide Ouid. in Epist. & Musæũ, qui horum mutuos amores descripserunt.

Herostratus, uir quidam fuit, qui ut famam sui nominis dilataret, templum clarißimum Dianæ Ephesiæ incendit, moxq; seipsum prodidit.

Hersilia, *uxor fuit Romuli, quam rapuerat Sabinis inter alias uirgines, cum ijdem ex inuidia filias suas Romanis clocare recusarent. Vide infrà* Sabini. *Hæc postea in Oram deam mutata est, ut ait Ouid. li.14. Meta.*

—A' cuius lumine flagrans

Hersiliæ crinis cum sidere cessit in auras.

Hesiodus, *poëta, natus est in Ascra Bœotiæ uicu: hic missus à patre ad ouium custodiam dormiens somniauit se repente factum poëtam. unde Mantuan.*

Tu sapis ut custos ouium Parnaßidos Ascræ

Incola, quem subitò Musæ instituere poëtam.

Scripsit poëmata, Theogoniam, Aspida, Heroidum mulierum catalogum, & quædam alia. Primus etiam agriculturæ præcepta tradidit. unde Ouid. lib. 6. Fast.

Ecce duas uidi, non quas præceptor arandi, &c.

Hesiône, *filia fuit Laomedōtis regis Troiæ, quā Hercules ceto expositam liberauit. Vide infrà* Laomedon. *Vergilius libro 8.*

Nam memini Hesiones uisentem regna sororis

Laomedontiaden Priamū Salamina petentem, &c.

Hesperia, *dicta est communi nomine Italia & Hispania: sed cum simpliciter dicitur, seu Hesperia magna, Italiā intelligimus. ut apud Verg. lib. 1. Aeneid.*

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

Si uerò ultima additur, Hispaniam, quæ in Occidentis fine est. Horat.

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima, &c.

Nomen autem sumpsit uel ab Hespero Atlantis fratre, Iapeti filio: uel ab Hespero stella.

Hesperides, *dicuntur filiæ Hesperi, quæ hortū habuerūt in Libya, in quo arbores erant aurea mala ferentes,*

quibus custodem adhibuerunt peruigilem draconem, quo tamē sopito & occiso, Hercules aurea poma sustulit. Vide *suprà* Aegle. Verg. Eclog. 6.

Tum canit Hesperidum *miratam mala puellam.*

Hespĕrus, *filius fuit* Iapeti & *frater* Atlantis, *qui à germano regno pulsus in* Italiam *uenit, ibiq; regnauit, à quo* Hesperia *dicta est.* Est *etiam stella uespertina.*

Hetruria, *alio nomine* Thuscia, & Hetruscia, *regio est* Italiæ, *quæ se à* Tyberi *ad occidentem usq; ad* Liguriā *extēdit, claruit olim maximè aruspicina, quā* Tages *ex hac regione oriūdus primus inuenerat. dictā* Hetruriā *quidam uolunt, quasi* ἑτερόυρια, *ab* ἕτερος, *id est alte, &* ὅρος, *id est, terminus, finis, quod eius fines tēdebātur usq; ad primā ripā* Tiberis. Hetrusci, *eiusdē populi.* Claud.

Fulmineos sollers Hetruria *consulat ignes.*

H I.

Hiarbas, (*quidam aspirationem abijciunt*) *filius* Iouis *ex* Garamātide *nympha.* Nam Iupiter *à cōuiuio* Aethiopum *rediens, cū uidisset in ripa* Bragadæ *fluminis* Garamantidē *nymphā, eius forma captus, cū ea concūbere optauit: nympha autē ipsum accurrētem uidens, fuga sibi consulere uoluit: uerū cancer quidā arrepto minimo pedis digito, maximo dolore eam affecit: quæ cum illū remouere conaretur, à* Ioue *superueniēte capta & cōpressa est: ex quo cōcubitu postea natus est* Hiarbas. Iupiter *autem cancri beneficij memor, eum inter astra collocauit.* Higinus *tamē à* Iunone *factum tradit, quòd* Herculis *pedē mordicus arripuisset, dū ille* Hydrā *extingueret.* Hic *postea* Getulorū *rex, cum uiduā* Didonē *cogere uellet, ut sibi nuberet, ad inferendā sibi mortem compulit, ut ab historicis traditur.* Vergili. lib. 4. Aen.

Destruat, aut captam ducat Getulus Hiarbas.

Hiera, *insula est inter Siciliam & Liparen, Vulcano sacra, una ex Aeolijs. Est etiam nomen nymphæ apud Maronem lib. 9. Aeneid.*

Pandarus & Bitias Idæo Alcanore creti,
Quos Iouis eduxit luco syluestris Hiera, &c.

Alij tamen Telephi Mysorum regis uxorem fuisse tradunt, & à Nereo interfectam, quòd marito ab Achille uulnerato opem tulisset.

Himĕra, *fluuius est per mediam Siciliam fluens. Est etiā urbis nomen eiusdem insulæ, unde adiect.* Himeræus, *a, um. Silius libro 4.*

Armauere suos quà mergitur Himera ponto.

Hiolcon, *oppidum in Thessalia, quod Thracenses Aemonij condiderunt. Lucan. lib. 3. —Quorumq; labore*
Thessalus Aemoniam uomer proscindit Hiolcon.

Hippocrates, *medicus fuit insignis ex insula Cô, unde & Cous appellatur. Auson.*

Cincta mari tellus quæ creat Hippocratem.

Hippocrene, *fons est Bœotiæ in Helicone monte, Musis & Apollini sacer, quem equus Pegasus pedis ungula elicuit, unde & nomen traxit. ἵππος enim Græci equum uocāt, κρήνην fontem. Alio nomine Caballinus uocatur. Ouidius lib. 5. Fastor.*

Dicite quæ fontes Aginippidos Hippocrenes.

Hippodăme, *es, quæ & Hippodamia, & Hippocatia ab alijs nominatur, Atrati filia & uxor Pirithoi, in cuius nuptijs Pirithous uicinos populos uocauit ad festum. Cumq; in huius sacris omnes Dij honorarentur præter solū Martē, factū est, ut Mars indignatus Cētauris furorem immiserit: qui statim contra Lapithas pugnauerunt, rapientes etiam quisq;, quam poterat uirginem.*

Verum Pirithous Thesei ope adiutus plurimos Centauros neci dedit recepta etiã spõsa. Ouid. lib. 12. Meta.

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus, &c.

Idem in Epist. —Indicere bella coëgit

Atracis Aemonios Hippodamia uiros.

Hæc à Propertio lib. 2. Atalanta Ischomache dicitur:

Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroinæ.

Hippodamia, à Propertio Ischomache dicta, filia fuit Oenomai regis Pisæ atq; Elidis, qui cũ ex oraculo, se à genero interemptum iri didicisset, & illa tamen à multis procis ob formæ præstantiam expeteretur, curule certamẽ procis instituit cum ipsa (habebat enim equos uelocissimos, qui ex uentorum flatu creati erant) ea lege, ut qui uinceret, filiam haberet, uictus subiret mortem. Tredecim igitur uictis & occisis, Pelops Tantali filius uisa illa puella eius amore protinus exarsit. cuius nuptias ut assequeretur, Myrtilum eius aurigã pollicitis corrupit, sic ut ille axes infirmos & fragiles subiunxerit, uel ut alij uolunt, obicem axi non obiecerit: & sic fracto uel dissoluto curru, Oenomaus excidit, mortuusq; Myrtili caput deuouit, precãdo ut & pòst à Pelope occideretur, quod & factum est. cũ enim pollicita à Pelope postularet, ab eodẽ in mare deiectus est, atq; hoc modo Pelops puella & regno potitus est. Alia item fuit Hippodamia Brisæ filia, quam Achilles expugnato Lyrnesso oppido secum abduxit: hæc tamen postea semper à patris nomine Briseis appellata est. Alia quoq; Hippodamia fuit Anchisæ filia, quæ Alcathoo Troiano in uxorem data est, quem postea Idomeneus Cretensis in pugna occidit.

Hippolyte, Acasti Magnesiæ regis fuit uxor, alio nomine

mine Creteis: cuius fabulam uide suprà de Acasto.

Hippolyte, alia, fuit Amazonum regina, quam Hercules prælio uictam Theseo bellorum socio in uxorẽ dedit (detracto tamẽ prius baltheo, quem ad Eurystheum detulit) cui Hippolytum genuit. Proper. lib. 2.

Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla.

Hippolytus, filius fuit Thesei & Hippolytes Amazonis: qui cum studio conseruandæ castitatis hominum consortia deuitans, aßiduè in syluis uenationibus sese exerceret, à Phædra nouerca, quam pater mortua priore coniuge induxerat, adamatus est tam uehementer, ut illum etiam de stupro appellarit. sed cum ille consentire nollet, despecta apud maritum eum falsi criminis detulit. Qui iratus inuocauit patrem Aegeum, ut Hippolyto currũ agitanti iuxta mare, phocas immitteret, quibus emißis equi territi currum ruperunt, ipsumq́; Hippolytum discerpsẽrũt: quo audito, Phædra nimio amore flagrans, laqueo gulam fregit. Alij tamẽ dicunt, quòd cùm Phædra priuignũ in suã sententiam trahere non posset, laqueo se suffocarit, relictis literis, quibus Hippolytum stupri arguebat, suæq́; mortis uocabat authorẽ. Postremò Aesculapius rogatu Dianæ, quæ Hippolytum unice amabat, eum uitæ restituit, quẽ postea dea in Aritium nemus deduxit, & Aegeriæ nymphæ curandum tradidit, eumq́; Virbium appellauit, quasi bis uirum, cum prius ab equis dissolutus fuerit, unde & Hippolytus dictus. Et licet ab omnibus poëtis pudicitiæ exemplar ostentetur, filium tamen suscepisse ex nobili quadã fœmina Aritia nomine, eundemq́; Virbium nominasse, Verg. lib. 7. Aeneid. author est, cum inquit,

Virbius, insignem quem mater Aritia misit.

Hippomenes, *ut inquit* Ouid.*lib.* 10. *Metam.* *Megarei fuit filius & Neptuni pronepos:ut alij, Martis,qui Atalanta Schœnei, seu Iasij filiam cursu pedum uictam in uxorem duxit. sed cùm neglecta religione, in Cybeles tẽplo rẽ venereã fecissent, ambo mutati sunt in leones, ut suprà dictũ est de* Atalãta *posteriore.* Ouid.*lib.* 10.

Quid me solicita proles Neptunia uoce
Inuocat Hippomenes,&c.

Hipseus, *filius fuit Asopi fluminis,qui Etheocli in auxilium uenit aduersus Polynicen. Stat.*

Hipsea quadrijugos clypei septemplice tauro,&c.

Hispania, *magna Europæ regio, fertilitate insignis,quæ Aphrica, Gallia, & Pyreneis montibus clauditur:est autem duplex,citerior & ulterior. Citerior prouincias habet Gallætiã,Taraconensem, & Carthaginiensem. Vlterior uerò diuiditur in Bethicam & Lusitaniam, quæ nũc Portugallia dicitur. Dicta alio nomine Iberia ab Ibero insigni eius flumine: itẽ Hesperia,ut superius auditum est. Hispaniam uerò nominatam uolunt,uel ab Hispalo rege,uel ab Hispali eius urbe,quam nostrates Siliam uocant.* Hispani, *populi. Tibullus lib.* 4.

–Nec latis audax Hispania terris,&c.

H O.

Homerus, *Græcorum poëtarum maximus,& reliquorũ poëtarũ fons,ut asserit Ouid.prius Melesigenes dictus, deinde à cæcitate* Homerus, *quod lingua Ionica cæcũ sonat. Lippum fuisse credo,quoniã omnino cæcũ fuisse, ut quorũdam opinio est,credibile non uidetur. quomodo enim uisu priuatus regum atq; principũ officia, & mores uitamq; aulicam, aliaq; permulta adeò exactè describere potuisset, nisi ferè ab ineunte ætate cum maximis*

ximis

ximis etiam uiris uersatus fuisset? Probabilior itaq; ratio esse uidetur, aut ægris illũ fuisse oculis, aut in ipsa senectute oculorum usu caruisse. Sed ut ad rem redeam, scripsit duo opera, alterũ de bello Troiano, quod Ilias dicitur: alterum de Vlysse, quod Odyssea nominatur: quæ postea Aristarchus grammaticus in ordinẽ redegit. Reliquit & alia opuscula. De patria eius magna est diuersitas. Nam

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Homŏle, *uel ut alij,* Homolus, & Hotris, *montes sunt Thessaliæ. Verg. lib. 7.*

Ceu duo nubigenæ cùm uertice montis ab alto
Descendunt, Homolen Hotrinq; niualem, &c.

Horatius Cocles, *Romanus uirtute insignis, qui obsessa à Porsena rege Hetruscorum Roma, pro ponte Sublicio stetit, sustinuitq; solus hostilem impetũ, donec pons à tergo incideretur, quo cum armatus in Tyberim decidit: sed natandi arte peritus euasit, amisso tantùm altero oculorum. unde Cocles uocari cœpit. Vergilius lib. 8. Aeneid.*

Aspiceres, pontem auderet quòd uellere Cocles.

Hotris, *uide* Homolen.

H V.

Hunni, *gens fuit Scythica, quæ circa Mæotidem paludem habitarunt: hi pertæsi pristinæ sedis, egreßi duce Atila per totam Italiam & Galliam peruagati sunt: tandem reuersi in Pannoniam se contulerunt. hodie Vngari uocantur. Claudianus:*

Iam parat insidias, qui nos aut turpibus Hũnis, &c.

H Y.

Hyacinthus, *Amyclæ fuit filius, facie honestißima, qui ab Apolline & Zephyro uento simul adamatus est. sed cùm in Apollinis amorem magis inclinaret, ob zelotypiã in se Zephyrũ armauit. Quum igitur disco se cũ Apolline exerceret, Zephyrus uehemẽtius flare cœpit, discumq; ab Apolline in aërem cõiectum ita repercußit in* Hyacinthũ, *ut puerũ interficerit. Quapropter dolens Apollo eũ in florẽ sui nominis cõmutauit. Verg.*

Munera sunt Lauri & suaue rubens Hyacinthus.

Hyades, *septem fuerunt Atlantis filiæ ex Aethra coniuge, quæ cùm Hyantem fratrem in uenatione in Libya à serpente morsu, uel ut alij uolunt, leæna interfectum, nimium deflerent, luctu contabuerunt: sed tandem à Ioue inter sidera collocatæ sunt, & à pluendo, quòd Græcis* ὕειν *est, uel à fratre Hyades dictæ. Sunt autem septẽ stellæ in capite Tauri, quæ quoties oriũtur uel occidũt, pluuias creãt. Vocãtur & Atlãtides, itẽ Succulæ. Oui.*

Ora micant Tauri septem radiantia flammis.

Nauita quas Hyadas Graius ab hymbre uocat.

Hyantes, *populi sunt Bœotiæ.* Hyantia, *illorum urbs, à qua incolæ* Hyantij *uocantur.* Ouidi. *lib. 3. Metam.*

Cum iuuenes placido per deuia lustra uagantes

Participes operum compellat Hyantius ore, &c.

Actæonem intelligens.

Hyas, *filius fuit Atlantis & Aethræ, puer formosißimus. Ouidius lib. 5. Fastor.*

Nondum stabat Atlas humeros oneratus Olympo,

Quum satus est forma conspiciendus Hyas.

Hybla, *mons est Siciliæ, apibus & optimi mellis abundans, ut Hymettus in Attica. Ouid.*

Quot lepores ĩ Atho, quot apes paſcũtur in Hybla.

Hinc Hyblæus, a, um. Vergil. Hyblæis apibus, &c.

Hydaſpes, magnus fluuius eſt, qui per Parthos & Medos fluens in Indiam extenditur, Nyſamq; urbem alluens, Indo flumini miſcetur. Alij non in Indũ, ſed in mare labi tradunt. Lucan. lib. 8.

Quà rapidus Ganges, & quà Nyſæus Hydaſpes
Accedunt pelago, &c.

Hinc fit adiect. Hydaſpeus, a, um, apud Claudian.

Hydra, ſerpens fuit multorum capitum in Lerna palude prope Argos, cui ſi unum recidebatur, ſtatim duo ſuppullulabant: cumq; totam illã regionem deuaſtaret, Hercules eò profectus, claua primũ percuſsit: ſed cum peſtiferum, quem emittebat, odorẽ perferre nequiret, ſagittas immiſit: poſtremò cùm ſeſe ſolitis cauernis cõdidiſſet, congeſta lignorũ ſtrue, igne cõſumpſit. Verg.

Proxima Lernæam ferro & face cõtudit Hydram.

Hydrus, mons eſt Apuliæ, iuxta quem eſt oppidum eiuſdem nominis. Eſt & nomen fluuij, qui in Adriaticum mare effluit. Lucan. lib. 5.

Et cunctas auocare rates, quas auius Hydrus. &c.

Hyerus, pauper quidam fuit, qui à Ioue, Neptuno, & Mercurio, hoſpitio ſuſceptus, Oriona filium ſuſcepit. uide infrà. Ouid.

Hunc Hyerus, quia ſic genitus, uocat Vriona:
Perdidit antiquum littera prima ſonum.

Hylas, filius fuit Thyodamãtis, ſeu Theodamãtis, ut quidam ſcribunt, quem Hercules rapuit. Cum enim ex Calydonia occiſo Oenei pincerna fugeret, ueniſſetq; cum Deianira & Hylo filio in Dryopes: & eſurienti puero, cùm Lycus pædagogus abeſſet, à Theodamante a-

liquid cibi postulasset, ille autem denegasset, arreptum unum ex bobus Theodamantis mactauit, atq; coxit. Quamobrem Theodamas conuocatis popularibus arma aduersus Herculē mouit: & quāuis in ea pugna ferè oppressus fuerit Hercules, tamē uictoriam obtinuit, & occiso Theodamāte Hylā filium eius secū abduxit: quem postea unicè dilexit, secumq; cum reliquis Argonautis Colchos nauigans duxit. sed cum in Mysia ad hauriendam aquam Ascanij fluuij se extulisset, nimiò pondere demersus est: unde postea poëtæ finxerūt Hylā à nymphis raptum. Hercules autē interitum eius sic doluit, ut relictis Argonautis retrò abierit, Hylamq; per omnem regionem requisiuerit. Iuuenal. Sat. 1.

Et multum quæsitus Hylas, urnamq; secutus.

Hyle, oppidi nomē est apud Stat. Qui breue littus Hyles. Sed Hylea gens, prima longa, Sarmatæ dicūtur à Valer. Flac. eò quòd in syluis maximam uitæ partem degant. ὕλη enim Græcis syluam sonat.

Hylēus, Centauri nomen est, de quo Vergil. lib. 8.

—Tu nubigenas inuicte bimembres
Hyleumq; Polumq; manu, &c.

Hyllus, filius fuit Herculis ex Melita Aegei fluminis filia, à quo Hyllinenses populos, & Hyllicū portum denominatum tradunt. Quidam tamen hunc & sequētem unū fuisse existimant. Quibus etiā Ouid. in Epist. Deianiræ ad Herculē, adstipulari uidetur, cum inquit:

Mater abest, queriturq; deo placuisse potenti.
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.

Nisi fortè per Epenthesin alterum l, sit interpositum.

Hylus, simplici l, alius fuit filius Herculis ex Deianira, qui Iolen, patre mortuo, in uxorē duxit, ut ait Ouid. lib. 9. Metam. Hic postea cum cæteris fratribus, qui ex

Herculi superstites fuerunt, ab Eurystheo pulsus, Athenas confugit, ibiq; Misericordiæ, uel Clementiæ tēplū condidit, in testimonium auxilij ab Atheniensibus impensi, & in posterum deiectorum refugium. Seneca in Tragœdia Hercul. Oethei:

Si uera pietas Hyle quærenda est tibi,
Iam perime matrem.

Hymella, fluuius est Italiæ. de quo Verg. lib. 7.

–Qui flumen Hymellæ,
Et Tyberim Fabarimq; bibunt, &c.

Hymenæus, ut quidam arbitrantur, Bacchi & Veneris filius: alij tamen ferè omnes ex Apolline & Calliope progenitum affirmant. Catullus uerò non Calliopen, sed Vraniam matrem dicit. Deus nuptiarum fuit ab antiquis habitus, quòd primus certas nuptias instituerit. Quanquàm non desint, qui Argiuum iuuenē fuisse dicunt, & in itinere cum Athenas nauigaret, puellas Atticas, quæ à Pelasgis rapiebantur, liberasse, & ob id in nuptijs eum inuocatum esse. Nomen autē traxit uel ab hymene pellicula: uel à ναίειν, quia simul sponsus & sponsa habitare incipiant. Ouidius:

Turpia formosus corpora iungit Hymen.

Hymettus, mons est Atticæ clarus, apibus & copia optimi mellis abundans. Ouid. lib. 7.

Vertice de summo semper florentis Hymetti.

Ab eo fit Hymettius, a, um.

Hypanis, Scythiæ fluuius, qui ex Scythiæ montibus oriens dulcissimum saporem habet: sed quatuor dierum nauigatione à mari admodum amarus efficitur à fonte quodam Exampeo. Ouidius uerò mari causam adscribit lib. 5. Metam.

Quid

Quid non & Scythicis Hypanis de mōtibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus uitiatur amaris?

Alius est in India, de quo Solinus.

Hypæpa, *orum, urbs est, quæ occurrit à Tmolo monte ad Caystri cãpestria.* Nomen habet *ab* ὑπὸ, *id est, sub. &* ἄιπος, *id est, cacumen, quòd sub monte iaceat.* Ouid. *lib. 6.* Metam.

Orta domo parua paruis habitabat Hypæpis.

Hyperborei, *populi sunt septentrionales, ultra Rhiphæos montes, qui fœlicem & longißimam uitam degere dicuntur.* Inde Hyperboreus, *a, um, id est, septentrionalis.* Iuuenal.

Exul Hyperboreum si demittatur ad axem, &c.

Hyperion, ὑπερίων, *Titanis & Terræ filius, pater Solis & Lunæ: quandoq; pro ipso sole ponitur.* Verg. *in Prognosticis:*

Vt cum Luna means Hyperionis officit orbi.

Dictum putant, quòd fuerit homo magnæ præeminentiæ, qui supra cæteros incesserit.

Hypermestra, *filia fuit Danai, quæ iugulãtibus cæteris quadraginta nouem sororibus, sola marito suo Lynceo seu Lino pepercit: ob quod factum à patre in carcerem coniecta est: sed postea à Lino liberata.* Vide *suprà* Belides. Ouidius *in* Epist.

Mittit Hypermestra de tot modo fratribus uni,
Cætera nuptarum crimine turba iacet.

Hypsiphyle, *filia Thoantis regis Lemni, de qua ita fabulantur poëtæ. Cùm mulieres in Lemno uiros omnes communi cõsilio una nocte necassent, ipsa patrem saluauit, & dimisit. Deinde cum Argonautæ Lemnũ uenissent, Iasonẽ hospitio suscepit, eiusq; amore capta cũ*

eo con

eo cõcubuit, unde peperit gemellos, abeuntẽ uerò multis lacrymis prosequuta est, nec quenquam post Iasonẽ amauit. Postea cùm Lemniades eam ad supplicium poscerent, quòd patrem seruasset, fugiens à pyratis capta, Lycurgo regi Nemeæ tradita est: cuius filiũ Ophelten cum nutriret, Argiuis Thebas petentibus Langiã fontẽ ostendente, puer in herba relictus à serpẽte est occisus. Quã cum postea Lycurgus ob filij necẽ occidere uellet, à Græcis defensa & seruata est. Proper. lib. 1.

Hypsiphyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Aemonio tabuit hospitio.

Ab ea Hypsiphylæa dicta est Lemnos insula. Ouidius lib. 3. Fastorum:

Vulcanum tellus Hypsiphylæa colit.

Hyrcania, Scythiæ regio inter mare Caspium, Armeniam, & Albaniam sita, abundat tigribus, pantheris, & pardis. Nomen accepit ab Hyrcana sylua. Inde Hyrcanus, a, um. Martial.

Lambere securi dextram consueta magistri,
Tigris ab Hyrcano gloria rara iugo.

DE LITERA I.

I A.

IAcchus, Bacchi nomen est, à Græco uerbo, ἰάκχω, id est, uocifero. Ponitur quandoq; pro uino Metonymicôs. Verg. Eclog. 6.

Inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho.

Iader, fluuius est Dalmatiæ, in Adriaticũ mare defluens, iuxta quem oppidum est Iadera. Lucan. lib. 4.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.

Ialmenus, uide suprà Ascalaphus.

Ianus, rex fuit Italiæ, quem geminam faciem prætulisse ferunt:

ferunt: quod ad regis prudentiam solertiamq́; referendum est, qui & præterita nosceret, atq; prospiceret futura, unde etiam bifrons dicitur. Hic Saturnum classe profectum suscepit hospitio, & quoniam ab eodem ruris agriculturam edoctus est, regni partem illi concessit, amboq́; unà regnarunt concordes, uicinaq́; oppida communi opera condiderunt. Romani hunc omnibus ianuis præesse crediderunt, unde & clauigerum ipsum uocarunt. Alij per Ianum Solem intelligunt, quod oriens aperiat diem, occidens claudat. Alij mundum intellexerunt, Ianumq́; ab eundo dictum, quòd mundus semper eat, dum in orbem uoluitur. Ianuarius mensis ei sacer fuit. Templum habuit Romæ ad infimum Argiletum à Numa Pompilio positum, quod tempore belli patebat, pacis uerò claudebatur. Ianus quoq; locus erat Romæ in regione Basilicæ, ubi fœneratores consistebant, quoniam in eo Iani simulachra collocata uisebantur. Ouidius:

Qui puteal, Ianumq́; timent, celeresq́; Calendas.

Ianiculum, oppidum fuit à Iano conditum, quod postea urbi additum est. Verg. lib. 8.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem.
Ianiculi huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Iapetus, filius fuit Titani & Terræ, uir quidem potens, apud Thessalos, sed proterui ingenij, magisq́; filiorum quàm sua uirtute clarus. Ferunt hunc Asiam nymphā in uxorem duxisse, & ex ea Hesperum, Atlantem, Epimetheum, & Prometheum suscepisse. Vale. Flac. lib. 1.

Iapeti post bella trucis, Phlegræq́; labores.

Iapis, Aeoli cuiusdam filius, qui cùm ad regionem Venetiæ uenisset, oppidum de suo nomine cōdidit, à quo ea

pars,

pars, ubi Timauus *fluuius est, nomen sumpsit.* Verg. *lib.2.*Georg.

Castella in tumulis, & Iapidis arua Timaui.

Iapix, *peculiaris uentus est Apuliæ, qui aduersus Eurum flare uidetur.*Horat.lib.1.Carm.

Ventorumq; regat pater
Obstrictis alijs præter Iapiga.

Inde Iapigia *dicitur Apulia (quamuis quidam ab Iapyge Dædali filio dictam putent, & ultimam per y, scribant).*Iapigium *uerò Salentinorum promontorium est. unde* Verg.*lib.11.inquit:*

Victor Gargani condebat Iapigis aruis.

Iasion, *quem Diodorus lib.6.Iasium uocat, Iouis & Electræ fuit filius. Hic, ut idem autor est, adeò à Cerere adamatus est, ut in eius gratiam ad nuptias* Hermiones *ipsius Iasij sororis maximam frumenti & panis copiã attulerit, ac ex eo Plutum pepererit, qui cultum uitæ instituere, pecuniasq; coaceruare, ac in usus custodire omnium primus docuit, cùm antea parua cõgregãdæ seruandæq; pecuniæ fuisset cura. Alij addunt fabulæ, eum postea à Ioue ex inuidia fulminatum: quamuis nõ desint, qui aliã mortis causam ponant, nẽpe quòd simulacrum eius contumelia affecerit: hunc quoq; alio nomine Actionem uocant.* De Pluto seu Plutone etiam *infrà paulò aliter.*Ouid.*lib.9.*

—Queritur canescere mitem Iasiona Ceres, &c.

Iasius, *filius fuit Abantis Argiuorum regis, à quo Græci* Iasidæ, & Iasis *uocatur Atalanta eiusdẽ filia. Fuerũt & alij huius nominis uiri, unde est Iasides Palinurus, & Iasides Iapis, apud Maronem lib.12.&c.*

Iason, *filius fuit Aesonis ex Polymila, seu ut alij uolunt,*

Alcimede,

Alcimede,quem pater moriens Peliæ fratri in tutelam commendauit (licet alij alia recensent) tradito etiam regno,ea tamen lege,ut illud adulto Iasoni restitueret. Porrò Alcimede suspectum habens Peliam, Iasonem Chironi alendum dedit. Itaq; Iason adultus ad repetendum paternum regnum uenit, sed Pelias commentus fraudem,Iasonem Colchos ad auferendum aureum uellus nauigare iußit.Quæ res licet primò impoßibilis uideretur Iasoni,tamen præparata Argo naui cum reliquis heroibus Colchos profectus est. Inter nauigādū autē primùm ad Lemniades uenit, ubi ab Hypsiphyle & hospitio & thalamo susceptus est, ut suprà auditū.deinde ad Phineū regē, à quo muneris loco edoctus est, quomodo per Cyaneas petras inter se concurrentes ad Colchos usq; tutò nauigare posset.Quò cū peruenisset, à Medea Colchorum regis filia receptus est: quæ illius pulchritudine capta, se eidem nupturam spopondit,monstrauitq; qua ratione tauri æripedes,ignivomiq;,& ipse draco peruigil domari posset.cuius cōsilia secutus Iason aureum uellus sustulit,& inde clàm cum socijs & Medea fugam arripiens, ad Istri ostium peruenit: quod ingressus ad eam usq; partem uectus est, in qua diuisus Ister in mare Adriaticum defertur. Tandem in patriam redijt cum aureo uellere. Alij uerò per eandem uiam,à qua abierat, reuersum affirmant,ubi duos filios ex Medea suscepit. Sed cùm postea Creusæ Creontis Corinthiorum regis filiæ amore flagraret,repudiata priore coniuge,hanc in uxorē duxit. Quod ut ulcisceretur Medea, Creusam cum regia exußit,ut suprà dictū est. Postremò Medeæ denuo iunctus,Colchos redijt,& Aeetā regno pulsum reduxit in imperium,

imperium,aliaq; multa per Asiam egit magnifica,adeò ut ipsi diuini honores decernerentur.Ouid.lib.7.

Multaq; perpeßi claro sub Iasone tandem,&c.

Iasonides, *patronym.apud Statium:*

Ecce Iasonidæ iuuenes noua gloria matris,
Hypsiphyles,&c.

I B.

Iberus,*fluuius est* Hispaniæ *ulterioris, à quo ipsa regio* Iberia *uocata est.*Hic Cantabros alluēs Balearicū ma*re ingreditur.*Iberi, *populi* Hispaniæ,*iuxta hunc fluuium habitantes.*Lucan.lib.2.

Quiq; feros mouit Sertorius exul Iberos,&c.

Iberus,*a,um,adiect. apud* Verg.*lib.9.*

Iberes, *in tertia declinatione, populi sunt prope Armeniam.* Lucan. *–Occurrat Iberibus alter,&c.*

I C.

Icarius, Athen*iensis,filius* Oebali, *& pater Erigones, qui cum Bacchi comes fuisset,ab eo accepit, ut uinum mortalibus exhiberet. Quod cùm messoribus,seu ut alijs placet, pastoribus ultra debitū exhibuisset,ab ijsdē iam inebriatis apud Marathonem uenationi uacans interfectus est. Quod cùm Erigone cognouisset, laqueo uitam finiuit,ut suprà annotauimus. Icarium uerò postea in Booten uersum quidā fabulantur. Alius fuit Icarius Lacedæmonius, pater Penelopes.* Ouid.in Epist.

Me pater Icarius uiduo discedere lecto
Cogit,& immensas increpat usq; moras.

Icaris,*idos,apud* Nasonem,*&* Icariotis,*idos,apud*Propertium,*est* Penelope.

Icarus, *filius fuit* Dædali, *qui cum patre metu* Minois *regis ex Creta fugiens,fretus alarū,quas pater fecerat,*

fiducia, dum altius euolaret, liquefacta à Sole cera, qua pennæ erant conglutinatæ, in mare cecidit, quod ab eo Icariū *nominari postea cœpit. Ouid. lib. 3. Trist.*

Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas,
Icarus immensas nomine signet aquas?

Ichnūsa, *dicta est insula Sardinia, quod ad similitudinem uestigij facta sit. est enim Græcis* ἴχνος *uestigium. Silius libro duodecimo:*

Inde Ichnusa pijs Graijs memorata colonis, &c.

Vide infrà Sardinia.

I D.

Ida, *mons est Phrygiæ, aquis & fontibus abundans, ex eo enim Scamander & Simois, & Esepus scaturiunt, parua quidem flumina, cum mox à mari absorbeātur, celeberrima uerò propter ea quæ gesta sunt apud Iliū. In hoc quoque mōte Paris sentētiā tulit pro Venere de pomo aureo aduersus Palladē & Iunōnē. Oui. li. 6. Fast.*

Nec quas Priamides in aquosæ uallibus Idæ
Contulit, ex illis sed tamen una fuit.

Alius est in Creta altißimus, qui multis urbibus cingitur. Vergilius lib. 12.

Dictāmum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Hinc Idæus, *a, um.*

Idāle, *oppidum est in Troade, ut inquit Plinius. De hoc quoq; Lucanus libro 3.*

Mysiaq; & gelido tellus perfusa Cairo
Idalis, & nimium glebis exilis Arisbe.

Idālus, *mons est Cypri, olim Veneri sacer (unde etiam* Idalia *dicta) ad cuius radices situm est* Idalium *oppidum à Chalcenore conditum. Verg. libro 10.*

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atq; Cythera,
Idali æq;

Idaliæq; domus,&c.

Idas, *Apharei filius fuit nomine, re autem ipsa Neptuni, qui acceptis à patre uelocißimis equis Marpißam filiam Eueni regis Aetoliæ, Martis filij, elegantißimam in Dianæ luco saltantem rapuit. Ob quam rem eiusdē pater (qui nulli procorū filiam suā dare uoluit, nisi certamine cursus fuisset uictus, à se autem uictos decollare, eorumq; capita in aliorum terrorem de muris ædium suarum suspendere solebat) dolore commotus, interemptis, quos habebat, equis, se in fluuium Lycorinam, qui postea ab ipso Euenus dictus est, præcipitauit. Cæterū fugiēti cum puella Idæ Apollo in itinere obuiam uenit, qui cum Marpissam & ipse præripere Idæ uellet, uentum utrinq; ad certamen est. Sed à Ioue missus Mercurius arbitrium Marpissæ commisit, ut ipsa utrū uellet eligeret: illa autem Idam elegit, uerita ne sese ætate prouectam Apollo relinqueret.*

Idomeneus, *Deucalionis filius, Cretēsiū rex, qui in bello Troiano strenuè contrà Troianos militauit. Tandē deleto Ilio, cùm in patriā nauigare uellet, tempestatem passus pro salute sua superis uouit, si sospes domum rediret, se illud quodcunq; primum occurreret, immolaturum. Cùm igitur iam Cretam appulisset, contigit ut filius desiderio uidendi patrē, primus illi fieret obuius, quē cum immolasset, siue ut alij habēt, immolare uellet, ob immanitatē suam à ciuibus pulsus est. Arrepta itaq; naui in Italiam uenit. Vergilius libro undecimo:*

Regna Neoptolemi referam, uersosq; penates
Idomenei, Libycoúe habitantes littore Locros?

Idumæa, *regio est Syriæ, à Meridie Arabiam, à Septentrione Phœniciam habens. In ea est* Idume, *urbs*

finitima Phœniciæ, palmis abundans. Lucan.lib.3.

Gazaq́; & arbusto palmarum diues Idumæ.

Idumæus, a, um, apud Maron.lib.3. Georg.

Idya, dicta est à Cicerone mater Medeæ, quam Ouid. Ipseam uocat, cum inquit:

Non erat Aeetes, ad quem despecta rediret,
Non Ipsea parens, Chalciopeq́; soror.

I L.

Ilerda, ciuitas est Hispaniæ, non procul à Pirenæis montibus. Lucanus;

–Altæq́; ad mœnia rursus Ilerdæ.

Ilia, quæ & Rhea, Numitoris Albanorum regis filia, quam Amulius pulso iam Numitore fratre, & interfecto eiusdem filio Lauso, uirginem Vestalem fecit, ut habendæ prolis occasionem adimeret, & ne quid superesset de prole Numitoris. Veruntamen Ilia, dum aquã pro sacris quæreret, obdormiuit, & in somnis illi uisum est, se à Marte opprimi, & sic geminos concepit: quos cum peperisset, partum exponi iußit, matrẽq́; Iliam uiuam apud Tyberim fluuium infodi: unde poëtæ eam Tyberi nupsisse fingũt, qui ob id quoque Vxorius amnis ab Horatio libro 1. Carm. dicitur. Verum quomodo actum sit de pueris, uide suprà de Amulio. Verg.lib.1. Aeneid. –Donec regina sacerdos

Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Ilione, filia fuit Priami ex Hecuba, natarum maxima, quæ ratione ueteris hospitij, & insignis amicitiæ Polymnestori regi Thraciæ matrimonio iũcta est. Verg. lib.1. Aeneid.

Præterea sceptrum Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, &c.

Ilioneus

Ilioneus, *Phorbantis fuit filius: qualis autem in bello fuerit, nusquam legitur, eloquentia uerò excelluisse* Vergilius *autor est, deletoq́; Ilio cum* Aenea *fugisse, & apud eundem legati uice functum.* Verg. *libro primo:*

Postquam introgreßi, & coràm data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit.

Ilithya, *penul. long. dicta est* Lucina, *seu* Diana, *quæ parturientibus adesse dicebatur.* Ouid.

Præpositam timidis parientibus Ilithyam.

Ilium, *urbs fuit Phrygiæ, à* Dardano *Iouis filio condita, ab Ilo uerò rege ampliata, & Ilium nominata, cùm antea* Troia *à regione illa, in qua sita fuit, diceretur: mille quingētis paßibus distans à portu.* Regia *fuit* Priami: *postea uerò ob* Helenam *à* Paride *raptam decennali bello obsessa, ac demum expugnata est.* Verg. *lib.* 2.

–*Cecidit q́; superbum*
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Hinc fit Iliacus, *a, um, id est* Troianus. Iliadæ, *ipsi* Troiani: Iliades *fœminæ Troianæ: &* Ilias *opus* Homeri, *quod de bello Troiano scripsit.*

Illyris, *seu* Illyria, *seu* Illyrium, *regio est* Europæ *satis ampla, quæ* Italia, Germania, Macedonia, Epiro *& Adriatico mari terminatur. Alio nomine* Dalmatia, *hodie uerò* Sclauonia *uocatur. Dicta ab* Illyrico Polyphemi, *seu* Cadmi *filio.* Hinc Illyricus, *a, um.* Verg. 8. Ecl.

Tu mihi seu magni superas iam saxa Timaui,
Siue oram Illyrici legis æquoris, &c.

Ilua, *insula est in mari* Mediterraneo, Thusciæ *adiacēs, ferrifodinis nobilitata.* De hac Verg. *lib.* 10. Aeneid.

–*Ast Ilua trecentos*
Insula inexhaustis Chalybū generosa metallis, &c.

Ilus, *Trois regis fuit filius, qui* Ilium *ampliasse traditur. nam à* Dardano *fundata est,* Vergilio *teste, qui inquit:*

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & author.

Porrò iam senior Laomedontem *regni hæredem reliquit.* Hoc *quoq; nomine appellatus fuit* Ascanius Aeneæ *filius.* Verg. lib. 1. Aeneid.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Ilus erat, cum res stetit Ilia regno.

I N.

Inăchus, *primus rex fuit* Argiuorum, *& pater* Iŭs, *à quo ipsa* Inachis, *&* Inachus, *fluuius* Achaiæ, *&* Inachia *regio uocatur.* Inachius, *a, um.* Verg. *lib.* 11.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra uiros, ultrò Inachias uenisset ad urbes
Dardanus, &c.

Inarĭme, *insula est in mari* Thusco, *alio nomine* Aenaria, *in qua mons fuit, qui terræmotum passus alterã fudit insulam, quæ* Prochyta, *ab effusione dicta est. Sub hanc quoq; insulam* Typhœa *gigantem à* Ioue *detrusum,* Vergilius *his uersibus declarat:*

Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumq́; cubile
Inarime Iouis imperijs imposta Typhœo.

Vide suprà Aenaria.

Indĭa, *prima & maxima regio est* Orientis, *sic dicta ab* Indo *flumine, frugibus, gẽmis, unguẽtis preciosissimis, auro item & argẽto abũdantissima:* Elephantos *quoq; habet maximos, unde à poëtis multis in locis diues appellatur.* Horatius *libro* 3. *Carmi.*

Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ, &c.

Indi, *populi.* Indicus, *a, um, adiect.*

Indus, *maximus est* Indiæ *fluuius, qui in* Cybiratarum *montibus*

montibus oriens, sexaginta fluuios, torrentesq; ultra centum excipiens, in mare Indicum labitur. Crocodilos nutrit, ut Nilus Aegypti fluuius.

Ino, quam alij etiam Inoên appellant, filia fuit Cadmi & Harmoniæ, uel Hermiones, ut reliquis placet: nutrix Liberi patris, & uxor Athamantis: quem cum uidisset furijs agitatum Learchum filium occidisse, cum altero filio Melicerto fugā arripuit, & ambo se è Scyronis saxo præcipitantes, in marinos deos à Neptuno sunt conuersi, illa in Leucotheam deam, filius uerò in Palæmonem, qui & Portumnus dicitur. Ouidius:

Leucotheaq; deûm cum matre Palæmona duxit.

Ab ea fit Inous, a, um, media longa.

Insubria, regio est Galliæ Cisalpinæ, cuius populi Insubres dicuntur, qui Mediolanū & alia loca tenuerunt.

I O.

Io, filia fuit Inachi regis Argiuorum, quam cum Iupiter ob formæ elegantiam maximè diligeret, ab Inacho fluuio redeuntem tenebris superinductis detinuit & oppreßit. Iuno autem ex alto tenebras uidens, suspicata maritū suū alterius amore frui, in terras descendit, tenebrasq; soluit. Quod Iupiter sentiēs, ne pateret crimen, puellā in uaccam transformauit, eamq; Iunoni poscēti ægrè cōceßit. Iuno autē nec tum suspicionibus libera, Argo centoculo custodiendā tradidit: quē Mercurius à Ioue mißus sopitū interfecit. Quapropter Iuno dolens, uaccæ œstrū immißit, quo per multa loca agitata, tādē in Aegyptū uenit, ibiq; prece Iouis à Iunone eidē formæ restituta est: & ab Aegyptijs Isis nominata, Osiridi regi nupsit: post mortem uero pro dea culta est, cui anserem immolare, eiusq; sacra Isiaca dicere solebant.

–Si candida iusserit Io,
Ibit ad Aegypti finem,&c.

Iocasta, filia fuit Creontis, & uxor Laij regis Thebani, quæ occiso marito insciens nupsit Oedipo filio, ex quo Etheoclem & Polynicem peperit. Hanc postea cum Oedipus cognouisset, repudiauit, superinducta Astymedusa coniuge. Tandem seipsam gladio transfodit, cum filios suos ex Oedipo susceptos mutuis uulneribus interijsse uideret.

Iolaus, Iphicli fuit filius, qui Herculi hydram interficienti adfuit, ferroq́; candenti cruorē restrinxit atq; cohibuit. Postea cum alijs Thespiadibus in Sardiniam uenit, prioreq́; insulæ partem tenuit, quam à se Ioliam, populos uerò Iolenses denominauit. Hic cū ad decrepitam ætatem peruenisset, Herculis precibus iuuentuti restitutus est, ut inquit Ouid. lib. 4.

–Dubiaq́; tegens lanugine malas
Ore reformatus primos Iolaus in annos.

Iole, Euryti filia ab Hercule rapta. Vide suprà Eurytus, item Hercules. Ouid. lib. 9.

Dumq́; refert Iole factum miserabile, dumq́;
Eurytidos lacrymas admoto pollice siccat
Alcmene, &c.

Ionia, regio est minoris Asiæ inter Cariam & Aeoliā, ab Ione Xuthi filio sic uocata. In ea urbes sunt, Ephesus, Miletus, Priene, & aliæ multæ. Hinc Iones, populi, et Ionium mare, huic regioni uicinum. Ouid. lib. 6. Fast.

Nec Latium norat, quem præbet Ionia diues.

Inde Ionius, & Ionicus, a, um.

Ioppe, ciuitas est maritima Palæstinæ, ante diluuium (ut ferunt) condita. In hac Cephei fuit regia, nec procul inde

inde est scopulus, cui Andromeda eiusdem filia alligata, ceto marino monstro fuit exposita, sed postea à Perseo liberata. Alij Indiæ urbem fuisse dicunt, ubi Andromeda marinæ belluæ fuit exposita, citantes illud Ouidij. lib. 1. de Arte:

Perseus Andromeden nigris portauit ab Indis, &c.

Item illud Sapphûs ad Phaonem:

Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo
Andromede patriæ fusca colore suæ.

Vide Vallam lib. 5. cap. 6.

Iordanis, *penultima indifferente, fluuius in Iudæa eximiæ suauitatis, quē Plinius & Solinus ex Peneade fonte oriri tradunt. D. Hieronymus uero ad radices Libani, ex duobus fontibus scaturire dicit, quorū alter Ior, alter Dan, uocetur, qui iuncti Iordanis nomen efficiunt: quod etiam approbare uidentur Hebræi, qui eum Iarden nominant. Sedulius:*

Sed quasi lustra gerens placidā Iordanis ad undam
Venit, &c. Eobanus Psalm. 114.
Vidit, & attoniti retro maris unda refugit,
Peneades refluo Iordanis amne stetit.

Ios, *insula est, haud longè à Creta distans, celebris sepulchro Homeri. hic cum patriam ignoraret atq; parentes, Apollinis oraculū consuluiße dicitur, responsumq; accepisse, matrem fuisse ex Io insula.*

I P.

Iphates, & Testorius, *filij fuerunt Priami, quos illi uno partu Periuia Idæa nympha enixa est, quam ipse furtim in uenatione cōpresserat. Postea uero in bello Troiano ab Antilocho Nestoris filio sunt occisi.*

Iphianassa, & Lysippe, *filiæ fuerunt Prœti Argiuorū*

regis,quibus Perottus Macrã,& Euryalen addit:quæ cum ad Iunonis templum ueniſſent,deam contumelijs affecerunt,patris ſui domum diuitijs tẽpli Iunonis,uel ut alij ferunt, formam ſuam Deæ pulchritudini præferentes, à Iunone in furorem uerſæ ſunt, ut putarent ſe eſſe uaccas. Ad quas curandas accerſitus eſt Melampus, cui pater regni partem, & alteram filiam, quam uellet,nuptui promiſit. Placata igitur per ſupplicationem & hoſtias Iunone,Prœtides à morbo curauit,& Iphianaßã in uxorẽ duxit. Hoc nomine appellatur etiã à Lucretio li.1. Iphigenia Agamemnonis filia,cũ inqt:

Aulide quo pacto Triuiai uirginis aram
Iphianaſſæo turparit ſanguine fœdè.

Iphiclus,*à Solino* Iphicles *appellatus,filius fuit Amphitryonis & Alcmenæ,eodem cum Hercule partu natus. Hercules uero ex Ioue, Iphiclus ex Amphitryone cõceptus erat. Fuerunt & alij huius nominis.*

Iphigenĩa,*filia fuit Agamemnonis & Clytæmneſtræ, de qua ita fabulantur poëtæ. Cùm Agamemnon in Aulide ceruum Dianæ ignarus occidiſſet,dea irata uẽtorum flatus amouit,ut nauigare nõ poſſent. Quapropter cum oraculum conſulerent,reſponſum eſt,Agamemnonio ſanguine Deam eſſe placandam. Miſſus igitur Vlyſſes Iphigeniã filiã aſtu à Clytæmneſtra ſub prætextu facti cum Achille matrimonij impetratam adduxit:cumq́; iã immolari parabatur,Dea miſerta illã ſuſtulit,ceruamq́; pro ea ſuppoſuit:uirginẽ autẽ in Tauricam regionem tranſtulit, ubi à Thoante rege eiuſdẽ deæ ſacris præfecta eſt,quæ humano ſanguine fieri ſolebant. Quò cum poſtea Oreſtes furijs agitatus & ab incolis captus ueniſſet,iamq́; eſſet immolandus,à ſorore cognitus*

re cognitus & liberatus est, cum quo non multo pòst occiso Thoante rege aufugit, ablato secum Dianæ simulacro, in lignorum fasce abscondito, propter quã illam Fascelidam uocarunt. Tandem uenerũt in Italiã, & in Aritia urbe simulacrum locauerunt, ædificato Deæ insigni templo. Ouid. lib. 3. de Ponto:

Sceptra tenente illo, liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter, &c.

Iphimedia, uxor fuit Aloi, quæ à Neptuno oppressa, geminos, Othũ uidelicet & Ephialten peperit. Hi, quoniam mater Aloi erat coniux, ut plurimũ uocati sunt Aloidæ. Vide suprà Alous, item Ephialtes.

Iphitus, Euryti fuit filius, quem Hercules è turri præcipitauit. Alius fuit Troianus, de quo Vergilius lib. 2. Aeneidos. —Diuellimur inde
Iphitus & Pelias, &c.

I R.

Iris, ut poëtæ uolunt, Thaumantis fuit filia, & Iunonis nuncia. Vnde Verg. lib. 4. Aeneid.
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno.

Irus, Ithacensis fuit pauperrimus, unus ex procis Penelopes, quem mater Arnæum, pueri uerò Irum uocare solebant. Hunc Vlysses reuersus ab expeditione Troiana ictu pugni interfecit. Erasmus uero in prouerbio Iro pauperior, tantum eiectum esse dicit. Ouidius:
Irus erit subitò, qui modò Crœsus erat.

I S.

Is, ciuitas fuit à Babylone itinere dierum octo distans, apud quam est Is fluuius, quo bitumen totius Babylonis subministrabatur.

Isander, filius fuit Bellerophontis & Achimenes, qui

cùm esset bellum inter Lycios & Solymos, contra Solymos pugnans occisus est.

Isara, *Galliæ fluuius, qui inter Aëriam Durionemq́; fluens, in Rhodanum exit, nomenq́; amittit, ut ait Lucanus libro 1.*

Hi uada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ maioris in amnem
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.

Isaurum, *ciuitas est Pamphyliæ, à quo Isauricus Seruilius Romanus dictus est, qui eam cepit.* Isauriam *dictam uolunt ipsam regionem, cuius metropolis est Seleucia.* Isaurus *quoq; fluuij nomen est Galliæ Cisalpinæ, de quo Lucanus libro secundo:*

Crustumiumq́; rapax & iunctus Sapis Isauro.

Ischomache, *dicta est à Propertio Atalanta & Hippodamia. Propertius:*

Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroinæ.

Isis, *filia fuit Inachi, de qua suprà in dictione* Io. *Ab ea fit* Isidius, *ut Despauterio placet, &* Isiacus, *a, um. Iuuenalis Satyra 1.*

Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Isiphylus, *pater fuit Protesilai, cuius meminit Ouidius in Epistola Laodamiæ ad Protesilaum:*

Vix socer Isiphylus, uix me grandæuus Acastus,
Vix mater gelida mœsta refecit aqua.

Ismarus, *mons est Thraciæ partim asperrimus, partim uinetis atq; oliuetis & Orphei habitatione clarus. In eo quoq; fuit* Ismara, *Ciconum urbs. Verg. Eclo. 6.*

Nec tãtum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.

Inde Ismarius, *a, um, id est, Thracius.*

Ismene, *Oedipi fuit filia, quæ cuidam Aty adolescenti*

Cyrrheo desponsata fuit, uerùm Theseus spõsum ante nuptias occidit.

Ismenus, Bœotiæ fluuius, non procul à Thebis, ab Isme no Pelasgi filio cognominatus. Ouid. lib. 2. Metamor.

Et celer Ismenos cum Phocaico Erymantho.

Inde Ismenius, a, um, id est, Thebanus. Ismenides, mulieres Thebanæ. Item, Ismenias, nomen Thebani uiri, optimi tibicinis.

Isocrates, orator Græcorum celeberrimus, auditor fuit Platonis, qui præfectus magister multos docuit, multaq; præclarè scripsit.

Issa, insula est in mari Adriatico, Dalmatiæ adiacens, in qua est ciuitas eiusdẽ nominis, à qua fit Issæus, a, um. Est item catellæ nomen apud Martial. epigram. 138.

Issa est passere nequior Catulli.

Issus uerò locus est Syriæ, in quo Alexander Darium superauit.

Ister fluuius est Europæ maximus, qui alio nomine Danubius uocatur, ut superius audiuimus. Oui. li. 1. de Pont.

Stat uetus urbs ripæ uicina binominis Istri.

Et Istri, dicuntur huius fluminis accolæ. Lucan. lib. 4.

Detegit orta dies stantes in puppibus Istros.

Istria, Italiæ regio, Illyriæ contermina, in latitudine XL. pass. mill. in circuitu uerò CXXV. millia complectitur.

Isthmos, dicitur angusta terra inter duo maria, quorum præ cæteris sunt nobiliores, Thracius uidelicet & Corinthiacus. Hic quatuor tãtũ mlliũ spatio, Ioniũ mare ab Aegeo separat. Corinthiacus autẽ dicitur à Corintho urbe, in eius medio sita. Ille similibus ãgustijs & pari latitudine in Propontidẽ protẽditur, in cuius quoq; medio Plinius Cardiã ciuitatẽ sitam fuisse tradit. Ouid.

Quà

Quà duo porrectus longè freta detinet Isthmos.

I T.

Italia, *Europæ regio, ab Italo rege sic dicta, cùm antea Hesperia magna ab Hespero, Atlantis fratre: item, Saturnia à Saturno, & Oenotria ab Oenotrijs populis uocaretur. Vnde Vergilius lib. 1. Aeneid.*

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.
Terra antiqua, potens armis, atq; ubere glebæ.
Oenotrij coluere uiri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Quidam uerò, ut Timæus historiographus, & M. Varro apud Gelliũ, à multitudine uitulorũ, quos illi Italos uocant, nomẽ accepisse uolunt. Eius fertilitas, omniũq; rerum abundantia undiq; ab autoribus decãtantur. Et quoniam multarum regionum capax est, quorum ubiq; apud poëtas fit mentio, uisum est & eius diuisionẽ ex Monsteri annotationibus in Solinũ adijcere. Diuiditur itaq; Italia in sedecim regiones: nempe in Liguriam, in qua est Genua. In Latium, ubi sunt ostia Tyberina. In Hetruriam, quæ protenditur usq; ad primam ripam Tyberis. In Capaniam, quæ & terra laboris hodie dicitur, in qua sunt Capua, & Neapolis. In Lucaniam, quæ situm habet inter Calabriam & Apuliam. In Calabriam, quæ tenet extremitatem Italiæ prope Siciliã: In Apuliam, quæ olim Iapigia fuit dicta, & mari Adriatico adiacet, habens urbes Brundusiũ, Tarentum, &c. In Samnium, siue Aprutiũ, quod est inter Campaniam & Apuliam, habens ciuitates Aquinum & Beneuentum, &c. In Picenum, in quo Ancona, Vrbinũ, &c. In Aemiliã, seu Romandiolã, quam & Flamminiã uocãt, in qua ciuitates sunt, Rauenna, Bononia, &c.

In Vmb

In Vmbriã, quæ nunc est ducatus Spoletanus, incipitq; ab Apennino monte, & usq; ad sinum Adriaticum extenditur, urbes habet Spoletum, Reate, &c. In Galliã Cisalpinam, quæ & Togata dicitur, hodie uerò Lombardia à Lombardis, cuius metropolis est Mediolanũ. In Venetiam, quæ nunc est Marchia Teruisana, in qua sunt urbes Verona, Patauium, &c. In Iapigiam, quæ est iuxta Venetias. In Carniam, quæ nunc est forum Iulium. In Istriam, quæ contermina est Illyrio. Hæc ille.

Ithaca, insula est ante Achaiam sita, Vlyßis patria, unde etiam Ithacus, & Ithacensis uocatur. Vergilius libro 2. Aeneid.

Hoc Ithacus uelit, hoc magno mercentur Atridæ.

In ea urbs est eiusdẽ nominis. Itẽ mõs Neritos, à quo tota insula interdũ dicta est Neritos. Verg. lib. 3. Aeneid.

Dulichiumq; Sameq; & Neritos ardua saxis,
Effugimus Ithacæ scopulos Laërtia regna, &c.

Ithome, ἰθώμη, oppidum Macedoniæ, antiqua Mineruæ sedes. Item Bœotiæ urbs, ab Ithomeo Herculis ex Paphyra filio sic nominata: hanc alij quoq; Ithoniam uocant. Alij arcem Messenes urbis fuisse perhibent. Stat. lib. 4. Theb.

Planaq; Messene, montanaq; nutrit Ithome.

Ithyra, pen. longa, ciuitas in Tauro monte Pyrrhiam uersus, à qua Ithyreus, a, um. Verg. lib. 2. Georg.

—Et bona bello
Cornus, Ithyreos taxi torquentur in arcus.

Quidam tamen hoc loco Itureos legunt. ab Itura Scytharum natione.

Ithys, Terei Thracum regis filius, ex Progne Pandionis, Athenarum

Athenarũ regis filia, qui interfectus à matre, patri in cibum est appositus, quòd ille Philomelam, Prognes uxoris suæ sororem, in uia adulterasset, &c. Hunc postea in Phasianum mutatum ferunt. Ouid. ad Liuiam:

Deflet Threicium Daulias ales Ithym.

Vide infrà de Progne.

Itylus, *&* Neis, *filij fuerunt Zethi, ex Aedone coniuge. Itylum mater noctu per errorem interfecit, putans eũ esse Amalea Amphionis filium. inuidebat enim uxori Amphionis, eò quòd sibi sex essent filij masculi. Quæ cùm errorem suũ cognouisset, optauit mori, sed Deorũ commiseratione in Carduelem uersa, Itylum deflet.*

I V.

Iuba, *rex fuit Mauritaniæ, qui Pompeij partes sequutus est: sed illo uicto cum Petreio socio fugit, seq; cum illo in regiam recepit: cumq; uideret omnia ad interitum inclinare, magnificè epulatus est, & postero die intrepidè se interficiendum illi præbuit. Lucan. lib. 5.*

—Libyamq; iubent authore senatu
Sceptrifero parere Iubæ, &c.

Iudæa, *regio est Asiæ maioris, inter Arabiam, Phœniciam, Aegyptum, & mare Cyprium. In hac habitabant Iudæi, populus Deo olim gratißimus: postea uerò ob incredulitatem à Deo reiectus, uilißimus habetur. Petrarcha:*

Vincetur Iudæa tenax, Armenia duplex, &c.

Iugurtha, *filius fuit Manastabilis, fratris Micipsæ regis Numidarum, quem Micipsa patruus moriens hæredẽ regni sui cõstituit, unà cũ duobus filijs suis adhuc impuberibus Adherbale & Hyẽpsale, quos ille postea beneficiorũ immemor, insidijs adortus interfecit, ut solus regnaret.*

regnaret.Id ægrè ferentes Romani, bellum aduersus Iugurtham mouerunt. & licet sæpius hostiũ manus effugerit, tamen à Mario uictus, & in triumphum ductus est, postremò in carcerem coniectus præ animi dolore perijt.Propert.libr.3.

Victor cum uictis pariter miscebitur umbris.

Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.

Vide Sallustium de bello Iugurthino.

Iulus,*uide* Ascanius.

Iuno,*Saturni & Opis filia, soror & coniux Iouis, Dea regnorum & diuitiarum.nubentibus præest, unde Pronuba uocatur:parturientibus quoq; adest, unde Lucinæ nomen sumpsit.Terent.Iuno,Lucina,fer opem obsecro, &c. Verùm hoc officium alij Dianæ ascribunt. uide alibi* Diana,& Lucina. *Nymphas habet pedissequas. Hinc Verg.lib.1.Aeneid.*

Sunt mihi bis septẽ præstãti corpore nymphæ,&c. Filiam habuit Heben,quam commestis syluestribus lactucis concepisse fertur, ut suprà patet. Sic & percusso utero flore Martem peperit: Vulcanũ quoq; ex Ioue.Eam præcipuè colebãt sequẽtia loca: Carthago, Prosinna ciuitas, Samos insula maris Icarij,ubi nutrita est:Argos,Mycenæ,Græciæ urbes,& Falisci in Italia.Pauo ei sacer est,in cuius caudam Argi caput adposuit,quapropter etiã eius currũ à pauonibus trahi,poẽtarũ fabulis proditũ est. Cæterum perpetuo odio prosequuta est Troianos, cùm propter raptũ Ganymedẽ, quem Iupiter Hebæ prætulerat: tum in primis ob iudiciũ Paridis, & quòd præuideret futuram ex Troianis gentẽ,à qua labẽtibus annis Carthago Aphricæ urbs sibi sacra,euerteretur. Inde Iunonius,*a,um.*

Iupiter (*quamuis trecentos Ioues à M. Varrone enumeratos Tertullianus testetur, tamen huic omnia tribuamus, ne multitudo puerorum memoriam fallat*) *Saturni & Opis filius, qui natus eodem cũ Iunone partu clàm in Iolam Cretæ montem alendus à matre transmissus est, ibiq; nutritus à Curetibus tympana pulsantibus, ne uagiens audiretur à Saturno, qui ex pactione cum Titano fratre facta, filios suos deuorabat. Nutritus est ille primum caprino lacte ab Amalthea & Melissa, filiabus Melissi Cretensium regis: & hinc nata fabula, Iouem à capra nutritũ esse. Iam igitur adultus bellum gessit cum Titanibus, quibus uictis parentes liberauit, cumq; cognouisset patrem uitæ ipsius insidiari, regno illum pepulit: Et sic imperio potitus, Deorum summus factus est. Mox consequutum bellum cum gigantibus, quos ipse fulminatos montibus & insulis supposuit. Iamq; toto orbe subacto, cũ Neptuno & Plutone fratribus de regno sortitus est. cecidit autẽ sibi in sortem cœlum cum terra, Neptuno maris, Plutoni uerò inferorum dominiũ. Iunonẽ sororem in coniugẽ sumpsit. Pincernã habuit Heben Iunonis filiã. qua reiecta, Ganymedem in eius locũ subrogauit. Ex plantis quercus illi sacrata est, & ex uolatilibus aquila, tũ quòd Ganymedẽ rapuerit, tum quòd fulmina à Cyclopibus fabricata ministret, quam ob causam etiã fulmine nõ tãgi ferũt. Maximè colebatur in Creta insula, in qua natus fuit: atq; in Homole Thessaliæ monte, unde etiam Homolius: item in Iola, Latio, Libya, ubi & eius oraculũ: in Elide urbe Græciæ, ubi quinto quoq; anno celebrabantur ludi Olympiaci, in honorem Iouis: licet alij Pelopis dicant. uide infrà. Filios habuit plurimos, unde natum*

adagium

adagium, Iupiter absq; filijs. Quidam per hunc fatum intelligunt. Verg. lib. 10.

–Sua cuiq; exorsa laborem
Fortunamq́; ferent, rex Iuppiter omnibus idem.

Et libro duodecimo:

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, &c.

Iuturna, Dauni filia, & Turni Rutulorum regis soror, cui, ut inquit Vergilius lib. 12. Iupiter in munus ablatæ uirginitatis immortalitatẽ dedit, Numiciq́; fluminis nympham fecit. Hæc in bello fratrem aduersus Aeneã multũ adiuuit, sed uidens omnia euerti, in Numicum fluuium se occultauit. Alij dicũt eam rem habuisse cum Latino rege: quo palàm facto, sua sponte se in Numicũ præcipitauisse. Verg.

At procul ut diræ stridorem agnouit & alas,
Infelix crines scindit Iuturna solutos, &c.

Est & Iuturna fons Italiæ prope Numicum saluberrimæ aquæ. Hinc ad omnia sacra Romam afferebatur aqua. Ad hunc fontem pleriq; in superioribus Vergilium respexisse uolunt.

I X.

Ixion, filius fuit Phlegiæ, alij tamẽ Aetionis, alij Iouis faciunt, qui principio in uxorẽ duxit Diam filiam Deionei seu Eionei: cui cum multa pro compẽsatione dotis pollicitus esset, & ob id pater spõsæ ad eum uenisset, ut dotem ferret, Ixion facta scrobe, eaq́; lignis & stramẽtis intecta, patrẽ spõsæ in ea fraude peremit: propter quã cædẽ cũ neq; homines neque Dij eum lustrare uellent, diuq́; incertus uagaretur, Iupiter illius misertus, in cœlum assumptum expiauit. Cumq; iam purgatus

fuit Arcesilæ, & Carneadis præceptor.

Ladon, *fluuius est Arcadiæ, cuius ripæ lauris abundant, unde Apollini sacer est. hunc quidam Daphnes patrem faciunt, non Peneum. Ouidius libro primo Metam.*

Donec arenosi placidam Ladonis ad amnem
Venerat, &c.

Læus, *fluuius Cretæ, Gortinam urbem præterlabens, per quem à Ioue Europam, Agenoris filiam tauri dorso usq; ad eam urbem uectam fuisse prodiderunt.*

Laërtes, *filius fuit Arcesij, & rex Ithacæ, qui Anticliam seu Autoliam Sinonis primi, siue ut alij habent, Autolyci filiam in uxorem duxit: ex qua Vlyssem (ut ipse opinabatur, ignorans eundē ex Sisypho latrone antea cōceptum) & sorores eius suscepit. Ouid. lib. 4. Metam.*

Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi,
Iupiter huic, &c. id est Arcesio.

Inde Laërtiades, *patronym.* & Laërtius, *a, um.*

Lagus, *pater fuit Ptolemæi successoris Alexādri: cui Philadelphus successit in regno. Lucanus libro decimo:*

Nobilitas uarij proles clarißima Lagi, &c.

Hinc Lagæus, *a, um.*

Lais, *meretrix fuit elegantißima, quæ ex Sicilia in Peloponesum deducta Corinthi habitauit, unde Corinthia dicta. Ad hanc ditißimi quiq; uiri ex tota Græcia turmatim confluebant, neq; admittebatur quisquam, nisi qui dabat, quod poposcerat. Proper. lib. 2.*

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes, &c.

Laius, *filius fuit Labdaci regis Thebarum, qui Iocastam Creontis Thebani filiam in uxorem duxit, quam cùm concepisse audisset, de futura prole oraculum consuluit: cui responsum est, se nasciturі manu periturum.*

Qua

Quapropter Iocastæ præcepit, ut quicquid peperisset tolleret. Quæ cum mœsta infantem curaßet exponi, alitus ab extero, dum adolescens patrem exquireret, ab oraculo audiuit illum in Phocida inuēturum. quò cùm uenisset, patrē incognitum seditionem ciuiū & extero rū separantē occidit, & sic Laius occubuit. Stat. lib. 11.

Ensem sceptriferi spolium lacrymabile Lai, &c.

Lamia, secūdum quosdam mater fuit Scyllæ (unde Vergilius in Cyri: Ipsi seu Lamiæ mater sit, siue Crateis) quæ ex puella in monstrum uersa infantes necare dicitur, quoniam omni sobole, quam ex Ioue pepererat, à Iunone orbata est. Hinc Lamiæ dicuntur mulieres nocturnæ, quæ infantes noctu rapiūt atq; comedūt. Horat.

Neu pranso Lamiæ puerum uiuum extrahat aluo.

Fuit item Lamia Romæ familia, à Lamo Lestrigonum rege ortum habens, ut quidam uolunt.

Lampado, una est ex Pleiadibus, de quibus infrà.

Lampetia, Lampethusa, et Phaëtusa, filiæ fuerūt Solis & Clymenes, sorores Phaëthontis. uide suprà Heliades. Homerus Phaëtusā & Lāpetiē Solis filias facit ex Neæra, easq; in Sicilia seruare patris greges: ad quas Vlysses cum socijs uenit, ibiq; tēpestate retentus, cum maxima eßet penuria, socij ipso dormiente, licet Circe præmonuisset ab illis abstinēdū eße, pecora inuaserūt, quibus mactatis atq; coctis famem sedarunt: propter quod factum omnes præter solum Vlyßem, à Ioue fulminati sunt. Vide Boccatium lib. 4. cap. 6.

Lampia, urbs est Arcadiæ in montibus niuosis sita. Stat. libro 4. Thebaid.

Pene sacer candensq; iugis Lampia niuosis, &c.

Lampsacum, seu Lampsacus, oppidum Hellesponti,

ante Pithyusa *dictum, situm iuxta mare, & portum habens optimũ, inter quod & Abydum alterũ* Hellespon*ti oppidũ* Practius *amnis fluit. In hoc maximè colebatur* Priapus *hortorum deus, qui inde* Lampsacenus, Lampsacides, & Hellespõtiacus *uocabatur.* Ouid. *libro 6. Fast.*

Lampsacus hunc soli solita est mactare Priapo.

Lamus, *filius fuit* Herculis *ex* Omphale *regina Lydiæ, cui nouercam se factam esse* Deianira *apud* Ouid. *in Epist. conqueritur, cum inquit:*

Vna recens crimen referatur adultera nobis,
Vnde ego sum Lydo facta nouerca Lamo.

Alius fuit Lamus, Neptuni *filius,* Lestrigonum *rex.*

Langĩa, *fons est in Nemea sylua Arcadiæ, cuius aquis ab Hypsiphyle monstratis refectus fuit Græcorum exercitus, cũ ad Thebanam expeditionem proficisceretur. Alij fluuium esse uolunt. Stat. lib. 2. Theba.*

Culta serunt quos pigra uado Langia tacenti, &c.

Laocoon, *filius fuit* Priami *ex* Hecuba, & Apollinis *sacerdos, qui primus hastã in equũ ligneũ torsit: ob quod factũ Vergilius lib. 2. ait ipsum cũ duobus filijs perijsse.*

Primus ibi ante omnes magna comitante caterua
Laocoon ardens summa decurrit ab arce, &c.

Laodamia, Bellerophontis *fuit filia ex* Archimene *cõiuge: quæ cũ forma excelleret, Iupiter illa iritatus, cũ ea cõcubuit, suscepitq; Sarpedonẽ, qui postea Lyciæ rex factus est. Altera fuit Laodamia,* Acasti & Laudotheæ *filia, quæ tanto amore* Prothesilaũ *dilexit, ut etiam noctu ipsum Troiam profectum somniaret: quem cum postea ab* Hectore *occisum cognouisset, tanto dolore intabuit, ut superuiuere noluerit. Priusquam tamen*

interiret

interiret, in solatium mœroris optauerat, ut mortui umbram uideret: qua uisa in illius amplexibus expirauit. Ouid. in Epist.

Mittit, & optat amans, quò mittitur, ire, salutem
Aemonis Aemonio Laodamia uiro, &c.

Laodice, *Priami fuit filia & Hecubæ, quæ Helicaoni Antenoris regis Thraciæ filio nupsit. Alia fuit Agamemnonis filia, quam pater cum Chrisothemi & Iphigenia seu Iphianassa Achilli obtulit, ut ex his, quam uellet in uxorem eligeret.*

Laodicea, *urbs est Syriæ, in ea parte, cui Antiochiæ nomen est, non procul ab Amano monte.*

Laomedon, *rex fuit Troiæ, Ili filius, qui cum de ædificãdis Troiæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negocij dedit, pactus mercedem quã mox extructis mœnibus se soluturũ iureiurando affirmauit. Verũ perfecto opere Laomedon periurus pactam mercedem negauit, propter quod dij irati, Neptunus aquã, Apollo pestem urbi immisit. Duplici igitur calamitate affectus Laomedon, de remedio oraculum consuluit: respõsũ est, non aliter deos placari posse, quàm si singulis annis uirgo Troiana ceto dilacerãda exponeretur. Institutum itaq; uirginem quotannis exponi, eamq́; sorte eligi. Sed cum tandem sors in Hesionen (quam tamẽ alij solã ab Apolline & Neptuno expositã tradũt) Laomedõtis filiã cecidisset, & iã scopulo alligata mõstrũ expectaret, Hercules fortè trãsiẽs liberaturũ se filiã Laomedonti pollicitus est, si equos diuino semine procreatos, quos habere cũ constabat, in præmiũ sibi traderet. Hũc igitur in modũ pactione facta, Hercules interfecta bellua uirginẽ liberauit. Sed cũ Laomedon promissis nõ*

ſtaret, indignatus Hercules, *collecto undiquaq; exercitu* Ilium *expugnauit,* Laomedõtẽ *occidit,* Heſionem Thelamoni *in uxorẽ dedit, quòd primus murũ cõſcendiſſet.* Priamũ *eius filiũ captiuũ abduxit, qui poſtea auro à uicinis redẽptus fuit, ideoq́; ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, hoc eſt, à redimendo nomen obtinuit. Ab eo fit* Laomedontiades, *patronym. &* Laomedõtæus, *a, um. Verg. lib.* 8.

Laomedontiaden Priamum Salamina petentem.

Lapithæ, λάπιθαι, *populi fuerunt* Theſſaliæ, Pindum & Othrin *montes inhabitantes, quorũ rex fuit* Pirithous: *cui cum* Centauri *ſponſam in nuptijs rapere uellent, bellum contra ipſos geſſerunt, plurimosq́; occiderunt.* Verg. *in Culice:*

Nec Centaureos Lapithas compellit in enſes.

Lara, *nympha fuit,* Almonis *filia, de qua ita fabulantur.* Cũ Iupiter *diligeret* Iuturnam Tyberinam *nympham* Turni *ſororẽ, reliquis loci nymphis impoſuit, ut eam fugientẽ retardarent, ne ſe ſequente ipſa mergeretur in undas.* Lara *uerò una* Naiadũ *iuſſa* Iouis Iunoni *retulit. Quapropter* Iupiter *indignatus* Laram *lingua priuauit, mandauitq́;* Mercurio, *ut eam ad inferos traheret, ibiq́; eſſet* Stygia *nympha: qui cum illam duceret, eius elegantia incenſus, in itinere oppreßit: quæ cum concepiſſet, gemellos peperit, quos ille de matris nomine* Lares *appellauit.* Ouid. *lib.* 2. *Faſt.*

Fortè fuit Nais Lar nomine, prima ſed illi
 Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat, &c.

ubi totam fabulam deſcribit. Hæc alio nomine Larunda *uocabatur.*

Lariſſa, *Theſſaliæ ciuitas, non procul à* Phthia Achillis *patria, qui inde* Lariſſæus *uocatur.* Horat. *lib.* Carm.

Nec

Nec tam Larissæ percußit campus opimæ,&c.
Sunt tamen & aliæ huius nominis urbes, de quibus apud geographos.

Larius, *lacus Galliæ Cisalpinæ, propinquus* Como *urbi, piscium copia excellens.* Addua *flumine maximè augetur.Verg.lib.2.Georg.*

An'ne lacus tantos? te Lari maxime,&c.

Latinus, *Laurētū rex,* Fauni *regis &* Maricæ *Laurētis nymphæ filius,ut autor est* Ver.*lib.7.Iustinus uerò tradit hunc ex* Hercule, *cū ex* Hispania *rediret,&* Fauni *filia progenitū.Seruius Hesiodū secutus* Vlyßis *et* Circes, *quā nōnulli* Maricā *dixerunt,filiū facit.&* Verg. *quodam loco ait,Solis aui specimen,&c.de* Latino *loquēs.Sed quoniā tēporū ratio nō cōuenit,intelligendū est, multos fuisse huius nominis reges, quēadmodū & Higinus testatur:sed poëtas confundere personas.* Hic *igitur, cuiuscūq; filius fuerit,* Amatā Dauni *regis* Ardeæ *sororē in cōiugē habuit, ex qua* Lauiniā *suscepit, quā* Turno Dauni *filio spopondit:uerū cū oracula responderent, externum generum quærendum, profugo* Aeneæ, *quem hospitio susceperat,filiam suā elocauit, spreto* Turno.Q*uapropter ingens bellum postea inter* Turnum & Aeneam *secutum est, ut patet ex* Vergilio

Latmus, *mōs est* Cariæ,*quò* Luna *ad* Endymionē *amasiū noctu descēdere solebat.*Inde Latmius,*a,um.* Oui.

Latmius Endymion *non est tibi* Luna *rubori.*

Latium, *ea pars est* I*taliæ, ubi sunt* Tyberina *ostia, &* Roma *quondā orbis caput,quam dictā putant,uel à latitudine,uel quòd* Italia *inter præcipitia* Alpiū & Apennini *lateat, uel quòd* Saturnus *à* Ioue *filio regno expulsus apud* Ianū *regem latuerit.unde* Verg.*lib.8.*

–Latiumq;

—*Latiumq́; uocari*

Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Hinc Latialis, *le*, Latinus, & Latius, *a*, *um*. *Lucanus libro* 1.

Gentibus inuisis Latium præbere cruorem, &c.

Latona, *filia Cei Titanis, à Ioue amata & oppressa est, ex quo geminã concepit prolẽ, Apollinẽ uidelicet & Dianã: quod Iuno adeo ægre tulit, ut immissocõtraillã Pythone serpente, per totũ terrarũ orbẽ pellicẽ persecuta sit, donec errãdo ad sororẽ Asterien in insulã Ortygiam permutatã peruenisset, à qua suscepta est, ibiq́; Dianã peperit, quæ euestigio obstetricis officiũ in nasciturо fratre matri præstitit, & Apollinem nascentẽ suscepit: qui adultus mox Pythonẽ interfecit, & petẽtibus cœpit dare respõsa. Porrò hæc insula, cũ ãtea Ortygia uocaretur, postea Delos uocari cœpit. Ab hac Apollo* Latoides, Latous, & Latonius: *Diana uerò* Latonia, & Latois *appellatur. Ouid. lib.* 7. *Metam.*

Inde Calaureæ Latoidos aspicit arua, &c.

Lauinia, *filia fuit Latini regis & Amatæ, quæ primum Turno, deinde Aeneæ despõsata est. orto itaq́; inter hos duos bello, multi utrinq́; occubuerũt. Tandem deuicto Turno Aeneæ nupsit: quo mortuo ipsa priuigni insolentiã timẽs, in syluas prægnãs profugit, & apud Tyrrheum pastorem diuertit, ibiq́; peperit filium, quẽ Iuliũ Syluium Posthumũ appellauit, eò quòd post patris funus in syluis natus esset. Hãc tamẽ postea Ascanius in regnũ uocauit, cũ ipse secessisset in Albã longam, urbẽ à se cõditam: & sic postea filius Iul. Syluius Posthumus imperij gubernacula retinuit. Vergil. lib.* 12.

—*Et uictum tendere palmas*

Ausonij uidere, tua est Lauinia coniux, &c.

Lauinium, *seu* Lauinum, *urbs fuit in Latio, à Lauino (ut sentit Seruius) Latini regis fratre sic dicta. Postea uerò cũ Latinus adepto imperio ciuitatem ampliaret, laurum inuenit, à quo Laurentũ & Laurolauiniũ appellari cœpit: & Laurẽs, aliquis ex Laurento. Vergil.*

—Laurentis regia Pici, &c.

Postremo tamen rursus à Lauinia Aeneæ coniuge Lauinium appellatum est.

Laurentia, *uxor fuit Faustuli pastoris Amulij, quæ Romulũ & Remũ expositos nutriuit: & quoniã se omnibus prostituebat, lupa dicta est: & hinc locus datus est fabulæ, Romulum & Remũ à lupa esse nutritos.* Laurentialia, *dicuntur festa, quæ fiebant in eius honorem.*

Lausus, *filius fuit Numitoris, quem Amulius patruus fugato patre occidit. Alius fuit Mezentij filius, quem Aeneas interfecit, cum parentem uulneratum defenderet. Verg. lib. 10.*

Ingemuit chari grauiter genitoris amore,
Vt uidit, Lausus, lacrymæq; per ora uolutæ.

L E.

Learchus, *filius Athamantis & Inoës seu Inûs, quem pater furijs agitatus arreptum pro ceruo interfecit. Vide suprà* Athamas. *Ouid. lib. 6. Fastor.*

Tuq; cadis patria parue Learche manu.

Leander, *adolescens fuit formosissimus, ex Abydo Hellespõti oppido, qui cũ in Seston urbẽ ex aduerso sitã noctu per mare ad amasiã suã Herô nataret, tẽpestate orta submersus est. Vide suprà* Hero. *Ouid. in Epist.*

Quam mihi misisti uerbis Leandre salutem,
Vt possim missam rebus habere, ueni.

Inde

Inde Leandrius,a,um, ut Leandrius Hellespontus apud Silium libro 10.

Leda, filia fuit Thestij, & Tyndari Laconiæ regis uxor, quæ cũ Ioui placuisset, ipse in cygnũ uersus, suauißimè canere cœpit: quo cantu mulier illecta, cũ nõ modo audiendi, sed etiã capiendi gratia ad se traxit: qui dũ caperetur, eã ipse cepit, atq; oppreßit. unde Ledã ouum cõcepisse ferũt, ex quo Pollux, Castor, & Helena nati sunt. Alij dicũt Pollucẽ & Helenam tantum, Castorem uerò fuisse mortalẽ Tyndari filiũ. Nõnulli uolũt eã duo oua peperisse, & ex uno Castorẽ & Pollucẽ, ex altero autẽ Helenam & Clytæmnestram. Ouid. lib. 6. Metam.

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.

Ab hac fit Ledæus,a,um.

Leleges, populi fuerunt errabundi, diuersa loca quondã inhabitantes, unde alij eos Thessaliam, alij Bœotiam, occupasse tradunt, alij Cares & Leleges conterminos fuisse dicunt: eosq; sic dictos à Lelege eorum duce. Ouid. lib. 9. Metam. —Quibus illa relictis

Caras & armiferos Lelegas, Liciamq; pererrat.

Lemanus, lacus est Galliæ Cisalpinæ, per quem Rhodanus rapitur prope Gebennam urbẽ: is Heluetios à Gallis separat, suisq; accolis Lemanorum indidit nomen. Hunc hodie Gebennicum, & Losanensem uocant, & regionem adiacentem, Sabaudiam, quæ olim Allobrogum fuit. Lucan. lib. 1.

Deseruere cauo tentoria fixa Lemano, &c.

Lemnos, insula in Aegeo mari sita, à Borea Thraciam spectans, ab Austro longo tamen tractu Cretæ opposita est. Vrbes habet Myritinã, ad mare sitam, & Ephestiam mediterraneam. In ea olim colebatur Vulcanus

eus

deus ignis, unde Lemnius *dicitur, &* Lemnij, *populi, &* Lemniades, *mulieres in Lemno, quæ quum uiros suos odissent, eos una nocte omnes necarũt, præter* Hypsiphylen, *quæ patrem* Thoanta *seruauit, &c. Ouidius in* Epist.

Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti, &c.

Lenæus, *uocatur* Bacchus, ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, *id est, à lacu, in quo olim uuæ exprimebantur. hodie torculari utimur. Vergil. lib. 2. Georg.*

Huc pater ô Lenæe, tuis hic omnia plena
Muneribus, &c.

Lerna, *ciuitas est in Argolico sinu, iuxta quam lacus est eiusdem nominis, in qua Hercules hydram serpentem interemit. Hinc fit* Lernæus, *a, um. Vergil.*

Lernæus turba capitum circumstetit anguis.

Lesbos, *insula est Aegei maris amplißima, laudabilis optimi uini. In ea quondam urbes fuerunt Mitylene & Methymna. Hinc fit* Lesbius, Lesbous, *a, um, adiectiua, pen. longa. &* Lesbides, *pen. correpta, dicuntur mulieres ex Lesbo. Sappho apud Ouid. in* Epist.

Lesbides infamem quæ me fecistis amare,
Desinite ad cytharas turba uenire meas.

Lestrigones, *populi fuerunt in extremis Italiæ Siciliam uersus habitantes, homines ab omni humanitate alieni: aduenientes enim hospites mactabant, eisq; uescebantur. Homerus quoq; scribit Lestrigones socios Vlyßis uerubus transfixos, igneq; assos comedisse. Sil. lib. 14.*

Regnatam duro quondam Lestrigone terram, &c.

Inde Lestrigonius, *a, um.*

Lethe, *fluuius est inferorũ, cuius aqua pota præteritarum rerum obliuionem inducere fertur, unde* ἀπὸ τῆς λήθης,

id est,

id est, ab obliuione nomē habet. Ab eo fit Lethæus, *a, ū. Cōstat autē hūc amnē in Aphrica circa extremū Syrtiū cornu* Berenicē *alluere: sed ipsum apud omnes fama est, ad loca infirna inūdatione prorūpere. Lucan. li. 8.*

Quam iuxta Lethes tacitus prælabitur amnis,
Infernis (ut fama) trahens obliuia uenis, &c.

Leucadia, *seu* Leucas, *insula est contra sinum Ambracium sita, iuxta Epirum, habens mōtem altißimum, & Augusti contra M. Antonium, & Cleopatram pugna memorabilis. quondam continenti iuncta fuit, ut refert Ouid. lib. 15. Metam.*

Leucada continuam ueteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt, &c.

Dicta ab albo colore saxi cuiusdam in mari prominentis. Inde Leucadius, *a, um. Ouid. in Epist. Sapp.*

Tu quoq; mollis Amor pennas suppone cadenti,
Ne sim Leucadiæ mortua crimen aquæ.

Leucas *quoq; ciuitatis nomen est, Acarnaniæ partis Epiri, quæ olim* Neritum *uocabatur.*

Leucātes, *promontorium est Epiri, prope Ambraciam in mare prominens, in quo fuit Ambracia ciuitas, quā postea Augustus uicto cum Cleopatra Antonio Nicopolim uocauit. Fuit quoq; in eo templū Apollinis, quē inde* Leucadium *nominatum putant. Verg. lib. 8.*

–Totumq; instructo Marte uideres
Feruere Leucaten, auroq; effulgere fluctus, &c.

Leuce, *parua insula in Ponto, Boristhenis ostio obiecta: & quoniam Achilles ibi situs sit, Achillæa cognominata fuit. Est & huius insulæ oppidum. Vide Melam. Aliud item huius nominis oppidum est in Italia, stadijs quingentis à Tarento distans. Lucan. lib. 5.*

–Secre

–Secretaq; littora Leuce.

Leucosia, una est Syrenarum. Vide infrà. Et insulæ nomen non procul à Velia urbe distans.

Leucothea, quam quidam alio nomine Leucothoën uocant, dicta est Ino, uxor Athamantis, cùm se & Melicertam filiũ è Scyronis scopulo præcipitasset, & à Neptuno inter Deas marinas esset relata. uide suprà. Ouid.

Leucotheaq; deum cũ matre Palæmona dixit, &c.

Hanc quoq; dicunt Vlyssi uelum dedisse, ut naufragiũ passus tutius enataret. Ouid. lib. 3. de Ponto, eleg. 6.

Nec quia Neptunus nauem lacerarat Vlyssis,
Leucothoë nanti ferre negauit opem, &c.

Et Leucotheam Græci auroram uocant, quæ Latinis Matuta dicitur.

Leucothoë, Orchami Archemeniorum regis & Erymones filia, summè à Phœbo adamata est, qui ut ea potiretur, in Eurymones matris formam mutatus accessit, famulasq; tanquam arcani quiddam dictura secedere iussit: quæ cùm abijssent, in propriam formam redijt, & patientem compressit. Quod cùm Clytie, quæ eadem à Phœbo diligebatur, audisset, cõfestim eam apud Orchamũ patrem accusauit: qui iratus & sæuus nimium uiuam sepeliri iussit. Phœbus autẽ cũ illi nulla ratione uitam restituere posset, mortuam in uirgam thuream uertit. Ouid. lib. 4. Metam. –Et orsa est

Dicere Leucothoë, uocem tenuere sorores, &c.

Leuctra, æ, siue Leuctra, orum, oppidum est Bœotiæ, iuxta quod Epaminũdas Thebanorum dux ita superauit Lacedæmonios, ut ab illo tempore Græciæ principatum nunquam recuperare potuerint. Quidam in Laconia ponunt.

Leuci, Galliæ populus prope Lingones, iaculandi peritißimus. Lucan. lib. 1.

Optimus excusso Leucus, Rhemusq; lacerto.

L I.

Libănus, mons est inter Arabes & Phœnices, excelsis arboribus abundans, ex quo Orontes & Iordanis fluuij oriuntur. Mantuanus:

Thuriferosq; Arabas, Libaniq; tepentis odores.

Liber, eri, dictus est Bacchus, quòd mentem curis liberet. Verg. Eclog. 7.

Liber Pampineas inuidit collibus umbras.

Hinc Liberalia, id est, Bacchanalia.

Libethrides, dicuntur Musæ, à Libethro eorũ antro in Helicone. Seruius & Solinus fontem esse tradiderunt: ille quidẽ locum reticet, hic uerò in Magnesiam reponit. Quidam à Libethro, Macedoniæ monte, Musis sacro, sic nominatos uolunt. Verg. Eclog. 7.

Musæ noster amor Libethrides aut mihi carmẽ, &c.

Libitīna, seu Libentina, dea, quam alij Proserpinam & Venerem dicunt, in cuius templo uendebantur & locabantur ea quæ ad sepulturam pertinẽt: unde aliquãdo pro morte accipitur. Horatius:

Autumnusq; grauis, Libitinæ questus acerbæ.

Liburnia, regio est inter Dalmatas atq; Illyricos, siue, ut quidam uolunt, Dalmatiæ pars, in qua sunt Salonæ, urbs insignis. Liburni, huius regionis populi sæuißimi, quos Seruius Rhetorũ Vindelicorum partem fuisse, & ab Amazonibus originem traxisse, ex Horatio testatur. Verg. lib. 1. Aeneid. —Atq; intima tutus

Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui.

Liburnum, Liburna, æ, Libunica, æ, dicuntur naues celeres,

celeres, à Liburnis populis inuentæ. Liburni *quoq; dicũtur uiatores, uulgò* Gallicè *Chergant,* Germanicè *Statknecht.*

Libya, *filia fuit Epaphi, & Caßiopæ coniugis, quæ à Neptuno compreſſa, Buſiridem peperit.*

Libya, *dicta eſt ea Aphricæ pars, in qua Libya Epaphi filia habitauit, à qua hoc nomen accepit. Ponitur etiã ſæpißime pro tota Aphrica. Lucan. lib. 1.*

Duc age per Scythiæ populos, per inhoſpita Sirtis
Littora, per calidas Libyes ſitientis arenas, &c.

Hinc Libycus, *a, um, &* Libyſtis, *idos.*

Lichas, *ſeruus Herculis, qui à Deianira ad perferendum Neßi Centauri ueſtem ad maritum Ioles amore captũ miſſus eſt. ſed Hercules indutus ea ueſte, & in furorem uerſus, Licham è ſcopulo in Euboicum mare præcipitauit. tandem in ſcopulũ mutatus eſt. Ouid. lib. 9. Meta.*

Tu'ne Licha, dixit, feralia dona dediſti? &c.

Liguria, *Italiæ regio inter Varum & Macram amnes, ab altero latere habens Apẽninum, ab altero Padum, Thuſciam attingens, cuius caput Genua eſt.* Liguſtica ora, & Liguſticum mare, *appellatur. &* Ligures, *eiuſdem regionis populi. Verg. lib. 2. Georg.*

Aſſuetumq; malo Ligurem, Volſcosq; uerutos.

Ligya, *una eſt Syrenarum. Vide infrà.*

Lilybæum, *Siciliæ promontorium, quod ad Aphricum ſpectat, & flexo littore brachia repræſentat. Eſt etiam oppidi cuiuſdam nomen. Silius lib. 14.*

Cernit deuexo Lilybæum nomine chelas, &c.

Lingõnes, *pópuli Belgici fœderati, in occaſũ uergẽtes, qui ſuper Heluetios & Sequanos habitãt. Lucan. li. 1.*

Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

Hinc fit Lingonicus,*a,um,apud Martialem.*

Linus,*filius fuit Apollinis ex Psammate Crotopi Argiuorum regis filia. Cùm enim Apollo occiso Pythone serpente, ad Crotopũ uenisset,ab eodem hospitio susceptus est, ubi clàm cũ Psammate filia concubuit. quæ cùm concepißet,& tempore debito secus Nemeum flumen occultè peperißet, filium suum Linũ appellauit, eumq́;,ut quorũdam est opinio,exposuit: qui sic repertus à canibus deuoratus est. Alij dicunt hanc pastori infantem alendum tradidisse, qui cum eum ex incuria in herba iacere neglexisset, à canibus inuẽtum dilaniatũ esse.* Alius fuit Linus, *Apollinis & Terpsichores filius,siue,ut quidã uolunt, Mercurij & Vraniæ Musæ, lyricæ peritißimus, in qua discipulos habuit Orpheũ, Thamyrã, & Herculem.Hunc ab Hercule plectro cytharæ occisum ferunt,dum eum resticitus canentem nimis corripuisset. Verg.Eclog,6.*

Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus,huic mater quãuis,atq; huic pater adsit.
Orphei Calliopea,Lino formosus Apollo.

Alius fuit Linus,Hypermestræ maritus,Aegypti filius, qui alio nomine Lynceus, de quo infrà.

Linternum,*uicus est Campaniæ, nõ procul à fluuio qui Linternus dicitur, ubi inclytus ille Scipio Aphricanus inuidiæ cedens obijt,& sepultus est.*

Lipare,*insula ex Aeolijs maxima, dicta à Lyparo Ausonis regis filio,cui Aeßus succeßit.*Liparæi,*uocãtur incolæ,à quibus* Lipareus,*a,ũ,adiect. Verg.li.8.Aene.*

Insula Sicanium iuxta latus, Aeoliamq́;
Erigitur Liparen,&c.

Liriópe,*Oceani & Tethyos filia,ex qua Cephisus ãnis*

Narciss

Narcißũ puerũ formosißimũ suscepit. Ouid. li. 3. Met.

Cærula Liriope, quam quondam flumine curuo
Implicuit, &c.

Lissus, oppidum in Macedonia, post sinum Cyzicum iuxta Acrolißim, tria millia paſſuũ à Nymphæo distãs. Lucanus libro 5.

Prætereunt frustra tentati littora Lißi,
Nymphæumq; tenent, &c.

Lixus, oppidum est Mauritaniæ, iuxta quod fuit hortus Hesperidum: in hac quoq; urbe Anthæum gigantem ferunt regiam suam habuiſſe.

L O.

Locri, populi quidam fuerunt ex Locride Græciæ regione, & Aiacis Oilei socij, qui ab expeditione Troiana redeuntes orta tẽpestate disiecti sunt, ueneruntq; in extremam Italiæ oram Siciliam uersus, ibiq; urbẽ Locrũ & Nariciũ cõdiderunt. Dicti sunt etiã Epizephyrij, à Zephyrio promõtorio, cui subiacent. Verg. lib. 3. Aen.

Hic & Naricij posuerunt mœnia Locri, &c.

Alij fuerunt in Aphrica eiusdem Aiacis socij, qui & Ozolei dicebantur. unde idem,

–Libyco'ue habitantes littore Locros.

Sunt & alij prope Bœotiam, quos Opuntios uocant.

Lothis, nympha, Neptuni filia, à Priapo hortorum deo adamata: quã cũ noctu cõprimere uellet, ab asino prohibitus est, &c. Vide infra de Priapo. Ouid. lib. 1. Fast.

At ruber hortorum deus, & tutela Priapus
Omnibus ex illis Lothide captus erat.

Lotophagi, Aphricæ populi, à Loto arbore, cuius fructu maximè uescuntur. Est enim Lotos arbor, quã & Celtin uocant, magnitudine pyri, lignũ habens colore

nigro, fructumq; ferens suauißimum, quo qui uescitur, statim omnium rerum obliuiscitur. Ad hos cũ Vlysses uenisset, exploratores emisit, qui gustato loto de reditu nihil curabant, donec ui ab Vlysse abducerentur. Ouid. libro 4. de Ponto:

Nec degustanti Lotos amara fuit.

Loxias, dictus est Apollo, uel propter obliqua & tortuosa respõsa, quæ huius uates reddebant, quo facilius consultoribus imponerent: uel quòd Apollo, id est, Sol, Zodiacũ obliquè percurret: λόξος enim Græcis obliquus est.

L V.

Luca, ciuitas est Thusciæ, à qua Lucenses dicuntur, qui eam inhabitant. Dicta à Lucumone Hetruscorum rege. Mantuanus:

Vnum Luca tulit, Luca urbes inter Hetruscas
Nobilis, &c.

Lucania, Italiæ regio inter Apuliam, & Calabriam, cuius populi Lucani dicuntur: siue quòd eorum regio sita sit ad partem Luciferæ stellæ: siue quòd loca ætheria sint, & ob id multæ lucis: siue à Lucilio eorum duce: seu quòd primò in luco cõsederint. Et Lucanus, a, um, quod ad lucem pertinet.

Lucerius, Ardeæ rex fuit, qui auxilio fuit Romulo bellãti aduersus Tatium: unde Luceres appellati tertia pars populi Romani.

Luceria, ciuitas Apuliæ prope Adriam. Lucan. lib. 2.

Tu quoq; commissæ nudatam deseris arcem
Scipio Luceriæ, &c.

Lucifer, filius fuit Iouis & Auroræ, qui Trachinnam nympham amauit, & ex ea suscepit geminam prolem, Ceycem uidelicet & Dædalionem. Dictus autẽ est Auroræ

roræ filius, quia stella illa quæ & Venus dicitur, mane solē præcedēs, quasi ex eiusdē sinu oriri uidetur. Ver. 8.

Nascere præq; diem ueniens age Lucifer almum.

Lucilius, poëta, primus apud Romanos scribere cœpit Satyras, quibus maximè insectatus est Rutilium Lupū Carbonem, & Lucium Tubulum. Scripsit Satyrarum libros amplius triginta. Mortuus est Neapoli annos natus quadraginta sex. De Lucilio uide Quintilianum lib. 10. & Horatium lib. 1. Sermon. Satyr. 4.

Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus, &c.

Lucina, dicta est Luna & Diana, quando partui præest. sic dicta quòd lucē ferat. alio nomine Ilithya uocatur. Verg. Eclog. 4.

Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo, &c.

Hoc nomine etiam dicta est Iuno quibusdam, qui Iunonem eandem cum Luna esse uoluerunt. unde est apud Comicum: Iuno Lucina fer opem obsecro, &c.

Lucretia, Romanæ castitatis præcipuum lumē, filia fuit Tricipitini præfecti urbis, & uxor Collatini. quam Sextus Tarquinius, cū precibus exorare non posset, ui oppreßit. stricto enim gladio in cubiculum irruens, mortē minabatur, ni uoluntati suæ obsequeretur, addebatq; se cū mortua iugulatū seruum positurum, ut in sordido adulterio necata dicatur. quibus minis illa perterrita, ut infamiæ suspicionem effugeret, expugnari sese paßa est. Quo facto fœmina conuocatis patre, marito, cæterisq; amicis, obortis repētè lacrymis, tyranni flagitiū detexit, & educto cultro, quem sub ueste occultū habebat, sese statim cōfodit. Quare moti pater cū marito et cæteris amicis, populo ad arma concitato, reges expulerūt. Vide Perottū, ubi oīa copiosius enumerat. Martial.

Esse uidebaris, fateor, Lucretia nobis, &c.

Lucretius, *poëta paulo antiquior Terētio Varrone, &* M. Tullio. *Per interualla temporū accedebat ad scribendum carmē, non sine quodam animi furore. Scripsit libros sex de rerū natura. Perijt annos natus supra 40. Eusebius tradit cum tanto furore percitū fuiße, assumpto amatorio poculo, ut propria manu sese interfecerit. Ouid. lib. 2. Trist.*

Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
Causarumq́; triplex uaticinatur opus.

Lucretilis, *mōs est in Sabinis, de quo* Horat. *lib. 1. Carmi.*

Velox amœnum sæpe Lucretilem, &c.

Lucrinus, *lacus est Campaniæ in sinu* Baiano *cōtra* Puteolos, *propinquus* Auerno *lacui, adeò ut ortis maximis aliquando tempestatibus coniungantur. Dictus autem est à lucro, propter multitudinem piscium, qui illic capiebantur. Martialis:*

Hic mihi Baiani soles, mollisq́; Lucrinus, &c.

Et Lucrinum, *Apuliæ oppidum. uide Melam lib. 2.*

Lugdunum, *insignis urbs est Galliæ, apud Aquitaniā, quam Plancus cum* Galliam Comatam *regeret, condidisse traditur. Ab ea fit* Lugdunensis, *se. Item* Lugdunensis *dicta est tota illa regio. Iuuen.*

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram, &c.

Luna, *Hetruriæ oppidum ad mare situm, ubi adhuc egregius portus est. Lucan. lib. 1.*

—Quorum qui maximus æuo
Arnus incoluit desertæ mœnia Lunæ, &c.

Lupercal, *dictus est locus sub Palatino mōte, ab Euādro sacratus Pani deo, qui Lycæus uocabatur. Verg. lib. 8.*

—Et gelida monstrat sub rupe Lupercal,

Parrhasio

Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Lupercalia autē uocabantur ipsa sacra: & Luperci, sacrorū ministri, qui nudi & currentes lustrabant ciuitatē: quod fiebat Februario mense ratis diebus expiationis gratia. Hi etiā incisis in particulas & lora caprarum pellibus discurrebāt in urbe, mulieresq́; se ad uerbera ultrò offerētes pellibus percutiebāt, quòd putarēt eā rem ad fœcūditatem conducere. Iuuen. Sat. 2.

Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Alij dicunt eos prægnantium mulierum manus uerberasse, ut facilioris essent partus.

Lusitania, pars est ulterioris Hispaniæ, quam nunc Portugalliam appellant. Lusitani, eiusdem populi.

L Y.

Lyæus, Bacchi cognomen est, à λύω, id est, soluo, quòd membra & mentem soluat. Ouid. lib. 3. Eleg.

Corniger increpuit thyrso grauiore Lyæus.

Lycæus, mons est Arcadiæ, in quo fuit delubrū non solū Iouis Lycæi, sed etiam Liberi patris, & bicornis Fauni. Alij Pana tantum Lycæum uocant, uel ab hoc mōte: uel quòd lupos fugarit, quibus Arcadia abundat: λύκος enim Græcis lupus est. Verg. Eclog. 10. de monte:

–Et gelidi fleuerunt saxa Lycæi.

Et Licæus, a, um, apud Ouidium.

Lycambes, uir Thebanus, quem Archilochus poëta Iābographus ob filiam Neobolen sibi denegatam ad laqueum compulit. Vide suprà Archilochus. Ab eo fit Lycambæus, a, um. Ouidius:

Tincta Lycambæo sanguine tela madent.

Lycaon, λυκάων, filius fuit Titanis & Terræ, pater Calistus, de quo talis fabula narratur. Cum olim ad supe-

ros clamor peruenisset, omnia pessimè in terris agi: Iupiter uerum experiri cupiens, sumpta hominis forma in terras descendit: cumq; totam Arcadiam peragrasset, ad Lycaonis regiam peruenit, signumq; dedit se deum esse: cui cum Arcades sacra pararent, solus Lycaon eos risit, addiditq; se ea nocte experiturum, an hospes suus Iupiter esset. Cum igitur illum dormientem occidere (quemadmodũ cæteros hospites solebat) destinasset, nec tamen succederet, ad aliud facinus animũ intendit, unumq; ex obsidibus Molossorum missum iugulauit, & partim undis, partim prunis coctũ Ioui apposuit. Qui cibo cognito iratus, appositum in terram proiecit, ipsamq; regiam incendit. Qua re territus Lycaon in syluas fugiens in lupum conuersus est. Ab eo fit Lycaonicus, a, um. Ouid. lib. 1. Metam.

Fœda Lycaoniæ referens conuiuia mensæ, &c.

Alius fuit Lycaon Nelei filius, & Nestoris frater, quẽ Hercules expugnato Pylo occidit. Alius fuit Priami filius, ex Laothoê Altai Lelegensium regis filia, ab Achille occisus. Alius itẽ Lycaõ Cnosius, faber, et artifex ensis, quẽ Ascanius dedit Euryalo, ut ostẽdit Ver. lib. 9.

Lycaonia, regio est minoris Asiæ prope Phrygiã, à qua mõtibus separatur, ad Taurũ Cilicum & Pisidicũ extensa. Lycaones, dicuntur ipsi populi. Ouid. in Trist.

Quæq; Lycaonio terra sub axe iacet.

Quamuis hoc quidam de Arcadiæ parte, ubi Lycaon regnauit, intelligendum puteut.

Lycaste, filia fuit Priami ex concubina, cuius amore flagrans Polydamas Antenoris & Theanus sororis Hecubæ filius, eam in uxorẽ duxit. Est etiam nymphæ nomen. Item Lycaste nobile fuit scortũ in Sicilia, quam ob for

ob formositatem Venerem uocauerunt. Vide suprà Buthes.

Lyceum, λύκειον, gymnasium fuit Athenis, in quo docebat Aristoteles, Cicer.

Inq; Academia umbrifera, nitidoq; Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes, &c.

Lycia, regio est Asiæ minoris inter Pamphyliam & Cariã, à Lyco Pandionis Atheniensium regis filio sic dicta, cùm prius Termile, ut Herodotus tradit, appellaretur. In ea sunt urbes insigniores, Patara, Pinara, Xanthus (quod etiã fluuij nomen est in eadem regione) Myra & Tlone, ut Strabo scriptum reliquit, & mons Chimera. Lycij, dicuntur incolæ. Verg. lib. 1. Aeneid.

Vnam quæ Lycios fidumq; ferebat Orontem.

Lycius quoq; uocatur Apollo, uel à Lycio tẽplo Deli, uel à lupis, quòd ueluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoq; humorem rapit radijs.

Lycomẽdes, rex fuit in Scyro, cui Thetis filium suũ dormiente præceptore suo Chirone clàm raptum seruandum tradidit, ut ibi inter eiusdẽ regis filias (erat enim facie uenusta & puellari, ita ut facilè pro puella sese gereret) muliebri habitu indutus latitaret, ne ad bellũ Troianum, à quo illum non reuersurum esse sciebat, proficisci cogeretur. Apud quẽ cum delitesceret, Deidamiam regis filiam uitiauit, & ex ea Pyrrhum suscepit. Vide suprà Deidamia, & Achilles.

Lycõphron, Chalcidensis fuit poëta tragœdiographus. Is scripsit Alexandram, poëma ualde obscurũ, in quo meminit de uaticinijs Cassandræ, exorsusq; ab Hercule, & rebus Troianis prosequitur usq; ad Alexandrũ Macedonem. De huius morte Ouid. in Ibin:

Vtq;

Vtq; cothurnatum perijsse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.

Alius fuit Perinthi Corinthiorum *regis filius, qui matrem occiderat uiuente adhuc patre.*

Lycoris, *amica fuit* Galli *poëtæ, quam ficto nomine appellauit, cum* Cytheris *uocaretur. Sed postea* M. Antonium *secuta est in* Galliam *proficiscẽtem, spreto poẽta* Gallo *priore amasio: qui sibijpsi tandem amoris impatiens mortem consciuit.* Verg. Eclog. 10.

–Tua cura Lycoris
Perq; niues alium, perq; horrida castra secuta est.

Lycornas, *quem alij* Lycorinam *uocant, fluuius est* Aetoliæ, *flauas arenas uoluens.* Hic *postea* Euenus *ab* Eueno *rege* Aetoliæ, *qui se in illum præcipitauit, appellatus est.* Ouidius *lib.* 2. Metamorph.

Arsurusq; iterum Xanthus, *flauusq;* Lycornas.

Lyctus, *urbs est* Cretæ *sub* Idomenei *imperio, à quo ipse* Lyctius, *id est,* Cretensis *appellatur.*

Lycurgus, Lacedæmonius *princeps, & legislator, de quo uide* Plutarchum & Erasmum *in* Apophtheg. *Alius fuit* Lycurgus *rex* Nemeæ, *ad quem* Hypsiphyle *profuga uenit, eiusq; filium* Opheltẽ *nutriuit. Alius itẽ* Lycurgus *rex* Thraciæ, Dryantis *filius, qui cùm* Bacchũ *contemneret, eius nutrices in* Nysa *urbe latentes persequutus est, ipsumq;* Bacchũ *timentem fugauit in mare: quapropter dijs odiosus factus, oculis priuatus est. Alij dicunt, quòd cum in* Bacchi *contemptionem uites amputare se crederet, sua sibi succiderit crura. Alij dicunt in mare præcipitatum, quòd primus aquã uino miscuisset, & rem haustu synceram plurimis infecisset uenenis.* Verg. *lib.* 3. Aeneid.

Terra

Terra procul uastis colitur Mauortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Lycurgides, *filius Lycurgi, apud Ouidium in Ibin:*
Quiq; Lycurgiden (Ancæum seu Angæũ intelligẽs, quãuis tamen hunc quidam Neptuni & Astypaleæ filium dicant, de quo suprà) lacerarat ab arbore natum,
Idmonáq; audacem, te quoq; rumpat aper.
Quem & idem poëta eodem loco Lycurgum Pentheiden uocat, inquiens:
Qua sua Pentheiden proles est ulta Lycurgum,
Hæc maneat teli te quoq; plaga noui.
Mihi nondũ satis liquet: quamuis Guido quidam Morillonus hunc locũ annotans, dicit, Buthen quendã Lycurgi Thracũ regis filiũ, & Penthei nepotem Bacchi sacerdotes in patris uindictã occidisse: cõtra reliquos omnes authores, qui hunc Lycurgũ Dryantis, non Penthei filium faciunt. Sit tamen cuiq; liberum iudicium.

Lycus, *nomen proprium uiri: quo tamen nomine multi claruerũt. Vnus fuit Troianus, de quo Verg. li. 1. Aene.*
Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci, &c.
Alius fuit Thebanus, ignobilis genere, qui Antiopam Nyctæi regis filiã in uxorẽ duxit, camq; postea à Ioue in satyrum uerso compressam abdicauit, & Dircen superinduxit, quæ eã in carcerẽ coniecit: sed postea deorum commiseratione solutis uinculis aufugit, & in Cytherone monte Amphionem & Zethũ peperit: qui adulti cũ Lyci iniuriã à pastore, à quo nutriti erãt, edocti essẽt, eundem cum uxore Dirce interfecerũt. Alij dicunt eum Mercurij intercessione liberatũ, dum ei mortem pararẽt, & sic postea Amphioni & Zetho regnũ reliquisse.

reliquisse. Rursus sunt, qui dicunt eum ab Hercule redeũte ab inferis, cum Pirithoo occisum, quòd Megaræ coniugi uoluisset uim inferre. Alius fuit Lycus Pandionis filius, à quo Lycia nomẽ sumpsit, cũ Termile appellaretur. Est & fluuij nomen, qui ex Alpibus oriens, Augustam uersus fluit, tandem Danubio miscetur. Est item fluuij nomen in Asia, qui terræ hiatu absorptus alio loco renascitur, tandem in Pontum cadit, ut testatur Ouidius libro 4. de Pont. Eleg. 10.

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusq́ue Hipanisq́ue Cratesq́;
Influit, & crebro uortice tortus Halys, &c.

Lydia, prouincia est Asiæ, quæ flexuosis Mæandri amnis recursibus perfusa super Ioniam procedit: Phrygiæ ab ortu solis uicina, ad septentrionem Mysiæ, meridiana parte Cariã amplectens: à Lydo filio Atys, & Tyrrheni fratre cognominata, cùm antea Mæonia uocaretur. Quippe Lydus huic prouinciæ imperauit, cum Tyrrhenus frater ob sterilitatem famemq́; à patre in aliam terrã abire iussus fuerit. In ea est Tmolus mons & Pactolus fluuius, aureas arenas habens. Lydi, dicuntur populi. Inde adiectiua Lydus, & Lydius, a, um, id est, ad Lydiam pertinens. Porrò hæc dictio primam indifferentem habet. Ouid. lib. 6. Metam.

Aequa uiro fuerat, Lydias tamẽ illa per urbes, &c.

Idem in eodem loco:

Lydia tota fremit, Phrygiæq́; per oppida facti
Rumor ijt, &c.

Lynceus, quem Ouidius alio nomine Linum appellat, filius fuit Aegypti, & solus ex 50. fratribus misericordia Hypermestræ coniugis euasit mortem: qui postea expulso,

expulso, uel etiã occiso Danao, regnauit apud Argos.

Lynceus, *alius, fuit* Apharei *filius, unus ex* Argonautis, *tantæ acuitatis in uidendo, ut etiam nouissimam Lunã, primamq́; eodem die in signo Arietis cõspexerit, quod paucis mortalium contigit.* Vnde Horat.

–Solus nubila Lynceus, &c.

Lyncus, *ut habet* Ouid. Lynceus, *ut alij:* Lynx, *ut rursus alij, rex fuit Scytharum, ad quem cũ* Triptolemus *curru, quẽ ipsi Ceres dono dederat, alatis draconibus uectus peruenisset, ab eodẽ hospitio susceptus est: cũq́; nomen, patriam, uiæq́; causam indicasset,* Lycus *eiusdem gloriæ inuidens, noctu hospitem suum obtruncare adortus est. Quare indignata Ceres, Lyncum in Lyncem commutauit.* Ouid. *lib. 5.* Metamorph.

Rex ibi Lyncus erat, regis subit ille penates.

Lyncestius, *fluuius est, cuius aqua pota non minus ebrietatem inducit, quàm si quis uino se ingurgitasset.* Ouid. *lib. 15.* Metamorph.

Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis, &c.

Lymnides, *nymphæ sunt florum & pratorum, quas aliquando mori & deficere dicit Aristoteles, sicut Panes Fauniq́; faciunt.*

Lyndus, *ciuitas est* Rhodi, *ubi sacra Herculis maledictis & execrationibus celebrabãtur.* Lyndij, *incolæ appellati sunt. Fuit & altera Lyndus in Dorica regione.*

Lyrnessus, *oppidum fuit Phrygiæ ab Achille euersum, cum Priamo bellum ob Helenam à Paride filio raptam inferretur, ex quo Briseida quoq; rapuit occiso Minete eiusdẽ oppidi principe: quæ inde* Lyrnesis *ab* Ouid. *lib. 4.* Trist. *appellatur.*

Fertur & abducta Lyrneßide tristis Achilles.

Lyris,

Lyris, *fluuius est Campaniæ, ex Apenninis montibus oriens, urbem Mynturnensium interfluit, item lucũ eiusdem urbis, quem incolæ religiosissimè colebant. Mart.*

Cæruleus nos Lyris amat, quem sylua Maricæ
Protegit, &c.

Lysander, *Lacedæmonius dux clarus, sed admodum factiosus: fertur enim odium totius Græciæ in Lacedæmonios concitasse. Athenienses per deditionem subegit, Thebanosq́; aggressus apud Haliartũ oppidũ à Nec-choro interfectus est.*

Lysidice, *filia fuit Pelopis & Hippodamiæ, Pitthei soror, quæ Electrioni nupsit, & ex eo Alcmenam Herculis matrẽ peperit, ut inquit Plutarchus. Alij uerò, inter quos est Comment. Homeri, matrẽ Alcmenes nõ Lysidicen Pelopis, sed Anaxò Ancæi cuiusdã filiã dicũt.*

Lysippe, *filia fuit Prœti, quæ cùm cæteris sororibus à Iunone in uaccam mutata est. Vide suprà* Iphianassa.

Lysippus, *Sicyonius sculptor fuit clarissimus, à quo solo Alexander Magnus fingi uoluit, quemadmodum pingi à solo Apelle. Horatius:*

Edictoq́; cauit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra.

DE LITERA M.

M A.

MAcareus, *filius fuit Aeoli, qui cum sorore Canace concubuit, & ex ea filium suscepit. cumq́; infans à nutrice exponendus efferretur, seipsum uagitu prodidit. quare indignatus Aeolus, gladium filiæ misit, quo in ultionem tanti sceleris seipsam interficeret. Macareus uerò aufugit, & ut quidam uolunt, factus est sacerdos Apollinis Delphici. Ouid. lib. 13.*

Vecte Peletronius Macareus in pectus adacto,&c.
Vide Canace.

Machaon, *filius fuit Aesculapij & Arsinoës, alij Coronidis, alij Hesiones filiæ Meropis, alij Xāthiones dicūt. Podalyrij frater, & medicus insignis, qui etiam cum reliquis Græciæ principibus Troiam uenit. Tandem ab Eurypylo occisus. Verg. lib. 2. Aeneid.*

Pelidesq; Neoptolemus, primusq; Machaon.

Macra, *fluuius uadosus & præceps Italiæ, per Ligurum montes iuxta Lunam urbem Hetruriæ in mare Tyrrhenum effluens. Lucan. lib. 2.*

—Nullasq; uado qui Macra moratus
Alnos, &c.

Macedonia, *maxima regio est Europæ, ab ortu habens Thraciæ limitē, ab Occasu Ionium pelagus, à Meridie Epirum, & à Septentrione Dalmatiæ partē. Insunt illi Thessalia, Magnesia, Doris, Locris, Phocis, Bœotis, Attis, Megaris. Primùm dicta fuit Emathia, ab Emathio Camesis filio: deinde cùm Macedo Osiridis filius regnare cœpisset, regio ab eo* Macedonia *denominata est.* Macedonicus, *a, um, ad Macedoniam pertinens: &* Macedo, *qui eandem regionem incolit. Lucan.*

Cum tibi sacrato Macedo seruetur in antro.

Mæander, *fluuius est Phrygiæ, qui ex arce Celenarum eiusdem regionis oppido oritur, & per ciuitatē fluens, Lydiam à Caria disterminat, tandem in sinu maris, qui inter Pyrenen & Miletum est, cadit. Fluuius adeò flexuosus, ut in fontem reuerti uideatur: unde omnes obliquitates ueteres, Mæandros appellarunt. Ouid. lib. 8.*

Non secus ac liquidis Phrygius Mæander in undis
Ludit, & ambiguo lapsu refluitq; fluitq;.

Hunc poëtæ fingunt Oceani & Terræ filium, eumq́; Cyaneen nymphã genuisse, quam postea Miletus Solis filius oppreßit, & ex ea Caunũ & Biblidem suscepit. Vide suprà.

Mædia, *per æ diphthongum, ciuitas est Thraciæ. à qua* Mædi, *ipsius urbis ciues.* Media, *autẽ regio est Asiæ, de quibus infrà.*

Mænades, *apud Græcos dicuntur mulieres, & Bacchi sacrificulæ, à Græco* μαίνομαι, *id est, insanio. Hæ paßis capillis instar furẽtium celebrabant Bacchi sacrificia. Iuuenal.*

–Crinemq́; rotant ululante Priapo
Mænades, &c.

Mænalus, *altißimus mons est Arcadiæ, adeo ut eius cacumen astris insertũ uideatur, teste Statio lib. 9. Abundat etiam pinu arbore: unde Verg. Eclog. 10.*

Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Mænalus, &c.

In plurali neutrum est hoc nomen. Lucan. lib. 3.

–Tunc Mænala linquit Arcas, &c.

Mænalius, *id est, Arcadicus: &* Mænalis *ursa apud Ouidium lib. 3. Trist. Eleg. 11.*

Mæonia, *regio minoris Asiæ, alio nomine Lydia. à qua fit* Mæonius, *a, um. &* Mæonides *dictus est Homerus, quòd inde originem traxerit, ut quorundam fuit opinio. Verg. lib. 8.*

–O Mæoniæ delecta iuuentus, Flos ueterum, &c.

Mæotis, Μαιῶτις, *palus est Scythiæ, prope Phasidis ostium, recipiens Tanaim, aliosq́; fluuios, tandem in Pontum effluit. Hinc fit* Mæoticus, *a, um. Verg. lib. 6.*

Responsis horrent diuûm, & Mæotica tellus, &c.

Ouidius

Ouidius uerò lib.3. Trist. Eleg.12. primam corripuit:
—Annoq́; peracto
Longior antiquis uisa Mæotis hyems.

Magnesia, regio Macedoniæ prope Thessaliam, cuius populi Magnesij dicuntur. Est etiam Magnesia, Asiæ urbs, ad Mæandrum sita, iuxta quam Scipio Asiaticus Antiochum maxima clade affecit.

Maia, filia fuit Atlantis ex Pleione nympha, quæ cum Ioue concumbens ex eo Mercurium peperit. Hanc quidam tradunt Vulcano nupsisse. Verg. libro 8.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum uertice fudit, &c.

Malea, media indifferenti, promontorium est Laconiæ, quinquaginta millibus passuum in mare protēsum, iuxta quod fuit olim periculosa nauigatio. Nomen sumpsit ab Argiuorū rege Maleo, qui in eo tēplum Apollini construxit, quod Maleoticum nominauit. Verg.
Ionioq́; mari, Maleæq́; sequacibus undis. Ouid.
Nec timeam uestros curua Malea sinus.

Maliea, urbs fuit Thessaliæ, à qua populi Máliees dicti, & mare uicinum Maliacum.

Mamurrius, faber fuit ærarius, qui ancylia fabricauit Saliorum, qui propterea nomen eius solebant canere suis carminibus. Propert.
At tibi Mamurri formæ cælator ahenæ, &c.

Manto, filia Tirrhesiæ uatis, quæ Delphos missa est ab Epigonis, unde postea in Asiam cū Rhatio quodā, cui etiam nupsisse dicitur, peruenit, templumq́; Apollinis Clarij & oraculum instituit. Vide infrà de Tirrhesia. Vergilius libro decimo tradit eam ex Tyberi amne Ocnum filium suscepisse, qui Mantuam condidit, & à se

nominauit. Aeneæ præterea in auxilium uenit contra Turnum.

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs, & Thusci filius amnis,
Qui muros, matrisq́; dedit tibi Mantua nomen.

Mantua, *ciuitas est Galliæ Cisalpinæ, ab Ocno Mantûs filio condita, ut in præcedentibus liquet.* Mantuanus, *aliquis ex Mantua.*

Marâthon, *campus est Atticæ prouinciæ, à Marathone heroë dictus: in quo Miltiades copias omnes, quæ Persarum ducem sequutæ fuerant, non expectatis Lacedæmoniorum auxilijs, quæ tardius ob plenilunium uenerãt, funditus deleuit. Ab eo quoq; Taurus* Marathonius *dicitur, quẽ Theseus ab Eurystheo immissũ occidit.* Marathon *quoq; oppidi nomẽ est iuxta Tricorythũ, & Rhamnunta urbes. Inde* Marathonius, *a, um, &* Marathonis, *idos.*

Marcomâni, *populi fuerunt Germaniæ interioris, Rhenum bellandi causa transgressi: hos Cæsar cum Ariouisto eorum rege superauit. Stat.*

Quæ modo Marcomanos post horrida bella, uagosq́; Sauromatas, &c.

Mareôtis, *idis, palus est Aegypti. & Mareotis pars est Lybiæ Aegypto cõtermina.* Mareotæ, *populi qui eam habitant. Est etiam Mareotis Epiri pars, in qua nascitur optimum uinum. Vnde* Mareotides *uuæ dicũtur. Verg. —Sunt & Mareotides albæ.*

Mareoticus, *a, um, ad hæc loca pertinens.*

Marica, *nympha littoris Minturnẽsium iuxta Lyrim amnẽ, ex qua, ut inquit Maro lib. 7. Faunus Latinũ regẽ suscepit, eamq́; ille Laurẽtem, pro Minturnẽsi poëtica licentia*

licentia posuit, ut Seruius annotat. Quidã uerò per Marica Venerẽ intelligũt, cui ibidẽ sacellũ fuiße perhibẽt.

C. Marius, Romanus nobilis & Syllæ inimicus acerrimus, qui post exilium urbe potitus ad cædem principũ animum cõuertit. Octauij consulis caput exposuit pro rostris. Antonij caput item mensis apposuit. Cæsarem & Fimbriam in suis ædibus trucidauit, multosq; alios principes. Tandem Sylla ex Asia reuocatus Marium fugauit, qui in paludibus Minturnensium delituit: sed inuentus & in carcerem coniectus, percussorem Gallũ solo uultus maiestate terruit: liberq; factus, accepta nauicula in Aphricam traiecit, ubi aliquandiu exulauit. Mox Cinnana dominatiòne reuocatus, septimùm consul factus est, in quo consulatu natus annos 73. morbo, uel ut alij uolunt, uoluntaria morte deceßit. Luca. li. 4.

Sylla potens Mariusq; ferox, &c.

Vide Plutarchum in uita Marij.

Marmarica, regio est Aphricæ, à qua fit Marmaricus, a, um, id est, Libycus. Sidon.

–Marmaricus quem uertice continet Atlas.

Marmaridæ, dicuntur populi.

Marpesus, mons est lapideus in Paro insula, à quo fit Marpesius, a, um. Verg. lib. 6.

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Marpissa, filia fuit Eueni Martis filij, quam Idas Aphareifilius rapuit. uide in dictione Idas.

Marrubij, populi fuerunt Italiæ, circa Fucinum lacum habitantes: sic dicti uel à rege Marrubio, uel quòd circa mare habitent. Vergilius:

Quin & Marrubia uenit de gente sacerdos.

Mars, quem Osci Mamertem uocant, deus belli, Iouis

& Iunonis filius, uel ut Ouidius fabulatur, solius Iunonis. Cùm enim olim Iuno turbata, eò quòd animaduertisset Iouem maritum percusso capite sine muliere procreasse Mineruam, uersus Oceanum profecta esset, ut scrutaretur, quo pacto & ipsa sine uiro parere posset: & in itinere fatigata secus fores Floræ deæ coniugis Zephyri consedisset, interrogata ab ea fertur, quam ob causam ad Oceanum pergeret: qua cognita, facturam se uoti compotem deam pollicita est, si id Iuno Iouem celaret. Quod cum Iuno iureiurando affirmasset, mox illam Flora monuit, in campis Olenijs florem esse, quo tacto statim conciperet sine uiro: id experta Iuno concepit, & peperit filium, quem Martem nominauit. Hunc ferunt postea cum Venere concubuisse, eosq; Vulcani fallacijs iam obscœnè iacentes cathena inuisibili ligatos, omniū deorum risui expositos fuisse: tandem Neptuno intercedente à Vulcano solutos esse. Sororem habet Bellonam belli deam. Sacrum ei fecerunt lupum & picum. Salios habuit sacerdotes, de quibus infrà. Ponitur sæpißimè pro ipso bello μετονυμικῶς. Verg. lib. 10.

Nunc insanus amor duri me Martis in armis, &c.

Hinc Martius, a, um, id est, bellicosus.

Marsi, populi Italiæ ultra Picenum Samnites uersus: à Marso Circes filio, à quo originem duxerunt, appellati. Marsia, illorum regio. Inde Marsicus, a, um. Sunt & Marsi populi in Scythia, ut tradit Herodotus.

Marsya, siue Marsyas, tibicen fuit insignis, ex Celenis oppido Phrygiæ. Ouidius tamen Satyrum fuisse autor est, qui tibijs à Minerua inuentis ausus fuit Apollinem ad certamē prouocare, à quo uictus & excoriatus est: ex cuius corpore tantum defluxit sanguinis, ut à terra

absorptus in fluuium Marsyam, qui in Phrygia est, fuerit commutatus. Ouid. lib. 6. Metam.

Marsya nomen habet Phrygiæ liquidißimus amnis.

Maßicus, *in singul.* Maßica, *orum, in plurali, mons est Campaniæ, optimi uini feracißimus. Verg. lib. 7.*

–Vertunt felicia Baccho

Maßica qui rastris, &c.

Maſſagetæ, *populi sunt Scythiæ, qui per deserta discurrunt, & equorum suorum sanguinem cum lacte bibūt, quemadmodum & Bisaltæ populi. Senio confectos in frusta cōsecant, morbo percuntes feris obijciunt. Vxores habent cōmunes, cum quibus etiam in publico coire non uerentur. Solem præcipuè uenerantur, cui & equum immolant: cæteros deos habent neglectui. Stat. in Achilleid.*

Lactea Maßagetæ ueluti qui pocula fuscant

Sanguine puniceo, &c.

Maſaniſſa, & Maſiniſſa *(utrunq; enim legitur) rex fuit Numidarum, & populo Romano amicißimus. Ouidius libro 6. Fastorum:*

Postera lux melior superat Masinissa Siphacem.

Maſilia, *urbs est Galliæ Narbonensis, quam Phocenses cōdiderunt. ab ea fit* Maſsilienſis, & Maſsilitanus, & Maſsilioticum *ostium. Martial.*

Tu me Maßiliæ ponere uina iubes.

Maſſylia, *penul. prod. per y, quamuis Græci simplici scribunt, regio, ut alij uolunt, oppidum est Lybiæ Mauris uicinum, nec longè abest ab hortis Hesperidū. Hæc gens neq; ephippijs utitur, nec frenis, sed sola uirga contenti sunt, qua agitent equos, & moderentur. Ab hac fit* Maſſylus, & Maſsylius, *a, um. Lucan. lib. 4.*

Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso,
Ora leui flectit frenorum nescia uirga.

Et Vergilius lib. 4. Hic mihi Massylæ gentis, &c.

Matinus, *mons est Apuliæ buxis abundans.* Matini, *dicuntur populi circa eum habitantes. Lucan. lib. 9.*

—Et arua
Vulturis, & calidi lucent buxeta Matini.

Matuta, *dicitur Latinis Aurora, quam Græci Leucotheam quoq; dicunt. à qua fit* Matutinus.

Mauors, *dictus est Mars per Epenthesim. Ouid.*

Sic ego, sic posita dixit mihi caßide Mauors.

Hinc fit Mauortius, *a, um, &c.*

Mauritania, *regio est Aphricæ extrema, uersus Gaditanum fretũ, & occidẽtalem occasum: in qua Anthæus gigas regnasse fertur, quẽ Hercules occidit. Duplex est, Cæsariensis à Cæsarea, & Tingitana à Tingi. Dicti à* μαυρὸν, *quod nigrum sonat, quòd nigros homines, ob solis ardorem producat.* Mauri, *dicuntur eiusdem populi: &* Mauritanus, *a, um, adiectiuũ. Lucan. li. 3.*

Quicquid ab occiduis Libyæ patet arida Mauris.

Maurusij, *dicuntur Græcè Mauritani, hinc adiect.* Maurusius, *a, um. Verg. lib. 4. Aeneid.*

—Cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris, &c.

Maurusiacus, *a, um, apud Martialem lib. 12.*

Mausolus, *rex Cariæ, cui Artemisia fuit uxor, à qua adeò dilectũ ferunt, ut illo mortuo luctu ac desiderio flagrans, ossa ac cinerem eius odoribus mista cõtusaq; in aqua ebiberit. sepulchrũ præterea ædificarit sumptuosißimũ, & toto orbe celeberrimũ, quod* Mausolēum *appellauit. Et quoniã tam egregijs operibus cõstructũ erat,*

erat, inter ſeptem orbis miracula cõnumerarunt. Mart.

Aëre nec uacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.

M E.

Mecœnas, *oriundus à regibus Hetruriæ, ſcripſit tragœdias, & alia uarij generis poëmata. Gratiſsimus fuit Octauio & omnibus poëtis, quos etiam ſemper maximis beneficijs proſequutus eſt: unde factum eſt, ut omnes bonarum artium fautores Mecœnates uocentur. Horat. libro 1. Carm.*

Priſco ſi credis Mecœnas docte Cratino, &c.

Medea, *filia fuit Aeetæ ex Ipſea, uel ut alij, Idya cõiuge, quæ Iaſonem Colchos cum reliquis Argonautis profectum hoſpitio ſuſcepit: cumq; eius amore flagraret, uereretur q; ne incolumis rediret, utpote quæ pericula noſceret, habita ſui cõiugij ratione, docuit ipſum, qua ratione æripedes tauros domare & iugo ſubmittere, draconẽq; peruigilẽ ſopire, & deinde occidere, eiusq; dentes ſulcis immittere, & uellus aureum rapere poſſet. Quo peracto cum eodem fugam arripuit, tracto ſecum fugæ comite Abſyrtho paruulo fratre. Quos cum pater perſequeretur, neq; quiſquam inſequentem remorari poſſet, Medea fratrem Abſyrthum occidit, & articulatim diſcerptum paſsim per agros diſiecit, atq; ſic dum pater filij membra colligeret, illa cum raptore aufugit. Tandem poſt longos errores in Theſſaliam cum Iaſone peruenit, ubi eiuſdẽ precibus Aeſonem patrem annoſitate decrepitum in robuſtiorem ætatem retraxit. cumq; Iaſoni duos filios peperiſſet, in Peliæ mortẽ ſuas filias armauit. Poſtremò ab ipſo Iaſone repudiata eſt, qui aliã uxorem, Creuſam uidelicet Creontis Corinthi*

orum regis filiam duxerat. Quod Medea ægerrimè ferens, ignē in scriniolo muneris loco Creusæ misit, quo ipsa cum tota regia exusta est: ut superius auditum est. Quo tam impio facinore Iason iratus, suppliciū de ea sumpturus irruit. Medea uero arreptis filijs, quos ex ipso susceperat, ipsos in patris cōspectu iugulauit: maleficijsq; sublata Athenas uenit, ubi Aegeo iam senescenti nupsit, pepericq; filium, quē de suo nomine Medum appellauit. Tandem nescio quo pacto Iasoni conciliata, cū eo Colchos redijt, patremq; senem & exulem Iasonis uiribus in regnum reduxit. Alij uerò referunt, eam non Iasoni reconciliatam, sed post susceptum ex Aegeo Medum filium, Cerberi spuma potasse Theseū priuignum, ac demum nubes carminibus excitasse, ijsq; cum Medo filio inuolutam in eam Asiæ partē, quæ hodie Media dicitur, peruolasse. Horat.

Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Media, *quidam tamen primam per œ, diphthongon scribūt, regio est in Asia, Persiæ, mariq; Hyrcano cōtermina. Dicta à Medo Medeæ filio. Ab ea fit* Medus, *et* Medicus, *a, um, id est, aliquis ex Media. Verg. li. 4. Georg.*

Lydia, nec populi Parthorū, aut Medus Hydaspes
Obseruant, &c. Lucan. lib. 2.

—Achemenijs decurrant Medica Susis Agmina:

Medūsa, *filia fuit Phorci, quæ cum mulierū esset formosissima, habuit inter alia sui decoris spectabilia, crines proximè ad auri colorem accedentes, quorū splendore captus Neptunus, in Mineruæ templo cum ea concubuit, ex quo cōcubitu postea natus est Pegasus equus. Quam iniuriā Minerua graui & iniquo animo ferens Medusæ crines, quibus maximè amatori suo placuerat,*

rat, in angues mutauit: fecitq; ut omnes eam aspicientes in lapides uerterentur. Quamobrem cum nemo tam immane monstrum intueri posset, Perseus Iouis & Danaês filius, Mercurij talaribus, et falcato ense accepto, Palladis item scuto, ut æris repercussu effigiem eius uidere impunè posset, ex improuiso, cum ipsa anguesq; sopiti essent, adortus, uno ualidissimo ictu peremit, & in patriam rediens cum eiusdem caput secum deferret, contigit ut guttæ sanguinis decidentes per solitudines Aphricæ, mutarentur in serpentes. Vide Lucan. lib. 9.

Squallebant latè Phorcinidos arua Medusæ.

Inde Medusæus, a, um.

Megara, filia fuit Creontis Thebanorum regis, quā Herculi in uxorem dedit, quòd Erginum Orchomeni regē interfecisset, urbemq; incensa regia euertisset, eò quòd tributa quotannis à Thebanis exigeret. Est & Megara ciuitatis nomen in Megaride Græciæ regione, ex qua fuit Euclides geometrarum princeps. Alia item in Sicilia prope Syracusas.

Hinc fit Megarensis, & Megarus, a, um. Vergilius:

Panthagiæ, Megarosq; sinus, Thasumq; iacētē, etc.

Megareus, filius fuit Onchesti, & pater Hippomenis. à quo fit Megareius, a, um. Ouidius libro 10. sub persona Hippomenis:

Namq; mihi genitor Megareus, Onchestus at illi:
Est Neptunus auus, pronepos ego regis aquarum.

Megera, una est Furiarum, quas poëtæ Acherontis & Noctis filias faciunt. Verg. lib. 12.

Quas & tartarea nox intempesta Megeram
Vno eodem tulit partu, &c.

Vide suprà Diræ, item Furiæ.

Melampus,

Melampus, *filius fuit Amythaonis & Dorippes, Biantis frater. Nomen autē accepisse fertur, eò quòd mater infantē exposuerat toto corpore tectum, præterquàm pedibus, qui à sole atro colore attracto, nomini causam dederunt. Augurio claruit. Biantem item iuuit in auferendis bobus Iphiclo, quas ille Neleo restituit, accepta eiusdem filia Pero nomine in uxorē. Filias quoq; Prœti furijs agitatas sanitati mentis restituit, quarum unam, Iphianassam uidelicet, in coniugem accepit, ut superius traditum est. Vergil. lib. 3. Georg.*

Phyllirides Chiron, Amythaoniusq; Melāpus, &c.

Melantho, *filia fuit Protei senis, cui consuetudo fuit positis uestibus dorso delphinum insidere, atq; sic per maria patris uagari. Quum autem esset formosa, Neptunus eius pulchritudine captus, in delphinē se transformauit, atq; illi applaudēs eā in cōsessum sui traxit, & transportatam etiam uiolauit: ex quo postea genuit Amycū, ut Theodorus asserit. sed aliter sentit Seruius, qui hunc Neptuni & Melites filium facit. Vide suprà.*

Melanyon, Μελανίων, *dictus est Hippomenes, eò quòd pomis certamē cōfecerit. Quamuis corrupte apud Propertium Mimaliō, pro Melanyon legatur, cùm inquit:*

Mimalion nullos fugiendo Tulle labores
Sæuitiam duræ contudit Iasidos, &c.

Melas, *fluuius est Bœotiæ, oriens sub Orchomeniorū urbe, unus omnium fluuiorū Græciæ ab ipso fonte nauigabilis, atq; circa solstitium æstiuum, ut Nilus, stata accipiens incrementa, nec longius excurrit, sed in lacus & cuniculos delapsus modica sui parte Cephiso infunditur. Stat. libro 7.*

Palladiusq; Melas Hecatæaq; gurgite nutrit.

Sunt & alij huius nominis fluuij.

Meleager, siue Meleagrus, filius fuit Oenei, regis Calydoniæ, & Altheæ, in cuius natiuitate mater tres Parcas uidit circa ignem, cui stipitem quendam imposuerunt, dicentes:

Ô nunc nate erit æqua tibi cum stipite uita.

Quod audiens mater, discedentibus illis, stipitem igni subtraxit, eumq́;, ne combureretur, diligentissimè conseruauit. Quum igitur esset iam ætate adultus, cõtigit, ut pater eius ex susceptis frugibus omnibus dijs sacrificaret, præter solam Dianam. Quapropter dea irata, aprum immisit omnes Aetoliæ agros deuastantem. Ad hunc igitur cõficiendũ, Meleager iuuenes conuocauit insigniores: inter quos uenit & Atalanta, Schœnei filia: quam quum Meleager uidisset, continuò eius amore exarsit. Porrò quum in uenatione omnes in aprũ irruerent, hæc omnium prima illum iaculo transfixit. Occiso igitur apro, Meleager, uenationis princeps, caput apri (cui quidam pellem addunt) Atalantæ transmisit. Quod ægrè ferentes Plexippus & Toxeus, Altheæ fratres, Atalantæ caput auferre conati sunt. Quamobrẽ Meleager iratus eos obtruncauit, duxitq́; Atalantam in uxorem, quæ ei Parthenopeum peperit. Althea autẽ cùm audisset fratrum suorũ cædẽ, indignata, ut eãdẽ ulcisceretur, fatalẽ stipitẽ igni imposuit, quo cõsumpto & ipse Meleager occubuit. Oui. li. 8. Meta.

Huius opẽ Calydon, quãuis Meleagrõ haberet, etc.

Melesigenes, proprium nomen Homeri poëtæ, sumptũ à Melite fluuio Smyrnæ propinquo, iuxta quem natus esse dicitur. Postea Homerus appellatus. Vide suprà.

Meliboea, urbs est Thessaliæ, nobilitata purpura, quæ illic

illic inficiebatur. Vergilius *lib.5.* Aeneid.

Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Vbi Melibœa pro Melibœensi positum est.

Melicerta, *filius fuit Athamantis, & Inûs, quem mater secum de Scyronia rupe præcipitauit. postea uerò mutatus est in deum marinum, dictusq; Palæmon. Vide suprà de* Athamante, *item* Ino. *Vergilius libro quarto* Georgicorum:

Et Glauco, & Panopæ, atq; Inoo Melicertæ.

Melissa, *filia Melißi Cretensium regis, quæ cum Amalthea sorore Iouem infantem in Ida monte caprino lacte & melle nutriuisse fertur. Tandem à Ioue in apem mutata est.*

Melissus, *rex fuit Cretensium antiquißimus, qui primus dijs sacrificauit, habuitq; duas filias, Amaltheam & Melissam, quæ Iouem nutriuerunt.*

Melite, *insula est inter Siciliam & Aphricam sita.* Ouid. *lib.3.* Fastorum:

Fertilis est Melite, sterili uicina Casyræ,
Insula, quam Libyci uerberat unda freti.

Meliteus, *a, um, ut Melitei canes, qui olim Romanis in delitijs erant.*

Melpomene, *una est Musarum, tragœdiarū inuentrix, à modulando nomē trahens.* Verg. *de Musarū inuētis.*

Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.

Vide infrà de Musis.

Memphis, *Aegyptiorū regia est, ab Ogdoo rege iuxta Nilum ædificata, cui eiusdem filia Memphis nomen dedit, cum qua Nilus sub tauri imagine cōcubuit. Hinc* Memphitis, *idos, &* Mēphiticus, *deducūtur.* Mart.

Dat chartis agiles calamos Memphitica tellus, etc.

Memnon,

Memnon, *filius fuit Titoni ex Aurora susceptus, qui cũ maxima Orientalium populorum copia in auxilum ue nit Priamo: & in pugna ab Achille occisus est: qui quũ in rogo cremaretur, precibus Auroræ in auem muta=tus est: ex eademq; pyra multæ aliæ aues euolarũt, quas* Memnonias *uocarunt. Has ferunt quotannis ex Ae=thiopia ad Memnonis sepulchrum, quod est iuxta Iliũ, uolare. Vergil. lib. 1. Aeneid.*

Eoasq; acies, & nigri Memnonis arma, &c.

Menalippe, *regina fuit Amazonum, quam Hercules ce pit, postea uerò Antiopæ sorori restituit.*

Menalippus, *Thebanus quidam fuit, qui Tydeum in pu gna apud Thebas letaliter uulnerauit. Quũ igitur Ty=deus mortem appropinquare uideret, adeo impatien=ter tulit, ut ferè in rabiẽ uersus, socios iußerit, ut uulne=ratoris caput ad se deferrent. Qui postquam illud multo sanguine fuso obtinuissent, ad dominum suum detulerunt: qui eo uiso mordicus arripuit, ac ceruici nõ aliter ac canis rabidus dentes infixit: quumq; illam be=stiali ritu deuoraret, occubuit. Alius fuit Menalip=pus, Oenei filius, Tydei frater, à quo imprudenter in syluis inter uenandum occisus est.*

Menander, *Atheniensis fuit comœdiographus, qui ma=ximè mulierum amore flagrasse dicitur. Scripsit fabu=las 88. quarum aliquot Terentius uertit: item epistolã unam ad Ptolemæum regem. Porrò tanto fuit in pre=cio, ut etiã inuitatus sit à regibus Aegypti, oblatis ma=gnis honoribus & diuitijs. Ouidius libro 2. Tristium:*

Fabula iucundi nulla est sine amore Menandri, &c.

Menelaus, *filius fuit Atrei & Aeropes, ut Homerus tra dit: Plysthenis uerò, ut Hesiodus, & frater Agamemno nis,*

nis,rex Spartæ,qui Helenam Iouis & Ledæ filiam,in uxorē habuit:quam cùm Paris,Priami filius,eo absente rapuisset,legatos ad Paridē misit, qui illam repeterent.sed quū reddere nollet,omnes totius Græciæ principes ad bellū conuocauit:qui collecto maximo exercitu, ad unum omnes sub Agamemnone rege in excidiū Troianū coniurarunt.Quumq; iam tota Phrygia,atq; Mysia deuastata,ad Ilium Priami regiam peruenissent, decennali bello illud oppugnarunt:tandem fraude magis quàm uiribus expugnauerunt,atq; sic egregiam suam coniugem recepit, conscensaq; naui post octauum annum domum rediit.Tantæ molis erat infame reducere scortum. Verg.lib.2.Aeneid.

Et Menelaus,& ipse doli fabricator Epeus.

Menetes,seu Mynetes,princeps fuit in Lyrnesso oppido,& maritus Astynomes,Chrysæ filiæ, ab Achille occisus. Vide suprà Chryseis,item Astynome. Ouid. libro 12. –Hastam

Misit in aduersum Lycia de plebe Meneten.

Menœtius,filius fuit Actoris ex Aegina,quam uitiatam Iupiter illi in coniugem dederat.Hic postea relicta Aegina matre,in Opuntem in Locros se cōtulit,ibiq; Patroclū ex Stenele uxore suscepit,qui ab eo Menœtiades appellatur.Ouid.in Epist.Penelop.

Siue Menœtiaden falsis cecidisse sub armis,&c.

Mera,Prœti & Antiæ filia, quæ uenationi dedita,cū Dianam per nemora sequeretur, à Ioue uisa & dilecta est: qui sumpta Dianæ figura,cum ea concubuit.Quapropter quum postea ob patrati sceleris pudorem, timens ne denuo deciperetur, uocanti eam Dianæ obsequi nollet,ab eadem sagittis confossa,occubuit.Tandem in canem

nem est mutata. Ouid.lib.7.Metamor.

Et quos Mera nouo latratu terruit agros.

Est etiam alterius canis nomen, de qua suprà in dictione Erigones.

Mercurius, *Iouis & Maiæ filius, nuncius & interpres deorum: in pedibus habet talaria, galerum in capite, in manu uirgam, qua, Vergilio teste, alias animarũ Orco euocat, alias in tartara mittit, uentos concitat, tranatq; nubila. Deus est eloquentiæ, item mercatorum, & furum. Colebatur maximè in Arcadia, in cuius monte Cyllene progenitus fuit. Verg.lib.4.Aeneid.*

Tunc sic Mercurium alloquitur, ac talia mãdat, &c.

Meröë, *insula Nili apud Aethiopes, in qua est ciuitas eiusdem nominis, condita à Cambyse, & à matris nomine ita uocitata. In hac fuerunt mulieres grandibus mammis. Vnde Iuuenalis:*

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë crasso maiorem infante mamillam? &c.

Merŏpe, *filia fuit Atlantis & Pleiones, quæ Sisypho Corinthiorum regi nupsit. Ouid.*

Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit.
Pœnitet, & facti sola pudore latet.

Messana, *Siciliæ urbs, Pelori propinqua, à Messenijs Græcis condita. Postea cùm Mamertini natio Cãpana eò colonos misissent, ipsi quoq; Mamertini potius, quàm Messanenses sunt uocati. Silius lib.15.*

Incumbens Messana freto niuibusq; reuulsa, &c.

Eius quoq; ager feracissimus est uini, quod Mamertinum appellatur. Martialis:

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, &c.

Messenia, *regio est* Peloponesi, *in qua est ciuitas* Messenæ: *cuius incolæ* Messenij *dicuntur.* Ouid. lib. 12.

Ille tuus genitor Messenia mœnia quondam
Strauit, &c.

Mesapus, *filius fuit* Neptuni, *qui neq; ferro uulnerari, neq; igne corrũpi potuit, ut testatur* Verg. lib. 7. Aene.

At Mesapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro.

Hic, ut idẽ ait, Turno aduersus Aeneam suppetias tulit.

Mesopotamia, *regio est orientalis, inter Tigrim & Euphratem fluuios, unde & nomen habet:* μέσος *enim Græcis medius est,* ποταμὸς *fluuius. Ab oriẽte habet Tigrim, ab occasu Euphratem, à meridie Babyloniam, à Septẽtrione Caucasum.*

Metaurus, *fluuius est* Vmbriæ *in* Flaminiam *decurrens, iuxta quem Claudius Nero consul cum Salinatore Asdrubalem Hannibalis fratrem superauit, atq; occidit. Lucanus lib. 2.*

In læuum cecidere latus, ueloxq; Metaurus,
Crustumiumq; rapax.

Metapontum, *oppidum est Italiæ, in sinu Tarentino, à Locrensibus conditum, à quo dicuntur* Metapontini, *eiusdem ciues.*

Methymne, *oppidum est in Lesbo insula, ferax optimi uini. ex hac etiam oriundus fuit Arion cytharœdus clarißimus. Sil. lib. 7.*

Ac Methymna ferax Latijs ceßere Falernis.

Inde Methymneus, *a, um.*

Methõne, *ciuitas est littoralis Peloponesi, in Magnesia regione, quam cum obsideret Philippus rex Macedonum, Alexandri Magni pater, oculum amisit, ictu sagittæ,*

gittæ, quam iecerat Aster oppidanus: cui quoq; inscriptum erat, Aster telum Philippo immisit in oculum. Valerius Flaccus libro primo:

Neleidesq; Periclymenus, quē parua Methone, etc.

Metra, *filia fuit Erisichthonis, quam pater consumptis omnibus rebus uendidit. Vide Ouid. lib. 8. Metam. item suprà de* Erisichthone.

Metius Suffetius, *Albanorum dux tempore Tulli regis* Romanorum, *à quibus in auxilium contra Fidenates uocatus, iure societatis uenit quidē, sed in ipso prælio ad hostes defecit. Quod Tullus cernens, maxima uoce militibus suis dixit, Ne trepidetis, meo consilio factum est, ut factiosè Metius Suffetius ad hostes trāsiret. Quo consilio & suis animum reddidit, & effecit ne hostes crederent Metio. quem idem Tullus postea hoste deuicto religauit ad binas quadrigas, ita ut ab unis traherentur manus, ab alteris pedes: quibus postea agitatis ipsum crudeli morte discerpsit. Verg. lib. 8.*

Haud procul inde citæ Metiū in diuersa quadrigæ
Distulerant, &c.

Meuania, *Vmbriæ oppidum, ad uiam Flāminiam, armentorum & gregium ferax. Lucanus libro primo:*

—Est tauriferis ubi se Meuania campis
Explicat, &c

Mezentius, *Tyrrhenorum rex, summus deorum contemptor, à subditis ob immanem crudelitatē cum tota familia expulsus, qui unà cum Lauso filio fugiens ad Turnum Rutulorum regem peruenit, cum quo aduersus Aeneam profectus est, sed inauspicato. Aeneas enim ipsum cum filio in pugna interfecit. Vergilius libro undecimo:*

At Iouis interea monitis Mezentius ardens

Succedit pugnæ, &c.

M I.

Micipsa, *Numidarum rex, Maßinissæ regis filius, qui* Iu*gurtham Manastabalis fratris filium, unà cũ* Adher*bale &* Hyempsale *filijs regni participẽ reliquit.* Vn*de Sallustius de bello Iugurthino.*

Midas, *Gordij filius, rex Phrygiæ ditißimus, cui propter Bacchum hospitio susceptum, cõcessum est, ut quicquid uellet optaret, futurus uoti cõpos. Optauit autẽ ut quicquid corpore contigisset, in aurum uerteretur: quod, annuente Baccho, factum est. Sed cum cibus & potus contacti etiam in aurũ mutarentur, sensit tandem stolidus, se stultè petijsse, & facti pœnitens, orauit Bacchum, ut hoc munus auferret. tum Bacchus iußit, ut in Pactolo flumine se lauaret, & sic liberaretur. Quod cũ fecisset, aurum cœpit esse in Pactolo. Postea cum Phœbus, & Pan carmine certarent, & Midas iudex electus cum Tmolo monte, qui Phœbum uicisse dixerat, secundum Pana iudiciũ tulit. Quare indignatus Apollo, eidem asininas auriculas indidit, quas tam scitè occultauit, ut nemo sciret præter solum tonsorem: qui cum rem inauditam tacere non posset, fossam ingressus proclamauit, Aures asininas habet rex Midas. Deinde fossam terra adoperuit: successuq; temporis creuerũt illic arundines, quæ commotæ uocem, quam tonsor infoderat, reddiderunt. Vide Ouidium libro undecimo:*

—Atq; iniusta uocatur Vnius sermone Midæ, &c.
item Erasmum in prouerb. Midæ diuitiæ.

Miletum, *urbs insignis, in Lesbo insula, à qua uellera* Milesia *dicũtur, quòd ibi lana optimè tingatur. Alia huius nominis ciuitas est in Creta, alia in Caria.*

Miletus

Miletus, *filius fuit Apollinis & Argeæ Cleochi filiæ, uel ut Ouidius habet*, Deiones. *Nonnulli tamen non Apollinis, sed Euxantij Miconis filij: alij rursum Sarpedonis, qui fuit Iouis, filium faciunt. Hic cum Minoa Cretensium regem iam senem regno priuare uellet, à Ioue territus, in Samum, deinde in Cariam Asiæ regionē fugit, ibiq́; oppidū condidit, quod de suo nomine Miletū appellauit, eiusq́; incolas* Milesios. Ouid. li. 9. Metam.

Tunc erat inualidus Deionidenq́; iuuentæ
Robore Miletum, Phœboq́; parente superbum
Pertimuit, &c.

Inde Miletis, *idis, patronymic. id est*, Biblis.

Milo, *Crotoniensis, homo fuit tantæ fortitudinis, ut in Olympico certamine bouem retēto anhelitu per stadiū portauerit, quem ictu pugni interfecit, unoq́; die integrum deuorauit. Malum tenenti digitis nemo poterat extorquere: dum constitisset, nemo uestigio educere. Quum autem nimia neruorum fiducia arborem in parte media hiantem diducere uellet, brachijs hinc inde cōstrictis, & deficiente conatu retentus, lupis fuit præda. Mantuanus:*

Hausit dogma Croton forti insignita Milone.

Alius fuit Milo, *Romanus, qui P. Clodium interfecit: pro quo etiam Cicero orationē habuit, quam à Milone Milonianam uocant. Est item nomē montis Indiæ, in quo homines nascuntur auersis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentes.*

Mimas, *mons est minoris Asiæ, haud procul à Colophone, continuis obsessus urbibus, unde futuræ tempestates sentiuntur, ut inquit Solinus. In hoc monte quotannis Baccho sacra facere consueuerunt, à quo mulieres sa-*

crificulæ Mimallones, & Mimallonides *dicuntur, in quibus nominibus, o, litera indifferens est.* Ouid.

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis.

Inde Mimalloneus, *a, um.*

Mimas, *gigantis nomen fuit, quem Iupiter fulminauit. Horat. lib. 3. Carm.*

Sed quid Typhoeus & ualidus Mimas, &c.

Mimalion, *uide* Melanyon.

Mincius, *fluuius est Venetorum, qui ex Benaco scaturiens delabitur Mantuam: tandem Eridano miscetur, un de Mantuanus:* —*Et leni Mincius unda*

Ipse natus patre Benaco per pascua serpit,
Et Mantoa sinu complectens mœnia magno,
Eridani se iungit aquis, &c.

Minerua, *Iouis filia absq; matre. Cum enim Iupiter Iunonem sterilem uideret, ne omnino absque filijs esset, percusso cerebro suo armatam emisit Mineruam. Dea est sapientiæ: artium quoque & lanificij, texturæq; inuentrix perhibetur: cuius peritia uicit Arachnen Colophoniam, uictamq; transformauit in araneum. Certauit quoque cum Neptuno de imponendo urbi Athenarum nomine: in quo certamine uictrix existens, de suo nomine Athenas nominauit. Fingitur dea bellorum, soror & auriga Martis. Scutum habet cui Perseus Medusæ caput imposuit. Poëtæ perpetuam uirginem faciunt. unde Vergilius:*

Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ, &c.

Habet & alia nomina, de quibus suo loco.

Minio, *fluuius est Thusciæ, non procul à Cærete oppido. Verg. lib. 10.*

Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis.

Minos, *rex fuit Cretæ, Iouis & Europæ filius, qui Pasiphaën Solis filiam matrimonio sibi iunxit, & ex ea filios filiasq; progenuit. Maxima bella gessit aduersus Megarenses & Athenienses, quòd filium suum Androgeum occidissent. Dædalum quoq;, eò quòd operam dedisset adulterio Pasiphaës, unà cum Icaro filio Labyrintho inclusit: ex quo cum euolassent, sumptis armis, eos in Siciliam usq; persequutus est, ubi apud Camerinum, seu Camicum oppidũ à filiabus Crocali seu Cocali regis occisus est. Alij tamen à Cocalo rege per proditionem captum, & in thermis suffocatum tradunt. Vnde Ouid. in Ibin:*

Vel tua maturet, sicut Minoia fata,
Per caput infusa feruidus humor aquæ.

Tandem post mortem, ob insignem, quam in terris exercuerat, iustitiã & seueritatẽ, à poëtis factus est inferorũ iudex. Ab eo fit Minois, *idos, patron. &* Minoius.

Minotaurus, *monstrum fuit horrendum, partim habens hominis, partim tauri formam, natũ ex Pasiphaë, quæ Dædali opera adiuta tauro se commiscuerat. Hoc Minos inclusit Labyrintho: & quum uesceretur humanis carnibus, coëgit Athenienses, qui Androgeum filium suum interfecerant, ut quotannis septem filios ac totidẽ filias in Cretam mitterent ad alendum monstrum. Quò demum cum uenisset Theseus filius Aegei regis Athenarum, beneficio Ariadnes Minotaurum occidit, & egressus est Labyrintho. Ouid. lib. 6.*

Pasiphaë, mixtumq; genus, prolesq; biformis
Minotaurus inest, Veneris monumẽta nefandæ, &c.

Minois, *patronym. id est, Ariadne.*

Minturnę, *oppidũ est Cãpaniæ septũ paludibus, in qbus*

delituit Marius metu Syllæ uictoris. Horat. li. 1. *Epist.*

Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
Inter Minturnas, &c.

Minyæ, *pen. prod. populi fuerunt* Thessaliæ, *uel ut alij,* Bœotiæ, *circa* Iolcum *montem habitantes, qui cum* Argonautis *nauigarunt* Colchos *ad rapiendum aureum uellus.* Hos *dictos uolunt à* Minya *rege* Orchomeni, *filio* Neptuni. Lucan.

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.

Misenus, Aeoli *fuit filius,* Hectoris *tubicen, quo mortuo* Aeneam *secutus est in* Italiam. *Hic cùm deos marinos ad tubæ certamen prouocaret, à* Tritonide *submersus est: sed postea ab* Aenea *inuetus, ab eodē mōte quodā* Italiæ *sepultus est, q deinde* Misenus *uocari cœpit.* Verg. li. 6.

Misenum Aeoliden, quo non præstantior alter
Aere ciere uiros, &c.

Mithridătes, *rex fuit* Ponti, *qui bellum cū* Romanis *gessit annis quinquaginta sex.* Asiam *occupauit.* Q. Oppium *procōsulem &* Aquileiū *legatū in uincula conie= cit.* Rhodū *oppugnauit, item* Athenas *per* Archelaum *præfectū. Deinde à* Lucullo *apud* Cyzicum *superatus confugit ad* Tigranem *regē* Armeniæ. *Postremo uictus à* Pompeio, *obsessusq; in regia uenenū sumpsit: quod cū nihil ad mortē proficeret, propter antidotū, quo utebatur quotidie aduersus uenenatas potiones, seipsū interfecit adiutus à milite* Gallo. *Filiū habuit* Pharnacē, *qui* Pōpeio *fauit aduersus patrē.* Tāta *memoria claruisse traditur, ut quatuor & uiginti gentiū, quas habuit sub ditione, linguas percalluerit, earumq; gentium uiris sine interprete locutus sit. Arguitur maximæ crudelitatis. nam* Laodicen *coniugem, & sororem, prætere*a

rea matrem, fratremq́; ac tres filios impuberes, totidemq́; filias interfecit. Iuuen.Sat.14.

Ocyus Archigenem quære, atq; eme, quod Mithridates Composuit, &c.

Mitylene, es, & Mitylenæ, arũ, urbs est in insula Lesbo: & quoniã olim hæc reliquis omnibus præcellebat, sæpißime pro tota insula accipitur. Horat. lib. 1. Carm.

Laudabũt alij claram Rhodon, aut Mitylenen.

M N.

Mnemosyne, mater nouem Musarum, à qua Mnemosynides dicuntur. Ouidius:

Aureus ut Danaën Asopida luserit ignis,
Mnemosynen pastor, &c.

M O.

Molorchus, pastor fuit, qui Herculem hospitio suscepit, rogauitq́; ut leonem uastißimum ibidem interficeret. Stat. lib. 4. Thebaid.

Sacra Cleonæi cogunt uineta Molorchi.

Molossa, seu Molossia, pars est Epiri, à Molosso Pyrrhi & Andromaches filio sic appellata: quam postea Helenus Priami filius Chaoniã à Chaone fratre nominauit. Molossus, a, um, adiect. Claruit olim maximè canibus uenaticis. Lucan. lib. 4.

Venator tenet ora leuis clamosa Molossi.

Momus, maledicus quidam calumniator fuit, qui neminem suis cõuitijs intactum relinquebat. Vide prouerb. Momo satisfacere.

Moneta, dicta est Iuno, à monendo. Cum enim (ut inquit Cicero libro 1. de Diuinatione) terræmotus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, uox ab æde Iunonis ex arce extitit: quocirca Iuno Moneta cognomi-

nata est. Lucan. lib. 1.

Numina miscebit castrensis flamma Monetæ.

Monæcus, *portus est in ora Ligustica, qui & Herculeus ab Hercule nominatus est, quod ibi solus coleretur, unde & Monæcus uocari cœpit:* μόνος, *enim Græcis solus est,* οἶκος *domus. Lucanus lib. 1.*

–Solus sua littora turbat
Circius, & tuta prohibet statione Monæci, &c.

Monychus, *Centaurus, qui in bello contra Lapithas arboribus utebatur pro telis. Iuuen.*

–Quantas iaculetur Monychus ornos, &c.

Mopsus, *uates celeberrimus, Ampyci filius ex Chloride, unde ab* Ouidi. *lib. 12. Ampycides appellatur. Quidam uerò Apollinis & Hymantis, quidam non Hymantis, sed Mantûs filium faciunt. Hic Colophonem condidit: Calchantem quoq; uictũ certamine uaticinãdi ad mortem adegit. Vide suprà* Calchas.

Morini, *populi sunt extremi Galliæ uersus Occidentem. Verg. lib. 8.*

Extremiq́; hominum Morini, Rhenusq́; bicornis.

Morpheus, *somni minister est, qui, ut in fabulis est, iussu domini quoscunq; uultus hominum fingit, uerba ipsa, mores item & gestus imitans. Ouid. lib. 11. Metam.*

Excitat artificem, simulatoremq́; figuræ
Morphea, &c.

Moschi, *populi ad mare Hyrcanum, Sarmatis finitimi, ut habetur apud Lucanum. lib. 3.*

–Sæuisq́; affinis Sarmata Moschis, &c.

M V.

Mulciber, *dictus est Vulcanus, à mulcendo ferro. Ouid.*

Mulciberis capti Marsq́; Venusq́; dolis.

Munda, *oppidum est Hispaniæ, multis cladibus & funeribus celebre: iuxta quod etiam Cæsar cum Pompeij filijs manus conseruit: in quo prælio tanta strages facta est, ut Cæsar obsidens uictos congestis corporibus uallum circum urbem struxerit. Lucan. lib. 1.*

Vltima funesta concurrunt prælia Munda.

Musæ, *numero nouē sunt, Iouis & Mnemosynes, id est memoriæ, filiæ, quarū nomina sunt, Clio, Euterpe, Melpomene, Thalia, Polymnia, Erato, Terpsichore, Vrania, & Calliope. Has olim filiæ Pieri numero totidē, ad cantus certamen prouocauerunt, sed à Musis uictæ in picas commutatæ sunt, ut est apud Ouidium, libro quinto. Et ab his postea Musæ dictæ sunt Pierides (ut habet Bocatius, libro undecimo, capite secundo) alij tamē à Pieria Macedoniæ regione hoc nominis sumpsisse uolunt. Ferunt præterea has à Pyreneo quodam domū inuitatas, ut imbrem, qui tum erat, euitarent: quæ secutæ, domi easdem clausit, uim inferre cupiens: illæ uero sumptis alis euolauerunt. Quod Pyreneus uidens, uolatu eas sequi cupiens, è turri decidit in magnam sui perniciem. De harum inuentis uide Vergilium in Epigrammat. Et quoniam uaria habent nomina, quæ illis uel à locis uel alijs rebus imponuntur (ut Libethrides, Sicelides, Palæstinæ, Heliconiades, Pimpleiades, &c.) uisum est de ijsdem sigillatim dicere, prout ordo alphabeticus expostulauerit, quo facilius à pueris inueniri poßint. Musæ autem uocantur, à μοῦσαι, quod est inuestigare, &c.*

Musæus, *Græcus poëta antiquißimus, unus ex Argonautis, Epimolphi seu Eumolphi filius: alij tamē Apollinis, alij Lini, alij Orphei (cuius discipulus fuisse constat)*

stat) faciunt. Huius iucundißimum carmen extat de amore Leandri & Herûs. Verg. lib. 6. Aeneid.

Musæum ante omnes, &c.

Mutina, *ciuitas est Galliæ Cisalpinæ, ubi Antonius D. Brutum obsedit: quem tamen Augustus collectis ueteranis militibus liberauit. Lucan. libro primo:*

His Cæsar Perusina fames, Mutinæq; labores,
Accedant fatis, &c.

Mutinenses, *dicuntur incolæ.*

Mutius, *nobilis Romanus, qui accepta potestate à senatu, in castra Porsenæ regis, tum temporis Romanos obsidentis, solus intrauit, eo animo, ut regem occideret: sed cum regem non cognosceret, satellitem purpura indutum pro rege occidit.* Propter quod *comprehensus, & ad regem perductus, iussus est & coniuratores, si qui essent, indicare. Mutius uerò ut ostenderet se nullo supplicio uinci posse, insuper & pœnã de dextera sua exigeret, cò quòd in cæde aberrasset, ipsam igni impositam in cõspectu regis sibi ipsi adußit: unde postea Scæuola cognominatus est, quòd sinistra manu uti cogeretur. Quapropter rex eius fortitudinem admiratus, eum liberum dimisit. Mutius igitur ut & regi aliquid grati faceret, eidem indicauit, trecentos iuuenes in eum similiter coniurasse. Qua re territus Porsena, bellum acceptis obsidibus deposuit. Martial.*

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Mutuscæ, *Sabinorum ciuitas, quæ & Trebula & Suffena appellata est. Hanc quoq; postea Trebiam dictam Seruius in libro septimo Aeneidos testatur: ubi Annibal Romanos maxima clade affecit. Vergil. lib. 7.*

–Oliuiferæq;

–Oliuiferæq; Mutuscæ, &c.

M Y.

Mycenæ, Peloponesi urbs, à Perseo condita, filio Danaës, regia & patria Agamemnonis, Thyestis, & Pelopis. Vergil lib. 6.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas.

Mycenis, idos, dicitur Iphigenia, ab Ouid lib. 12. Meta.

Mycone, insula in mari Aegeo, una ex Cycladibus prope Delum. Ouid. lib. 7. Metam.

Hinc humilē Myconen, cretosaq; rura Cimoli, &c.

Mygdonia, regio est littoralis Macedoniæ, in qua Niobe Tantali filia, Amphionis uxor, in saxum uersa est: à Mygdone rege sic dicta. Est etiā pars Phrygiæ uersus Lydiam: unde Ouidius Mygdonides nurus pro Lydijs dixit.

Mynetes, uide Menetes.

Myrinus, dictus est Apollo, à Myrina urbe, à qua & Myrini campi uocitati sunt, quòd ibi religiosissimè coleretur.

Myrmidones, populi fuerunt Thessaliæ, qui Achillem ad bellum Troianum secuti sunt. De horum origine uariè fabulātur poëtæ. Alij enim sic dictos putant à Myrmidone rege, Iouis & Corymosæ nymphæ filio, quem etiā post Cercopem Atheniensium regem fuisse tradūt. Alij à Myrmice puella, in Attica regione: quæ cum ob castimoniam & solertiam gratissima esset Mineruæ, contigit, ut aratrum in odium Cereris à Minerua conditum omnibus ostenderet: quapropter dea irata eā in formicā transformauit: quæ cum multitudinē procreasset, euenit ut morientibus Thessalis regnante Aeaco in homines mutarentur. Ouid. uerò lib. 7. Metamorph. dicit

dicit ex formicis homines factos, precibus à Ioue postulante Aeaco, postquam pestilentia ipsius totus populus perijsset: & inde Myrmidones dictos. Vergilius libr. secundo: —Quis talia fando,

Myrmidonũ, Dolopũ'ue, aut duri miles Vlyßi, &c.

Myron, statuarius fuit insignis, qui fecit ex ære buculã. unde Propertius:

Atq; aram circunstcterant armenta Myronis,
Quattuor, artificis inuida signa, boues, &c.

Myrrha, filia fuit Cynaræ Cypriorum regis, quæ patris sui nefando amore flagrans, nutricis auxilio cum eodẽ concubuit, peperitq; Adonim filium. Pater uerò cùm illud nefas cognouisset, filiam suam gladio interficere uoluit: sed illa fugiens per Arabiam deorum commiserationе in arbusculam sui nominis commutata est. Vide suprà Cynaras, item Adonis, &c.

Myrtilus, Mercurij ex Phaëtusa, seu Myrto Amazone filius, auriga Oenomai, qui à Pelope curruli certamine cum Hippodamia Oenomai filia certante pecunia corruptus, axi in certamine uectem non obiecit, ut Hippodamiæ currus dissolueretur, et Pelops uictor euaderet. Quod cum fecisset, à Pelope uictore præmium postulauit: qui ab Oenomao moriente antè rogatus, ut Myrtili factum ulcisceretur, eundem in mare præcipitauit, quod ab eo Mytoum dictum est. Claudianus:

—Nam perfidus obice regis
Prodidit Oenomai deceptus Myrtilus axem, &c.

Myrtoum mare, pars est Aegei maris, à Myrtilo sic appellatum, ut ex præcedẽtibus patet. Ouid. in Ibin:

Proditor ut sæui perijt auriga tyranni,
Qui noua Myrtoæ nomina fecit aquæ, &c.

Mysia

Mysia,*regio est Hellesponti, à Mysis dicta, qui è Thracia illuc migrauerunt: quæ subdita fuit Telepho. Huius una pars est in Asia, quam in maiorem & minorem diuidunt, & utraq; extra Bithyniam. Altera pars in Europa, iuxta Istrum, quam similiter duplicem faciũt, superiorem uidelicet, & inferiorem, &c. Alij* Mœsiam, *per œ scribunt.* Mysi, *sunt eiusdem populi contemptissimi, de quibus multa in dictione Mysiæ præda, & Mysorum postremus.*

DE LITERA N.

N A.

NAbathea,*regio est Orientalis, ab Arabia incipiẽs, eamq; intra se continens, quæ usq; ad mare rubrum ex latere dextro, Persicum ex sinistro, Indicum ex superiori parte protenditur, nomen habens à Nabath primogenito Ismahelis.* Nabathei,*dicuntur populi: &* Nabatheus,*a,um,adiect. Iuuen.*

Et quos deposuit Nabatheo bellua saltu, &c.

Naiades, *fontium & fluuiorum nymphæ sunt. Porrò hæc dictio nunc tribus, nunc quatuor syllabis effertur. Verg. Ecloga 6.*

Aegle Naiadum pulcherrima, iamq; uidendi, &c.

Calphurnius Eclog. 2.

Adsuerant sicco Dryades pede, Naiades udo, &c.

Dictæ sunt à νάω, id est, fluo. Naias, *dicitur in singulari numero: &* Nais, *nomen nymphæ cuiusdam. Ab his fit* Naicus,*a,um. Propertius libro secundo:*

Supposita excipiens Naica dona manu.

Napeæ,*nymphæ sunt syluarum & montium appellatæ, à uallibus montium. Verg.*

—*Faciles*

–Faciles uenerare Napeas,&c.

Nar, Sabinorum fluuius è Viscello monte oriens, aquis sulphureis miscetur,& iuxta,uel ut alij uolũt, per Narinam urbem defluens,in Tyberim cadit. Verg.

Sulphurea Nar albus aqua.

Alius item est in Dalmatia,qui & Naro dicitur.

Narbo, ōnis, Galliæ ciuitas ad Rhodani ostiũ, ubi quondam amplißimum eius regionis fuit emporium. Ab hac est ea Galliæ pars Narbonensis, quæ alio nomine Bracata dicitur. Vide suprà Gallia.

Narcissus,filius fuit Cephisi & Lyriopes,quo nato pater Cephisus,ut de successu ipsius uitæ haberetur respõsum,delatus est ad Tiresiã uatem:qui respondit,puerũ uicturum, quàm diu sese uidere differret. Quod quidẽ uaticiniũ quamuis ab audientibus rideretur,effectu tamen nõ caruit. Cũ enim adolescens formosißimus eßet, à pluribus nymphis amatus est,potißimũ autẽ ab Echo Parnasi nympha:quas omnes quum aspernaretur,tandem sua ipsius forma captus est. nam cum uenatu fessus aliquando diuertisset ad fontem, & in eodem perinde ac speculo seipsum uidisset, ratus unam earum, à quibus prius adamabatur, nympharum, iuxta fontem amoris desiderio intabuit.tandem nympharum miseratione in florẽ sui nominis cõmutatus est.Verg.in Bucol.

Pro molli uiola,pro purpureo Narcisso,&c.

Naritia,& Narix,Brutiorum ciuitas in Italia, ab Aiacis Oilei socijs condita,à qua Naritij dicuntur populi,& Naritius,a,um.Verg.libro tertio Aeneid.

Hic & Naritij posuerunt mœnia Locri,&c.

Est & Naritia insula in mari Aegeo, sub Vlyßis imperio.

Nasamones,

Nasamōnes, populi Aphricæ, qui naues Syrtibus illisas spoliant, uictumq́; quærunt rapto. Lucanus lib. 4.

Maurus, inops Nasamō, mixti Garamāte perusto
Marmaridæ, &c.

Nauplius, filius fuit Neptuni, & Amimones filiæ Danai Argiuorū regis, ut suprà dictum est. Hunc per Eubœam regnasse constat, cuius filium Palamedem cum Græcis Troiam profectum dolo sub proditionis nomine ab Vlysse accusatum occiderunt. Quod cum Nauplius ægerrimè ferret, nec tamen uires ad ultionem suppeterēt, dolo egit, quod ui nequiuerat. cœpit enim per totam Græciam uagari, & regias principum intrare, eorumq́; coniuges cum quibuscumq; poterat, in adulterium pellexit, putans, redeuntibus Græcis maximas seditiones exorituras, & ita, dum se inuicem trucidarent, occisi Palamedis mortem, sua expiaturos. Porrò nec adhuc placatus senex, cum audisset Græcos ab expeditione Troiana redire, conscenso Caphareo monte facem accendit, ibiq́; Græcos in maximum naufragium deduxit, ut superius in dictione Caphareus, auditum est. Naupliades, patronym. id est, Nauplij filius.

Nausicāa, filia fuit Alcinoi & Aretes, quæ cum exisset ciuitatem cum pedissequis suis, iuissetq́; ad flumen loturа uestes, uidit Vlyssem naufragum in littore sedentē, nudum arborum ramis circumtectum, cui oranti & uestes dedit, & in regiā patris sui ire iußit. de hac Mart.

Si mihi Nausicaa patrios concederet hortos,
Nausicaæ possem dicere malo meos.

Nausithōus, rex Phæacum, filius Neptuni & Peribœæ, Eurymedōtis filiæ. Hesiodus tamē Vlyßis & Calypsus filium facit. Hic pater fuit Alcinoi, qui ei in regno succeßit.

cessit.

Naxos, insula est in mari Aegeo, una ex Cycladibus, hanc & Strongylē, deinde Diam, mox Dionysiam, à ui nearum fertilitate, qua reliquas superabat, alij Siciliam minorē, alij Callipolim appellarunt. In hac insula Theseus Ariadnen dereliquit, quam Bacchus postea in uxorem duxit. Vergilius libro tertio Aeneidos:

Bacchatamq́; iugis Naxon, uiridemq́; Donysam.

Neæra, nymphæ nomē, ex qua Phœbus Phaëtusam & Lampetien suscepit, quæ patris greges in Sicilia pauisse dicuntur. Est etiam mulieris cuiusdam nomen apud Verg. Eclog. 3. —Dum fouet ille Neæarum, &c.

Neapolis, urbs Campaniæ præclara, ad mare sita: Cumani à parentibus digreßi condiderunt, & Parthenopen à nomine unius ex Sirenibus, cuius corpus in ueteri monumento repererant, appellauerunt: quæ cum ob locorum amœnitatem maiorem in modum frequentari inciperet, ueriti ne Cumæ desererentur, Parthenopen diruerunt. quo facto mox pestilentia uexati, oraculo admoniti sunt, ut urbem restituerent. itaque subitò restauratam, Neapolim, id est, nouam urbem uocauere. Mant.

—Sinuosa Neapolis unda Vapulat, &c.

Neleus, Neptuni filius ex Tyro nympha Salmonei filia, qui à Pelia fratre pulsus in Laconiam uenit, ubi Pilon urbem condidit. Huic uxor fuit Chloris Amphionis Orchomeni regis filia, ex qua duodecim filios suscepit, quos postea omnes præter unicum Nestorē, tum fortè ablegatum, Hercules euerso Pilo interfecit. Inde Neleus, Neleius, a, um. & Neleides, patronym. Ouid. libro 12. Metamorph.

Bis sex Neleidæ fuimus conspecta iuuentus,

Bis sex

Bis sex Herculeis ceciderunt me minus uno, &c.

Nemea, sylua inter Cleonas & Philuntem, in qua Argiui ob Herculis memoriã Nemeæa sacra celebrare consueuerunt, eò quòd immanem leonẽ in ea interfecisset. hinc regio omnis Nemeæa dicitur. Est & Nemea fons: item mons. Vergilius:

–Et uastum Nemeæ sub rupe leonem, &c.

Hinc Nemeæus, a, um.

Nemesis (ut inquit Euripides) Iouis filia, ultrix eorum, qui uel superbiũt, uel fastidiũt amores. Clarißimũ eius templum in Rhamnũte Atticæ oppido, in quo insignẽ statuam habuisse tradunt, quam quidam Diodori, quidam Phidiæ, quidam Agoracriti opus fuisse tradunt. hinc Rhamnusia uocata est. Est etiam nomẽ puellæ cuiusdam unicè à Tibullo adamatæ. Martialis libro 4.

Vßit amatorem Nemesis lasciua Tibullum.

Neoptolemus, appellatur Pyrrhus Achillis & Deidamiæ filius, quasi nouus miles. Verg. lib. 2. Aeneid.

Degeneremq; Neoptólemum narrare memento.

Nephele, quæ & Neiphile, & Themisto dicitur, uxor fuit Athamantis, materq́; Phryxi & Helles, unde hanc Lucanus libro nono, Nephyleiam, & Ouid. libro 11. Nepheleiden appellat, inquiens:

Angustum circa pontum Nepheleidos Helles.

Neptunus, Saturni & Opis filius, quem iratum mater statim clàm abscondit, ne à patre deuoraretur. Huic postea expulso Saturno aquæ in sortem ceciderunt, ut suprà de Ioue auditum. Vxorem habuit Aphitritem, ex qua plurimas nymphas suscepit. Tridentem habet pro sceptro. Muros Troianos adiuuante Appolline condidit. Inde Neptunius, a, um. Silius libro tertio:

Atq; imo freta contorquet Neptunia fundo,&c.

Nereides, *nymphæ sunt marinæ, sic dictæ à* Nereo *pa-tre.* *Stat.lib.3.Syluar.*

Nereus, *deus marinus,* Oceani *&* Tethyos *filius,* Dori-*dem sororem in uxorem duxit, ex qua maximam nympharum turbam suscepit. Capitur quandoq; pro ipso mari.* Verg.

Grandæuus Nereus*, nouit namq; omnia uates,&c.*

Hinc Nerine,*&* Nereis,*patron.*Nereus,*a,um.*

Neritos, *mons est in Ithaca, à quo* Neritius *appellatur* Vlysses*. Capitur interdum pro tota insula.* Verg. *libro tertio* Aeneid.

Dulichiumq́;, Sameq́;, & Neritos *ardua saxis.*

Neruij, *populi* Galliæ Belgicæ, *in finibus* Ambianorũ, *qui semper reliquos* Belgas *increpitabant, quòd se populo* Romano *dedidissent, se autẽ neq; legatos ad* Cæsarem *missuros, neq; ullam pacis conditionẽ accepturos affirmabant. Tandem difficilimo & periculosißimo bello à* Cæsare *uicti sunt.* Lucan.*lib.1.*

–Nimiumq́; rebellis Neruius,*&c.*

Nesis, *idos, penultima longa, seu* Nesum, *ij, insula in* Cãpano *littore, inter* Pausilypum *&* Puteolos. Actius Eclog.1.

Huc illuc, dum Pausilypi *latus omne pererro,*
Piscosamq́; *lego celeri* Nesida *phaselo,&c.*

Nessus, *fuit* Cẽtaurus, Ixionis *ex* Nube *filius, sagittis ab* Hercule *confossus, quòd uxorem illius* Deianiram *rapere uellet. Vide suprà* Deianira. *Ab eo fit* Nessæ-us,*a,um.*

Nestor, *filius fuit* Nelei *&* Chloridis, *ut suprà dictum est: adhuc adolescens bellum geßit, etiam uiuo adhuc*

patre

patre, aduersum Epios Achaiæ populos, qui postea Elij, oppida uero Elis & Epie dicta sunt. Cum Centauris in nuptijs Pirithoi pugnauit. postea quinquaginta nauibus cũ reliquis Græcis principibus Troiam uenit, cum natus ducẽtos annos iam tertiam hominis ætatem uiueret, homo tanta eloquentia excellens, ut ex eius ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Vxorem habuit Eurydicen Clymenes filiam, ex qua septem filios & unicam filiam suscepit. Ouid lib. 13.

Qui licet eloquio fidum quoq; Nestora uincat.

Ab eo fit Nestorides, & Nestoreus, a, um.

N I.

Nicomedes, rex fuit Bithyniæ, & populo Romano amicißimus. Hic Nicomediam, Bithyniæ urbem condidit.

Nicopolis, Epiri urbs, quam ita uocauit Augustus à uictoria, quam habuit ibi de Antonio. Alia item est in Aegypto.

Nicostrata, filia fuit regis Arcadum, alio nomine Carmenta, seu Carmentis. uide suprà.

Nilus, Aegypti fluuius, plurimum limum trahens, quo arua fœcundat. existente enim sole in Cancro per totam Aegyptum inundat, atq; hoc modo totam terram fertilem reddit. Incerta est eius origo, quamuis de hac Perottus quædam in medium adferat. demum septem ostijs in mare influit. Ouid. lib. 1. Metamorph.

Sic ubi deseruit madidus septemfluus agros
Nilus, &c.

Inde fit Niliacus, & Niloticus, a, um.

Ninos, quæ & Niniue, maxima urbs Aßyriæ, à Nino rege condita. Lucan. lib. 3.

Et felix (sic fama) Ninos, uentosa Damascus.

Ninus, *Beli filius, secundus seu potius primus Assyriorum rex. Belus enim solum Babylonem habuit, Ninus uero totam Aßyriam.*

Niobe, *filia fuit Tantali, & uxor Amphionis regis Thebarum, ex quo 14. liberos suscepit: quos omnes Apollo sagittis interfecit, eò quòd illa se Dianæ & Latonæ, seu (ut alij habent) Dianæ & Apollini prætulisset. Id ægrè ferens Niobe præ nimio dolore diriguit in scopulum prope Sipylum Mæoniæ urbem, à qua etiam Sipyleia dicitur. Propert. lib. 2.*

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Solicito lacrymans defluit à Sipylo.

Alia fuit Phoronei filia, ex qua Iupiter Apim, qui postea Osiris & Serapis dictus est, genuit.

Niphātes, *mons est, diuidens Armeniam maiorem ab Aßyria, ex quo Tigris fluuius oritur, ut ait Strabo. Quidam uero Armeniæ fluuium esse putant, qui ex eodem monte defluens in Tigrim defertur. Lucan. lib. 3.*

Armeniusq; tenens uoluentem saxa Niphatem.

Alij Scythiæ fluuium faciunt.

Nireus, *rex fuit Naxi, Charopi & Alagiæ filius, quem omnium formosißimum ad Troiam uenisse, Homerus tradidit. Horat. lib. 3. Carmin.*

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

Nisia, *montana regio Siciliæ iuxta Aetnam. Ouidius in Epist. Sapphûs:*

Nisiades matres, Sicelidesq; nurus, &c.

Nisus, *rex fuit Megarensium, aureos habens capillos, cui oraculo responsum est, ipsum tam diu regno potiturum*

titurum, quàm diu capillos intonsos retineret. Cùm igitur à Minoë ob interfectum Androgeum obsideretur, Scylla Nisi filia hostis amore flagrans, ut illi magis placeret, noctu purpuream comam patri totondit, eamq; Minoi obtulit, qui donum accipiens Nisum euersa regia occidit. Postremò deorum commiseratione conuersus est in sui nominis auem, quam & Halictum uocant, perpetuum odium exercens in Cyrim auem, in quam Scylla fuit transformata. Cùm enim à Minoë cõtempta relinqueretur, illa amoris impatiẽs celerrimo cursu, ut fabulatur Ouidius libro octauo, super undas eiusdem nauem secuta est, sed fortè decidens, in Cyrim auem mutata est. Ouid.

Filia purpureos Nisi furata capillos,
 Puppe cadens nauis facta refertur auis.

Nisus (alij primã per y, Græcum scribũt) Hyrtaci filius, indissolubili amicitiæ uinculo coniunctus Euryalo: quorum historiam satis copiose describit Vergilius lib. 9. Aeneidos.

N O.

Nomades, seu Numidę, populi sunt Aphricæ, degẽtes in plaustris ductilibus, unde uagi dicuntur. Habebant olim alueos nauium conuersos pro tugurijs, ut est apud Sallustium. De his quoq; Verg. lib. 4. Aeneid.

Te propter Libycæ gentes, Nomadumq; tyranni
Odere, &c.

Plinius libro 6. Nomades in Aethiopia ponit. Alij sunt Scythiæ populi in Europa, quorum omnis uita (quemadmodum superiorum in Aphrica) in pascendis gregibus habetur. Hodie dicuntur Tartari.

Nomentum, Sabinorum oppidum in Latio, non pro-

cul à Roma, *à* Nomento *quodam conditum, unde &* *nomen sumpsit.* Nomentani, *incolæ, &* Nomentanus, *a, um, adiectiuum, ut* Nomentana *uina: habuit enim agrum uini feracißimum.* Martialis:

> Nomentana *meum tibi dat uindemia* Bacchum:
> *Si te* Quintus *amat commodiora bibes.*

Nomius, *dictus est* Apollo, ἀπὸ τῆς νόμης, *id est, à pascuis, quòd olim iuxta* Amphrysum Thessaliæ *fluuium diuinitate ob interfectos* Cyclopas *priuatus,* Admeto *regi armenta pauit.*

Nonacris, *mons est* Arcadiæ. *à quo fit* Nonacrius, *&* Nonacrinus, *penultima lõga, id est,* Arcadicus. Ouid.

> *Quid fuit asperius* Nonacrina Atalanta?

Noricum, Germaniæ *regio, circum* Alpes, Italiam *uersus, hodie* Bauaria *dicitur. Hinc fit* Noricus, *a, um.* Verg. *lib.* 3. Georg.

> *Tunc sciat aërias* Alpes, *&* Norica *si quis*
> Castella *in tumulis, &c.*

N V.

Nuceria, *ciuitas* Campaniæ, *cuius incolæ* Nucerij *dicuntur.*

Numa Pompilius, *secundus* Rex Romanorum, *ex* Curibus Sabinorum *oppido in regem electus, ut ait* Vergilius *libro sexto, iustitia & pietate insignis. Templum* Iani *condidit, quod aperiebatur tempore belli, pacis uerò claudebatur. mox cultum deorum instituit: creauit sacerdotes,* Vestales *uirgines sacrauit, dies festos, nefastosq́; condidit, aliáque multa, quæ omnia, ut eò firmius seruarentur, fingebat se iussu* Aegeriæ *nymphæ instituere.* Vide *suprà* Aegeria.

Numantia, *ciuitas in* Hispania Tarraconensi, *quæ cir*-

ca

ca uiginti annos bellum cum populo Rom. geßit: tandẽ à Scipione posteriore accepta utrinq; maxima clade, capta & deleta. Vnde Scipio Numantinus cognominatus est. Numantini, *dicuntur ciues.*

Numicus, *seu* Numicius, *fluuius est Italiæ, non procul à Lauinio, in quo submersus est Aeneas. Ouid. libro 3. Fastorum:*

Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius undis
Creditur, &c.

Numidæ, *populus ferus in Aphrica, inter Mauritaniam et Carthaginẽ, quorũ regio* Numidia *olim dicebatur: hodie uerò Barbaria appellatur. Vergil. lib. 4. Aeneid.*

Et Numidæ infreni cingũt, & inhospita Syrtis, etc.

Vide Nomades. *Inde fit* Numidicus, *a, um.*

Numitor, *filius fuit Procæ, à fratre Amulio è regno pulsus: postea uerò senex à Romulo & Remo nepotibus, occiso Amulio, in regnum restitutus est. Verg. lib. 6.*

Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddit
Syluius Aeneas, &c.

Nursa, *seu* Nursia, *oppidum est Sabinorum in montibus situm.* Nursini, *dicuntur populi. Verg. lib. 7.*

-Quos frigida misit
Nursia, & Ortinæ classes, &c. *Et paulò pòst,*
Et te montosæ misere in prælia Nursæ.

N Y.

Nyctileus, *dictus est Bacchus, quòd eius sacra noctu celebrarentur.*

Nycteus, *Neptuni fuit filius ex Celene Atlantis filia: quem ex Amalthea Cretensi nympha Antiopã & Nyctimenen suscepisse ferunt, ipsumq; ab hac posteriore illecebri amore dilectum, cum eadem nutricis opera i-*

gnarum concubuisse: sed scelere cognito Nyctimenen *occidere uoluit: illa uerò fugiens miseratione* Mynervæ *in auem sui nominis uersa est, & in ipsius tutelam suscepta.* νυκτιμένη *Græcis noctuam sonat.* Ouid. *lib.* 2. *Metamorph.*

Non audita tibi est, patrium temerasse cubile
Nyctimenen, auis illa quidem, &c.

Nycteis, *idos, filia Nyctei.*

Nyctimene, *uide* Nycteus.

Nymphæ, *generale nomen est, quod apud ueteres non tantum aquarum, sed etiam terrarum deas denotabat: ut sunt* Nereides, Napeæ, Naiades, Oreades, Dryades, Hamadryades. *de quibus suo loco.* Vide Perottū, *qui uaria horum nomina collegit.*

Nymphæum, *Macedoniæ oppidum. uide suprà* Lyssus.

Nysa, *urbs est Aegypti, Arabiæ propinqua, in qua Bacchum nutritum ferunt. Alia est in India, à Libero patre extructa, sub radicibus montis, quem incolæ* Merū *appellant.* Verg. *libro sexto:*

Liber agens celso Nisæ de uertice Tigres, &c.

Et Nysa *pagus in Helicone, ubi Bacchus maximè colebatur: hanc quidam in* Bœotia, *quidam in* Caria *esse uolunt.* Nysa *quoque dicitur unus ex uerticibus* Parnasi *montis, Baccho consecratus.* Item Nysa, *mulieris nomen apud* Vergilium Eclog. 8.

Mopso Nysa datur, &c.

Nysæus, *cognominatur Bacchus, à* Nysa Aegypti *urbe, in qua nutritum ferunt. Sed cum in omnibus istis superioribus locis cultus sit, parum retulerit, unde nam hoc nominis sumpsisse dicas.*

O A.

OAxis, *fluuius est Cretæ insulæ, ab* Oaxe *Apollinis filio sic uocatus, unde &* Oaxia *tellus ibidem.* Verg.Eclog.1.

Pars Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxē.

O C.

Oceanus,*propriè dicitur mare, quod uniuersam terram circūfluit.à locis uarijs uaria accipit nomina, ut apud* Britannos,Britannicus:*apud inferiorem* Germaniæ *partem,*Germanicus *uocatur,&c.*Verùm *eam* Oceani *partem,quæ est inter* Hispaniam,Italiam,Asiã *&* Aphricam, *mare mediterraneum uocant.* Poëtæ *uirum faciunt,* Cœli *&* Vestæ *filium,*Tethyos *maritum,ex quo multos liberos suscepisse fabulantur.* Oceanitis, itidos,*filia* Oceani. Vergil.in Georgic.

—Oceanitides ambæ,&c.

Ocnus, *filius fuit* Tyberis *&* Mantûs *filiæ* Tiresiæ *uatis.*Hunc Mantuam *condidisse tradūt,&* Aeneæ *in auxilium uenisse aduersus* Turnū, Maro *testatur lib.10.* Idem *hunc* Bianora *uocat* Eclog.9.*uide suprà.*

Ocypete,*una est* Harpyiarum,*de qua alibi.*

Ocyroē, *filia* Chironis Centauri, *ex nympha quadam* Cayci *fluminis suscepta.*Augurij *fuit peritißima:*Aescu lapium *enim uniuerso orbi profuturum prædixit, & patrem optaturum mortem, seq; equam futuram: quæ omnia euenere,ut est apud* Ouid.lib.2.Metam.

O E.

Oeagrus,*Thraciæ fluuius est,quem quidã* Orphei *patrē dicunt,& ex eodem quoq;* Hebrum *fluuium ortū sumere,qui inde* Oeagrius *appellatur.*Verg.in Georg.

Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulsum,
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus, *&c.*

Oebalus, *filius fuit* Arguli, *rex* Laconum, *quos à se* Oebalios, *&* Oebaliam *nominauit.* Hinc Oebalides, *id est,* Pollux *seu Castor: &* Oebalis, *id est,* Helena: *&* Oebalius, *a, um, adiect.* Et Oebalia *dicitur* Tarentũ, *quia à* Laconibus *fuit condita.* Verg. *lib.* 4. Georg.

Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis, &c.

Alius *fuit* Oebalus, Telonis *regis* Caprearũ *filius ex* Sebethide *nympha: quem nõ contẽtum paterno regno* Capreis *uidelicet* Campaniæ *insula, totam illam* Campaniæ *oram bello subegisse,* Turnoq; *aduersus* Aeneã *opem tulisse,* Vergilius *lib.* 7. Aeneid. *demonstrat.*

Oechalia, *Laconiæ ciuitas, ab* Hercule *euersa propter* Iolen Eurythi *filiam, quã desponsatam ipsi pater postea negarat.* Ouid. *lib.* 9.

Victor ab Oechalia Cenæo sacra parauit
Vota Ioui, &c.

Oedipus, *secundæ & tertiæ declinat. filius fuit* Laij *&* Iocastæ, *quem natũ pater statim exponi iussit, eò quòd ex oraculo didicisset, se à filio nasciturо interfectũ iri.* Famuli *autem teneræ ætati parcentes, non prorsus abiecerunt, sed perforatis pedibus uimine arbori alligauerunt: ad cuius uagitum tractus* Phorbas *pastor* Polybij Corinthiorum *regis, infantem ab arbore sustulit, & ad* Polybium *detulit.* Qui *cum filijs careret, ipsum filij loco educauit.* Iam *igitur adultus cum audisset se nõ* Polybij *filiũ, patrem perquirere statuit: & cõsulto oraculo accepit se in* Phocide *patrem inuenturũ, & matrem sumpturum in coniugem.* Quò *cum uenisset, orta inter* Phocenses *seditione,* Laium *conantem reprimere tumultum,*

tumultũ, incognitum interemit. Postremò tanquam oraculo lusus Thebas petens in itinere in Sphyngẽ incidit: quã problematibus solutis cũ occidisset, Thebas intrauit: & quoniã Polybij filius credebatur, Iocastã matrem insciens in uxorẽ duxit, & ex ea quatuor filios genuit. Postea uero cùm se matrẽ sibi coniugio copulasse, patremq; occidisse cognouisset, dolore percitus sibi ipse in pœnã oculos eruit: quem postea cæcũ Antigona filia duxit, & se occidere uolentẽ custodiuit. Vide suprà. Alij dicũt, quòd repudiata matre Astymedusam uxorẽ duxerit, quẽadmodũ superius annotatũ est. Inuenitur & Oedipodes in nominatiuo casu. Claudian.

Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes
Cantatur, &c.

Inde fit Oedipodionides, & Oedipodionius, a, um. Stat. lib. 1. Thebaid.

Oedipodionides furtim deserta pererrat, &c.

Oeneus, rex fuit Calydoniæ, Parthaonis filius, qui ex Althea Thestij filia Meleagrum, Tydeum, & Deianirã genuit, licet alij matrem Tydei Euribœam appellent. Stat. lib. 1. Thebaid.

Vos quæ progenies, quanquã Calydonius Oeneus.

Hinc Oenides, & Oeneis, patronymica: & Oeneius, a, um, adiect.

Oenomaus, rex fuit Elidis & Pisæ, ex Marte & Harpina Asopi, seu ut alij tradunt, Erithoẽ Danai filia progenitus. Vide suprà de Hippodamia.

Oenone, nympha fuit in Ida monte, quam Paris iã adultus amauit, & ex eadem duos filios suscepit: uerùm cũ in Helenes amorem incidisset, priorẽ amasiam reliquit. Vide Ouidium in eorundem epistolis.

Oenotria, dicta est Italia, uel à copia & bonitate uini, uel

uel ab Oenotro Lycaonis filio, qui ex Arcadia in Italiā uenerat. Oenotrij, ipsi populi. Verg. lib. 1. Aeneid.

Oenotrij coluere uiri, nunc (fama) minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem, &c.

Oeta, mons est inter Thessaliam & Macedoniam, in quo Hercules in furorē uersus seipsum combußit, unde & Oetæus uocatur. Ouid. lib. 9.

Impleuitq; suis nemorosum uocibus Oetam, &c.

O G.

Ogyges, rex fuit Thebanorum, qui Bœotias Thebas ædificauit: á quo Ogygius, a, um, id est Thebanus, deducitur, ut Ogygia mœnia: & Ogygidæ, ipsi Thebani. Verg. in Aetna:

Nunc iuuat Ogygijs circūdata mœnia Thebis, &c.

Ogygia, insula maris Phœnicij, in qua Calypso nympha fuit, quæ Vlyssem tempestate adactum hospitio suscepit, & deinde cognitum septem annis detinuit.

O I.

Oicleus, seu Oiclus filius Antiphatis, uel secundū alios Lyncei Argiuorum regis & Hypermestræ, pater Amphiarai uatis Thebani, qui ab eo Oiclides dicitur. Mantuan.

Et sacer Oiclides uertenda ad mœnia Cadmi.

Oileus, rex Locrorum, & Aiacis pater. Verg. lib. 1.

–Et furias Aiacis Oilei, &c.

Alius quoq; fuit Aiax Thelamonis filius.

O L.

Olearos, insula in mari Aegeo una Cycladum, de qua Verg. lib. 3. Olearon niueamq; Paron, &c.

Olenus, urbs Bœotiæ, secundum alios Arcadiæ, ab Oleno Vulcani filio & condita & sic appellata. In hac nu

tritam

tritam ferunt capram illam Amalthеam, eamq; postea Iouem infantē aluisse, & inde Oleniam dictam. Ouid.

Nascitur Oleniæ signum pluuiale capellæ.

Est & Olenus Aetoliæ oppidum, iuxta quod fuit Calydonius aper.

Olympia, ciuitas est inter Ossam & Olympum montes, non procul ab Elide & Pisa ciuitatibus Græciæ, ubi erat templum Iouis Olympici, à quo nō procul agebantur quinto quoq; anno Olympia, orum, hoc est, ludi currules & gymnici, ab Hercule instituti in honorem Pelopis: unde Olympias, ados, spatium dicitur quinq; annorum. Olympias quoq; nomen est matris Alexandri Magni.

Olympus, mons est inter Thessaliam & Macedoniam altißimus, & quoniam propter sublimitatem uidetur contingere nubes, sæpißimè pro cœlo ponitur. Dictus quasi ὁλόλαμπος, id est, totus splendens. Verg. libro primo Georg.

Scilicet atq; Ossæ frōdosum inuoluere Olympū, etc.

Inde fit Olympius, & Olympicus, a, ū. Alius quoq; Olympus est in Gallogræcia: alius in Mysia: alius itē ad mare rubrum, haud longè ab Heleopoli oppido.

Olynthus, urbs fuit Thraciæ iuxta Atticam regionē, sub Atheniensium imperio, quā cum Philippus Macedonū rex obsideret, nec tamen ui capere posset, eiusdē custodes auro corrupit, atq; hoc modo suæ ditioni subiecit. Postea uero ab Atheniensibus deleta fertur: quamuis nō desint, qui à Philippo euersam tradant. Iuuen. Sat. 12.

—Biberat quo callidus emptor Olynthi, &c.

O M.

Omphale, regina fuit Lydorum, filia Iardani, à quo Iardanis

danis appellatur, cuius amore usq; adeo Hercules exarsit, ut ipsa iubente fusos & lanas rudibus illis manibus, quibus portenta quæq; subegerat, attrectauerit. Alij dicunt, quòd ob Iphiti Euryti regis filij cædem, à Mercurio iussu Iouis Omphalæ Lydorum reginæ fuerit in seruitutem uenditus: & inde esse, quòd illi seruisse, & calathos subministrasse dicatur.

O N.

Onchestus, *filius fuit Neptuni, qui Onchesten ciuitatem Micalesso promontorio propinquam condidit, deq; suo nomine appellauit. Hic Meleagrum peperit, de quo suprà.*

O P.

Opheltes, *filius fuit Lycurgi regis Thracum, alio nomine* Archemorus. *uide suprà.*

Ophiuchus, *quasi anguitenens, signum est cœleste, quod quidam putant Herculem esse. Cum enim in Lydia Omphalæ seruiret, interfecit iuxta Sagarim fluuium serpentem totam prouinciam deuastantem: propter quod multis ornatus muneribus ab Omphale regina remissus est Argos: à Ioue uerò anguem manu tenens in cœlum est translatus, & Ophiuchus nominatus. Alij Aesculapium esse affirmant: alij Canobonta Getarum regem. Vide Perottum.*

Opis, *prima longa, nympha & comes Dianæ, de qua apud Vergilium lib. 11. Aeneid.*

Velocem interea superis è sedibus Opim, &c.

Ops, *uel* Opis, *prima breui, filia Cœli, & Vestæ soror, & coniux Saturni, ex quo Iouem, Neptunum, Plutonem, aliosq; plurimos liberos suscepit. Vocatur item alijs nominibus, Cybele, Berecynthia, &c. de quibus suo*

ſuo loco. Ouidius:

Carmina turrigeræ dicere iußit Opi,&c.

Opigena, *Iuno eſt dicta: &* Opalia, *feſta Opis, quæ eodem die, quo Saturnalia celebrabantur.*

Opitergium, *oppidum in Venetia.* Opitergini, *eiuſdem incolæ. Lucan.lib.4.*

Hic Opiterginis moles onerata colonis
Conſtitit, &c.

Opus, *untis, Locrorum ciuitas eſt. Ouidius libro 1. de Ponto, Eleg. 4.*

Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit.

Opuntij *dicuntur populi, &* Opuntius, *a, um. Opuntius ſinus, in mari Aegeo, &c.*

O R.

Orchamus, *Achemenidis filius, qui ex Eurymone coniuge Leucothoën filiam ſuſcepit, quam poſtea uiuam cõfodit, quòd cum Sole concubuiſſet. uide ſuprà.*

Orcades, *alij tamen mediã aſpirant, inſulæ ſunt Oceani ſeptẽtrionalis, ultra Britanniã 30. numero, modicis interſe ſpatijs diſcretæ, nõ lõgè remotæ ab inſula Thule.*

Orchomenus, *mons eſt Theſſaliæ, Minilus antè dictus, à quo* Orchomenũ, *oppidum Bœotiæ quõdam ditißimum & potentißimum, cui Thebani olim tributa ſoluerunt. In eo quoq; fuit tẽplum Gratiarũ ab Etheocle Orchomeniorum rege ædificatum. Eſt & Orchomenus fluuij nomen.*

Orcus, *fluuius eſt inferorum, pro quibus nonnũquam ponitur. Eſt & Theſſaliæ fluuius apud Homerum, quem ex inferis ortũ in Peneũ labi dicit. Quidam Orcum & Stygem pro iiſdem accipiunt. Verg. lib. 4. Aeneid.*

–Stygioq; caput damnauerat Orco, &c.

Oreades,*montium nymphæ sunt,*ἀπὸ τοῦ ὄρεος,*quod montem significat.* Ouid.*lib.*8.

Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

Orestæ, *populi* India, *quos* Lucanus *quoq; ad bellum ciuile uenisse dicit,cum ait lib.*3.

Tum furor extremos mouit Romanus Orestas.

Orestes, Agamemnonis *&* Clytæmnestræ *filius, cui soror* Electra *necem parari ab* Aegisto,*qui patrem* Agamemnona *interfecerat,matrēq; cōstuprauerat,metuēs, ipsum per pædagogum in* Phocidem *clàm ablegat ad* Strophium Phocensium *principē, qui* Agamemnonis *sororem duxerat.*Illic 12.*annos demoratus, cum pædagogo suo* Argos *redit: ubi sub specie hospitum* Phocensium,*quos* Strophius *miserat, ut* Orestis *obitum nūciarent,intromißi ad* Clytæmnestram,*eādem cum* Aegisto *adultero conscia* Electra *in ultionem patris occidit, ut ait* Sophocles *in* Electra. Pyrrhum *quoq;* Macarei *sacerdotis ope in* Apollinis *templo interfecit, eò quòd* Hermionen Menelai *filiam sibi prius desponsatam rapuisset. Propter quæ scelera agitatus est furijs, quibus non antè purgari potuit,quàm ad aram* Dianæ Tauricæ *perpetrata facinora expiauerit.* Vide *suprà* Iphigenia. *Amicum habuit* Pyladem *longè fidißimū, ut qui uitam dare pro amico non dubitauerit.*Verg.

–Et furijs agitatus Orestes,*&c.*

Vide *prouerb.*Oresti *pallium contexere.*

Oreus,*dictus est* Bacchus,*à montibus, in quibus ipsi sacrificabant.*

Orgia,*sacra sunt,ut inquit* Perottus, *quæ dijs immortalibus fiunt,*ἀπὸ τῆς ὀργῆς,*id est,à furore, quia sacrificantes diuino quodam furore corripi uidentur, uel (ut quidam*

quidam putant) ἀπὸ τοῦ θύειν ἐν τοῖς ὄρεσι, quòd in montibus sacra facere dijs solebant, ueluti locis cœlo propinquioribus, ut in Olympo monte, &c. Hinc abusiuè sacra Liberi patris dicta sunt Orgia in Thracia primò ab Orpheo instituta. Hæc ille. Stat. lib. 7. Thebaid.

Et Thebana metu iuratus in Orgia Ganges.

Oricos, siue ut scribunt alij, Orithos, ciuitas est Epyri, uersus Macedoniam, iuxta quam nascitur terebynthus, nigrum lignum, habens soliditatē in buxi speciem. Hinc Oricius, a, um. Verg. lib. 10. –Aut quale per artem

Inclusum buxo, aut Oricia terrebintho,
Lucet ebur, &c.

Orion, filius fuit Iouis, Neptuni & Mercurij. De hoc uariè fabulantur. Cum olim Iupiter, Neptunus, & Mercurius terram peragrarent, superueniēte nocte, ad pauperem quendam Hyreum, quem Aristonicus Erythreum appellat, diuerterunt, qui eos hilari animo suscepit: cūq; deos esse animaduertisset, occiso boue ijsdem sarificium obtulit. Qua deuotione motus Iupiter, iußit ut aliquid peteret, quod optaret: qui dixit, se non habere coniugem, & præmortuæ promisisse, aliā non ducturum, optare tamen filium. Iupiter igitur & reliqui dij corium immolati bouis sumpserūt, in quod cum urinam emisissent, iusserūt, ut terra obrutum completis maternis mensibus solueret. Quod cùm fecisset, inuenit puerum, quem ab urina Orionem nominauit, ut ait Ouidius in Fastis. Adultus deinde euasit uenator maximus, adhæsitq́; Dianæ. Sed cum uiribus fidēs gloriaretur nullam esse feram, quam non conficeret: dijs insolens uerbum ulciscentibus, contigit, ut terra scorpionem pareret, à quo ictus perijt. Diana igitur sa-

tellitis sui obitum grauißimè ferens, cum in cœlum iuxta Tauri sydus constituit. Lucanus uerò à Diana scorpione immisso occisum dicit, & deorum miseratione in cœlum sublatum. Horatius ab ipsa Diana sagittis confossum tradit, eò quòd ui uoluerit eam comprimere. Seruius autem hanc fabulam longe aliter tractat, dicens Oenopionis habitum esse filium, qui cum Candiopen (quam Chrisţophorus Landinus Meropen uocat) sororem uitiasset, à patre excæcatus est. Consulto igitur oraculo responsum accepit, Si per pelagus ad Orientem pergeret, ut oculorum concauitates semper haberet soli expositas, lumina recuperaturum. Quod quum facere conaretur, audito strepitu, ad Cyclopas peruenit: ex quibus unus ipsum humeris suis imposuit, cuius ductu in solē uadens oculos recepit. Hesiodus Neptuni & Euryales filiū facit, à q; patre datū fuisse, ut poßet in summo mari incedere. Alij rursus hanc fabulam diuersè tradunt. Ferunt enim, postquam oculis ab Oenopione priuatus esset, in Lemnū insulam uenisse, & ibidem à Vulcano caballo accepto ad ortum solis perrexisse, & sic uisum recepisse: postea uerò reuersum, Oenopionen ulsci sci statuisse. sed quum hic à ciuibus suis sub terra occultaretur, in Cretam profectum, ibiq; ob insolentiam à scorpione immißo occisum. Est autem signum cœleste, quo oriente maximæ excitantur tempestates. Hinc Vergil. lib. 1. Aeneid.

Cum subito assurgens fluctu nymbosus Orion, &c.

Orithyia, filia fuit Erichthei Athenarum regis, qui Pandioni succeßit in regno. Hanc Boreas sibi in coniugem antea denegatam rapuit, raptam tulit in Thraciam, & ex ea Zethen & Calaim suscepit, qui cū Argonautis

Colchos

Colchos nauigauerunt, & Harpyias fugauerunt. Vide Calais. Proper. lib. 2.

Iam Pandioniæ ceßet genus Orithyiæ.

Orontes, fluuius est Syriæ, per Antiochiam fluens. Ouidius libro 2. Metam.

Arsit & Euphrates, Babylonius arsit Orontes.

Inde Oronteus, a, um, apud Propertium.

Orpheus, filius fuit Apollinis & Calliopes, quē à Mercurio, siue, ut alij habent, à patre Apolline lyram accepiße ferunt, eaq; tantum ualuisse, ut & illius cantu syluas & saxa mouerit, fluuiorum cursum prohibuerit, ferasq; mitiores reddiderit. Eurydicen uxorē habuit: quæ Aristæum uim sibi inferre uolentem fugiens, à serpente occisa est: ob cuius mortem Orpheus maximè cōtristatus, accepta lyra ad inferos descendit: ubi suo cantu à Proserpina uxorem Eurydicē suscepit, ut superius de hac tradidimus. sed quum eandem non seruata lege à Proserpina sibi imposita, rursum amisißet, cœlibē uitam agere statuit: cūq; iam multas nuptias reiecißet, alios insuper à mulierum consortio deterreret, atq; in puerorum pelliceret (Perottus tamē alias causas addit) à Mænadibus inter Bacchi sacrificia iuxta Hebrum fluuium occisus, & discerptus est. cuius mēbra paßim per agros sparsa, Musæ collegerunt, dederuntq; ea sepulturæ. Lyra uerò & caput in Hebrum deiecta, ad Lesbon insulam delata sunt: ubi caput ab incolis sepulturæ mādatū est, lyra autē in cœlum assumpta. Verg. Eclog. 4.

Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus.

Alij Orpheum Oeagri (à quo Oeagrius appellatur) & Polymniæ filium dicunt, atque cum Argonautis Colchos nauigasse, ideoq; assumptum, quod iuxta uati-

cinium Chironis, Sirenes præteriri non poterant, nisi præsente Orpheo. Sunt qui duos Orpheos fuiße dicunt, quorum alterum Colchos nauigasse perhibent. Inde Orpheus,a,um.

Orsilochus, filius fuit Idomenei. Hic patrem sequutus ad expeditionē Troianam, cùm per totum bellum ex uoto omnia succeßißent, in exitu rei ob insolētiam, dum obstarct totis uiribus, ne ex præda capti Ilij sors debita daretur Vlyßi, ab eo occisus est. Alius fuit Alphei filius, qui itidem ad bellum Troianum profectus est. Est etiam Troiani cuiusdam nomen, de quo Verg. lib. 11.

Orsilochum fugiens, &c.

Ortygia, dicta est Delos insula, quòd in ea primo uisæ sint coturnices. ὄρτυξ enim Græcis coturnix est. Vide suprà Asterię. Alia est iuxta Siciliam ex opposito Plemmyrij fluminis. Verg. lib. 3. Aeneid.

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium undosum, nomen dixere priores
Ortygiam, &c.

O S.

Osci, populi antiqui in Italia, ab oris fœditate dicti. Vnde Oscena uerba, id est, impudica, quia frequentißimus fuit Oscis libidinum spurcarum usus. Vergil.

Oscorumq́; manus, &c.

Osiris, Iouis filius ex Niobe, Phoronei filia. Hic quum Phoroneo auo in regno Argiuorum successisset, & plures annos regnasset, Aegialum fratrē regno Achaiæ præfecit, ipse uerò in Aegyptum nauigauit: & ea ditioni suæ subacta Io (quam postea Isidem uocarunt) Inachi filiam duxit, ut suprà habetur: ibiq; uarias artes docuit, unde post mortē unà cum uxore in deorum numerum

numerum relatus est. Tradunt præterea hunc à Typhone fratre ex inuidia interfectum, & mēbratim dilaniatum: cuius membra quum Isis diu quæsiuisset, nec tamē inuenit, in maximos ploratus irrupit. Tandem adiuuantibus reliquis Aegyptijs iuxta Syenen Aegypti urbē inuenit: quæ quum collegisset, in insulam Abato, loco ferè inaccessibili sepelijt. Cùm autem post hæc Aegyptijs iuxta hunc locum apparuisset, existimauerunt hunc Osirim esse, & ut deum honorare cœperūt, mutatoq; nomine, Apim uocauere, quod lingua eorum bouem significat. De huius sacrificijs uide alibi in dictione Apis. *Deinde quoq; Serapim uocarunt.* Tibull.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro solicitauit humum, &c.

Ossa, *Thessaliæ est mons, Centaurorum stabulum: quem Seneca dicit olim coniunctum fuisse Olympo monti. Abundat pinorum copia. Lucanus libro 1.*

Quantus pinifera Boreas cum Thracius Ossæ, &c.

Ostia, *æ, urbs est in ostijs Tyberinis iuxta mare, ab Anco Martio condita, cuius populi* Ostienses *dicuntur: &* Ostiensis *ager.*

O T.

Othris, *mons est Thessaliæ, sedes olim Lapitharum. Lucanus libro 6.*

Solstitiale caput nemorosus submouet Othris.

Quidam primam aspirant.

Othus, *uide suprà* Ephialtes.

DE LITERA P.

P A.

Pachynus, *seu* Pachynum, *penul. producta, promontorium est Siciliæ, Peloponesum spectans, à*

craßitudine aëris nomen habens. Græci enim παχὺ *pingue dicunt. Vergilius lib. 3. Aeneid.*

Præstat Trinacrij metas lustrare Pachyni.

Inuenitur tamen etiam media breui.

Pactōlus, *fluuius est Lydiæ, ex Tmolo monte profluens, in quo cùm se Mydas rex lauaßet, aureis arenis fluere cœpit. Vide suprà* Mydas, *item prouerbium, Pactoli opes. Iuuenalis:*

Quod Tragus, & rutila Pactolus uoluit arena.

Pacuuius, *Brundusinus, poëta tragicus illustris, Ennij poëtæ ex filia nepos, Romæ picturam exercuit, & fabulas uenditauit. deinde Tarentum transgressus, propè nonagenarius obijt. Hunc dicit Quintilianus libro 10. grauitate sententiarum, pondere uerborum, autoritate personarum clarißimum fuisse, citra tamen nitorem.*

Padus, *fluuius est Italiæ, ortum habens ex radicibus Vesuli montis, qui primò paruus, mox triginta amnibus acceptis per septem ostia in mare Adriaticum prorumpit. Lucan. lib. 6.*

Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, &c.

Alio nomine dicitur Eridanus. Vide suprà.

Padusa, *pen. prod. fluuius est, quē alio nomine Messanicū appellant. Quidam Padi brachiū esse dicunt. Claud.*

Eridani ripas, & raucæ stagna Padusæ, &c.

Padua, *ciuitas est Venetiæ, circa Padum fluuium, alio nomine Patauium. Vide infrà.*

Pæan, *alij* Pœan, *antis, pater fuit Philoctetæ, qui ab eo* Pæantiades, & Pæantius *appellatur. Ouid.*

Nec Pœantiaden quòd habet Vulcania Lemnos.

Pæan, *anos, hymnus est in Apollinis laudem factus, pro*

quo

quo etiam sæpenumero ponitur. Iuuenalis:

Parce precor Pæan, &c.

Pæon, *medicus fuit insignis, qui Plutonem ab Hercule uulneratum curauit.* Ab *eo* Pæonia *herba dicta est:* & Pæonius, *a, um, id est, medicinalis, &c.*

Pæstum, *oppidum Lucaniæ, rosarum abundantissimum, ubi ob cœli clementiã bis in anno producebantur fructus, Maio uidelicet, & Septẽbri.* Verg. *lib.* 4. *Georg.*

–Bisferiq; rosaria Pæsti, &c.

Pæstanus, *a, um, apud Vergilium in Rosa.*

Pagasa, *alij Pegasa, Thessaliæ urbs, alio nomine* Demetrias, *iuxta quam Argo nauis extructa est.* Pagasæus, *a, um, adiect. Lucan.*

Vt Pagasæa ratis peteret cum Phasidos undas.

Palæmon, *dictus est* Melicerta, *Athamantis filius, quum marinus deus esset factus. Vide suprà* Melicerta, *item* Athamas, *&c. Latinè Portumnus dicitur. Est & pastoris nomẽ apud Maronem in Eclogis. Item grammatici cuiusdam Vicentini, cui tanta fuit arrogantia, ut secum natas & perituras literas diceret.* Palæmonis ars, *dicta est Grammatica, ab hoc Palæmone. Is enim temporibus Quintiliani Romæ in hac arte maximè excelluit. Iuuenal. Satyr.* 6. –Odi

Hanc ego qui repetit uoluitq; Palæmonis artem.

Palæstina, *regio est Syriæ, Arabiæ contermina, alio nomine* Iudæa. Palæstini, *sunt eiusdem populi. Ab hac Musæ dicuntur* Palæstinæ. *Ouid.*

Sæpe Palæstinas iurat adesse deas.

Palamedes, *filius* Nauplij *regis Eubœæ, à Græcis apud Troiam Vlyßis fraude occisus. Nam cùm omnes totius Græciæ principes ad bellum Troianum conuocarentur,*

rentur, Vlysses ut domi maneret, insanire se finxit, & quò melius rei fidē faceret, iunctis diversæ naturæ animalibus salē serebat. Palamedes autē ut uiri astutiā deprehenderet, Telemachū filiū obiecit: quo uiso Vlysses aratrū subito suspendit, ne eum læderet. Quo argumēto cognita ipsius astutia, ad bellum ire coēgit. Deinde cùm in Thraciam frumentatū iuisset, & nihil portasset, neq; se cōperisse diceret, Palamedes uadens plurimum frumēti aduexit. Quāobrē Vlysses inuidiæ stimulis agitatus, adulterinā Priami nomine epistolā scripsit, in qua agebat Palamedi proditionis gratiā, commemorabatq; secretū auri pondus esse transmissum, quod ipse Vlysses per corruptos seruos infodi curarat. His igitur literis in Græcorū consilio habitis, Palamedem proditionis accusauit, iussitq; ut aurū quæreretur: quo inuento Vlyssis accusatio uera credita est, & Palamedes tanquam proditionis reus, lapidibus obrutus. Ouid. lib. 13.

Vellet & infelix Palamedes esse relictus,
Viueret, &c.

Hic quoq; in bello Troiano quatuor literas, ξ.θ.φ.χ. dationem signi, tesseras, hoc est, signum bellicum, & uigilias inuenit: aciei quoq; ordinem à gruibus didicit, unde & Palamedis aues dicuntur.

Palatinus mōs est in urbe Roma, super quo primùm Roma fuit ædificata. In hoc quoq; primum reges, deinde consules, postea imperatores maiore ex parte sedē habuerūt. Est & Palatinus deus. Et Palatini sunt, quos & Palantes uocāt, qui cum Euandro in Italiam uenerunt, & Aborigenes uocati in quartæ regionis palatio consederunt. Calphur. Eclog. 3. —Nam tibi fas est
Sacra Palatini penetralia uisere Phœbi, &c.

Palatium,

Palatium, *præcipuus fuit mons Romæ, à quo fit* Palatinus,*a,um, ut Palatinus mons, idem, de quo in præcedentibus.*

Palepaphia,*uocatur Venus à Vergilio in Cyri:*
Docta Palepaphiæ testatur uoce Pachinnus.

Pales,*dea pastorum,cuius festa* Palilia,*seu* Parilia *dicũtur, quæ eo die celebrabantur, qui natalis erat urbis Romæ à pastoribus condita.Proper.lib.4.*
Vrbi festus erat,dixere Palilia patres:
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Palici,*duo fratres fuerunt, Iouis & Thaliæ nymphæ filij. De his ita est in fabulis. Cum olim Iupiter Thaliam nymphã in Sicilia iuxta Simethũ fluuiũ non lõgè à Catina urbe compreßisset,ab eodem metu Iunonis, optauit,ut sibi terra dehisceret: quod factum est. Sed cum iustum partus tempus adesset,terra reclusa est,& duo infantes de aluo Thaliæ progreßi emerserunt, appellatiq;* Palici,ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι, *id est, quòd primum in terram mersi, denuo inde reuersi sunt. Tandem à Siciliensibus pro dijs habiti. Verg.lib.9.*
–Genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco,Simethia circum
Flumina,pinguis ubi & placabilis ora Palici.

Palinurus, *promontorium Italiæ prope Veliam urbem: dictum à Palinuro Iasij cuiusdam filio, gubernatore nauis Aeneæ,in eodem sepulto,qui dormiens de puppe in mare deciderat.Vergil.lib.5.*
Iaside Palinure,ferunt ipsa æquora classem.

Pallanteum,*oppidum fuit in monte Palatino, ab Euandri comitibus conditum,& à Pallantis proaui nomine dictum.Verg.lib.8.*

–Et

–Et posuere in montibus urbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Pallas, *ladis, dicta est* Minerua, *filia Iouis,* ἀπὸ τοῦ πάλλειν, *id est, à uibranda hasta, fingitur enim bellorũ dea, & armorum inuentrix. Vide suprà* Minerua, *item* Bellona. *Horat. lib. 1. Carm.*

Sunt quibus unũ opus est intactæ Palladis urbẽ, &c.

Ab ea fit Palladius, *a, um.* *Et* Palladium, *simulacrũ fuit Palladis in urbe Troiana, quod Diomedes & Vlysses cæsis arcis custodibus surripuerũt. Sed postea finito bello Diomedes oraculo iussus, Troianis illud restituit. Est & forum Palladium Romæ, sic dictum ob propinquitatem templi Palladis.*

Pallas, *antis, filius Euandri, qui Aeneæ iunctus collectis copijs contra Turnum eum secutus est, sed mox à Turno in pugna occisus. Verg. lib. 10.*

Ipse caput niuei fultum Pallantis, & ora
Vt uidit, &c.

Alius fuit Pallas Pandionis filius, cuius meminit Ouid. lib. 7. Metam.

Maior habet Clyton & Buthen Pallante creatos.

Pallene, *uide suprà* Pæonia.

Pamphylia, *regio est minoris Asiæ inter Ciliciã & Syriam, à qua uicinum mare* Pamphylicum *dicitur.*

Pan, *filius Dæmorgonis fuisse traditur, & cum Cupidine aliquãdo pugnasse: à quo superatus incidisse in amorẽ Syringis seu Syringæ uirginis, eãq; cũ transire Ladonem Arcadiæ amnẽ non posset, nympharũ precibus in palustrem calamum mutatã uidisse: ex hoc statim cõpo suisse fistulam, quæ ex illius nomine apud Græcos est uocata, septẽ imparibus calamis simul iũctis. unde Verg.*

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, &c.

Hunc præterea deum pastorũ prodiderunt: cumq́; cornua in fronte habuisse in similitudinem radiorum solis & cornuum lunæ: prolixam barbam: faciẽ instar aëris rubentem: partemq́; corporis inferiorem esse hispidam propter feras, arbores, & uirgulta: uirgam quoq; in manu gestare solitum, & fistulam septem cicutis compactam: pedibus præterea caprinis, & aßiduo risu insignem fuisse. Colebatur per totam Arcadiam, potißimum tamen in Lycæo & Mænalo montibus. Festa eius dicebantur Lupercalia, fiebantq́; in Auentino monte, mense Februario, quorum autor fuit Euander.

Panchaia, *regio est Arabiæ tota arenosa, in qua arbores sua sponte natæ thus emittunt. Verg. lib. 2. Georgic.*
Totaq́; thuriferis Panchaia diues arenis.
Ab ea fit adiect. Panchæus, *a, um: &* Panchaij, *dicuntur populi, &c.*

Pandion, *filius Erichthonij Athenarum regis, pater Prognes & Philomelæ, qui cum diu aduersus Thracas bella geßisset, tandem defatigatus Prognen alteram filiam Tereo Thracum regi in coniugem dedit. Alij uerò dicunt, quòd auxilio Terei profligauerit Ponti regẽ, qui tum temporis Athenas obsederat: propter quod meritũ Prognen filiam illi matrimonio copulauit. Eo autẽ mortuo Erichtheus in regno succeßit. Ouid. lib. 6. Metam.*
Puppibus exierant, cum rex Pandione natam
In stabula alta trahit, &c.

Pandōra, *mulier fuit formosißima, à Vulcano Iouis iußu facta, cui singuli dij sua munera dederunt, unde & nomen sumpsit. hanc postea eò quòd Prometheus ignem è*

cœlo abstulisset, ad Epimetheum cum pyxide clausa missam fuisse fabulantur, qui illa recepta, & pyxide aperta, cui omne malorum genus inerat, terram morbis calamitatibusq; repleuit.

Pangæus, *Thraciæ mons Thessaliæ iunctus, apud quem Cæsar à Pompeianis ferè ad deditionem coactus est. Lucan. lib. 1. –Video Pangæa niuosis Cana iugis, &c.*

Pannonia, *regio est Europæ duplex, superior uel prima, quæ hodie Austria dicitur: & inferior uel secunda, quam Hungariam nominant.*

Pannones, & Pannonij, *ipsi populi. Stat. lib. 1.*

Pannoniusq; ferox, arcuq; horrenda fugaci
Armenia, &c.

Item Pannonis, *idos, apud Lucanum lib. 6.*

Panomphæus, *dictus est Iupiter Græcè, id est, omnium uoce colendus. Ouid. lib. 11.*

Ara panomphæo uetus est sacrata tonanti.

Panopæa, *nympha fuit Nerei & Doridis filia, à perspicuitate dicta. Verg. lib. 5.*

Nereidum, Phorciq; manus, Panopæaq; uirgo.

Pantagia, *siue* Pantagias, *fluuius Siciliæ, qui cũ plenus incederet, sonitu penè totam implebat Siciliã. hinc Pantagia dictus, quasi ubiq; sonãs. Sed à Cerere filiã quærente tacere iussus est. Verg. lib. 3. Aeneid.*

–Viuo præteruehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosq; sinus, &c.

Paphlagonia, *regio est Asiæ minoris, inter Bithyniam, Cappadociã & Pontum.* Paphlagones, *ipsi populi. Hos dicit Cornelius Nepos in Italiam transuectos, & mox Venetos uocatos.*

Paphus, *filius Pygmalionis filij Cilicis, ex eburnea ma-*

tre.

tre. Cum enim olim Pygmalion in Cyprũ insulam peruenisset, comperissetq; mulieres omnino libidini obsequentes, cœlibem uitam ducere statuit. Porrò cum ingenio ualeret, essetq; sculptor insignis, dicitur sibi ex cãdidißimo ebore sculpsisse fœmineam imaginem, eamq; iuxta desiderium suum lineamentis & oris decore contraxiße per omnia. In qua cum homo ingeniosus artẽ suam miraretur, in eius amorem incidit, orauitq; Venerem eo tempore celeberrimæ insulæ deam: nec effectu caruere preces, fœmina uera facta est. Cuius postea concubitu Pygmalion usus, ex ea Paphum filium suscepit, qui ei in regno succeßit, cõdiditq; urbẽ in Cypro, quam de suo nomine Paphum appellauit, constructo etiam in eo templo & ara in honorem Veneris, cui diu solo thure sacrificatum est. Verg. lib. 10.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atq; Cythera,
Inde Paphius, a, um.

Parcæ, tres sunt deæ fatales, Clotho uidelicet, Lachesis, et Atropos, Dæmorgonis filiæ, uel ut Tullio placet, Herebi & Noctis. Dicuntur autẽ Parcæ per antiphrasin, quòd nemini parcãt. Alij tamen, inter quos & Varro, à partu potius dictas uolunt, unius literæ mutatione, quoniã (ut scribit Hesiodus) hæ nascentibus hominibus bonum, malumq; conferre censentur. Ferũtur esse scribæ deorum, & sententias Iouis studio ueritatis excipere, metiri quoq; hominũ uitam fusis & staminibus, quæ ex sua colo nent & deducunt: hinc etiã lanificæ dicuntur: inexorabiles item, nullisq; precibus moueri, ut quã imposuerunt rebus seriem commutent, aut uitæ prorogent exitum, quem nascentibus nobis constituerunt. Porrò Lachesin dictam uolunt, ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν, quod

sortiri

sortiri est, ipsa enim net ac filum ducit. Clothon, quòd fusum torquendo, super eo filū trahit ac colligit. Græcis enim κλώθειν torquere est. Atropon, ab immutabilitate, quòd scilicet inexorabilis sit: flecti enim non potest, quin filum truncet, & humanā finiat uitam. Græci ἄτρεπτον, immutabilem dicunt. Vergilius in Cyri:

Concordes stabili fatorum numine Parcæ, &c.

Parethonium, urbs & portus in Aegypto: unde Parethonius, a, um. Lucanus:

Inde Parethoniam fertur securus in urbem.

Parilia, uide suprà Pales.

Paris, alio nomine Alexander, filius fuit Priami ex Hecuba. Hunc cùm mater utero ferret, somniauit se pariturā facem, qua tandem aliquādo conflagraret Ilium. Quod cùm intellexisset Priamus, natum infantē exponi iussit. mater uerò filium formosissimum perspiciens, eius miserta, curauit ut furtim nutriretur à pastoribus in Ida monte. Vbi cùm adoleuisset, Oenonen uirgunculam amauit, & compreßit, suscepitq; ex ea duos filios. Porrò cum in dirimendis controuersijs esset æquißimus, maximam iustitiæ famam sibi comparauit, adeò ut orta inter deas Iunonem, Palladem, & Venerem disceptatione de forma, propter aureum pomum à Ioue cœlitus demissum, in quo scriptum erat, Detur pulcherrimæ, iudex sit constitutus. Quas cùm uidisset nudas, sententiā tulit secundum Venerem, quæ pulcherrimam fœminarum eidem promiserat, neglecto regno quod pollicebatur Iuno, & contempta quam Pallas offerebat sapientia. Præterea cùm esset formosißimus, in agonali certamine, quod Troiæ agebatur, omnes superauit, et ipsū Hectorē. qui cùm iratus, quòd uinceretur, gladiū in eū

stringeret,

ſtringeret, paſtorem putans, dixit ſe eſſe germanum, quod allatis crepundijs probauit, cum adhuc ſub paſtorali habitu lateret. Sic igitur cognitus, à patre receptus eſt. Deinde cōpoſitis uiginti nauibus ſub ſpecie legationis ad repetendam Heſionam in Græciam miſſus eſt: ubi à Menelao hoſpitio ſuſceptus. uerùm cū is abire cogeretur, Paris Helenes amore captus, eam uiro abſente rapuit. Alij tamen dicunt in Græciam ueniſſe, & abſente Menelao Helenes pulchritudine tractum Spartam expugnaſſe, Helenamq; etiam renitentem, & omnes regios theſauros rapuiſſe, & ob id poſtea Helenam à uiro recipi meruiſſe. Ex qua rapina deinde ſecutum eſt bellum Troianum: in quo ſingulari certamine cum Menelao congreſſus, cum penè uinceretur, à Venere ſubtractus eſt. Poſtremò Hectore & Troilo fratribus occiſis, cùm ipſe ſumpto arcu & ſagittis, quibus plurimum ualebat, Achillem ſub prætextu deſponſandæ Polyxenæ ſororis, in tēplo Tymbræi Apollinis interfeciſſet, & ipſe à Pyrrho, ſiue ut aliorū eſt opinio, à Philoctete occiſus eſt: poſt cuius mortem Helena Dei phobo nupſit. Ouid. in Epiſt.

Bella gerant alij, tu Pari ſemper ama.

Parma, *fluuius eſt Galliæ, à quo dicta eſt ciuitas Parma.*

Parnaſus, *mons eſt Phocidis, duos habens uertices, uelut diſtinctos monticulos, quorum alter Baccho, alter Apollini ſacer eſt. unde Lucanus lib. 5.*

—Parnaſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromioq; ſacer, &c.

In eo fuit Apollinis Delphici templum, & fons Caſtalius. Inde fit Parnaſius, *a, um.*

Paros, *inſula eſt maris Aegei, ſic dicta à Paro Iaſonis*

filio, cum antea Platea, item Minoida, seu Minoia uocaretur. Marmor habet candidißimum, quo primò sculptores usi sunt. Hinc fit Parius, a, um. Verg. li. 1. Aene.

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum, Pariusúe lapis circundatur auro.

Ex hac insula fuit Archilochus poëta Iambographus. & hinc Horatius Iambum Parium uocat, cum inquit:

–Parios ego primus Iambos Ostendi Latio, &c.

Parrhasia, ciuitas est Arcadiæ, à qua fit Parrhasius, id est, Arcadicus. & Parrhasis, idos, id est, mulier Arcas, ut Calisto. Lucan. lib. 2.

–Sed nocte sopora
Parrhasis obliquos Elice cum uerteret axes.

Parrhasius, pictor fuit insignis, qui primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias uultus, elegantiam capilli, uenustatem oris expreßit, & artificum confeßione in lineis extremis palmā adeptus est. Vide alia eius opera apud Plinium quàm plurima: superatus tamen est à Timante in Aiace. Vide quoq; infrà Zeusis. Horat. lib. 4. Carmi.

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, ille coloribus, &c.

Parthenius, mons est Arcadiæ, sic dictus, uel quòd uirgines frequēter uenari, uel quòd Veneri sacra in eo facere solebāt. Est etiā fluuius Paphlagonū. Ouid. li. 4. de Pon.

Partheniusq; rapax, & uoluens saxa Cynapes.

Parthenope, ciuitas Campaniæ, à Chalcidensibus, seu Euboicis (ob quod Eubois à Statio dicitur) condita, et sic à Parthenope una Sirenarū appellata. Alio nomine Neapolis. uide suprà. Ab ea fit Pathenopeius, a, um. Ouid. in Epistol. –Nec in uno corpore discors

Parthenope blandis insidiosa dolis.

Pathenopæus,*filius fuit Meleagri & Atalantæ,rex Arcadiæ, qui adhuc puer ad bellum missus, occisus est. Stat.lib.6.Thebaid.*

–Sed Arcada Parthenopeum Appellant,*&c.*

Parthia,*regio est Asiæ maioris,quæ ab* Occasu *terminatur* Media,*ab* Aquilone Hyrcania,*ab* Oriente Aria,*à* Meridie *deserto* Carnaniæ.*Eius populi* Parthi *dicuntur, qui olim adeò sagittis claruerunt, ut fugientes à tergo iacularentur, auersiq; sequẽtes hostes læderent, perinde ac aduersi.* Verg.libro 4.Georg.

Prima leues incunt si quando prælia Parthi,&c.

Pasiphaë,*filia fuit Solis, & uxor Minois regis Cretensium,quæ nefando tauri amore deflagrauit: cui beneficio* Dædali *cõcubuit intra uaccã ligneam inclusa, & septa iuuencæ corio:ex quo concubitu natus est* Minotaurus,*medius scilicet homo,mediusq́; taurus.* Seruius *autẽ dicit eam in domo* Dædali *cũ* Tauro,*scriba regio coiisse,& hinc datã fabulæ occasionẽ.* Verg.Eclog.6.

Et fortunatam,si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën,niuei solatur amore iuuenci.

Pasiphaëus,*a,um,apud* Ouidium.

Pasithea,*una est* Gratiarum, *alio nomine* Aglaia.*Stat.*

Non hoc Pasithea blandarum prima sororum.

Pasithoë *uerò* Atlantis *fuit filia ex* Aethra.

Passalus,*frater fuit* Achemonis,*de quo suprà.*

Patara, *ciuitas est* Lyciæ, *ubi* Apollo *dabat responsa,à qua fit* Pataræus,*a,um,adiect.* Stat.lib.1.Theba.

Phœbe parens,seu te Lyciæ Patarææ niuosis
Exercent dumeta iugis,&c.

Patauium,*ciuitas est* Venetiæ,*alio nomine* Padua *dicta.*

Hanc Antenor condidit, cum diruta Troia nouas sedes quæreret, ut suprà monstrauimus. Verg. lib. 1. Aeneid.

Hic tamen ille urbem Patauï sedesq; locauit.

Patræ, arum, ciuitas est Achaiæ, in Peloponensi promontorio, ex aduerso Aetoliæ posita. Ouid.

Messeneq; ferax, Patræq;, humilesq; Cleonæ.

Patroclus, Menœtij fuit filius & Steneles, qui occiso per ludum astragalorum Clesonymo, seu ut alijs placet, Aeane Amphidamantis filio, solum uertens, Phthiam uenit, ubi à Peleo propter generis propinquitatem susceptus est, & unà cum Achille apud Chironem educatus, cum eodem arctißima amicitia iunctus uixit. Postea etiam cum Achille ad expeditionẽ Troianam profectus est: ubi armis Achillis indutus cum Hectore pugnans, ab eodem confessus occubuit. Quod cùm resciuisset Achilles, tametsi propter ereptam sibi ab Agamemnone Briseida bello abstinere omnino cõstituisset, nihilominus mutato proposito, acceptis etiam à Thetide matre alijs armis à Vulcano fabricatis, ad bellum redijt, nec prius quieuit ex animo, quàm socij mortem quàm crudelißimè uindicauerit. Vide suprà.

Pausanias, dux fuit Lacedæmoniorum, qui cum Aristide Atheniensi uicit Mardonium ducẽ exercitus Xerxis. Sed postea proditionis uictus, exilio mulctatus est. Alius fuit Macedo, qui Philippũ regẽ Alexandri Magni patrem occidit, eò quòd iustitiã sibi sæpe rogatus exercere noluisset. Est etiã autoris cuiusdã Græci nomẽ, qui Hadriani et Antonini imperatorũ temporibus floruit.

Pausias, pictor Sicyonius, Brietis filius, & discipulus Pamphili, qui primus lacunaria pingere instituit. Inde Pausiacus, a, um. Horat.

Vel

Vel cum Pausiaca torpes insana tabella, &c.

Pausilypus, *locus est Campaniæ, non procul à Puteolis: ab amœnitate sic dictus.* A*cti.Syn.Eclog.1.*

Hucillue dum Pausilypi latus omne pererro.

Pegasides, *dicuntur Musæ, à fonte* Hippocrene, *quem Pegasus ungula elicuerat. Ouid.in Epist.Sap.*

At mihi Pegasides blandißima carmina dictant.

Pegasus, *equus fuit alatus, ex Neptuno & Medusa, siue ut Ouidio placet, ex sanguine cadente ab occisæ Medusæ capite procreatus. Hoc Perseus usus est, cum ad Gorgones proficisceretur. item* Bellerophon, *cum aduersus Chimeram expeditionem sumeret. Porrò ferunt hūc equum saxo in Helicone monte pedis ungula percusso, fontem* Hippocrenē *elicuisse. Tandem in cœlum sublatus, inter sidera collocatus est. uide suprà* Bellerophon. *Ouid.lib.4.de Pon.*

Sed tantum uirtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equus.

Ab eo fit Pegaseus,*a,um: &* Pegasis,*idos. Est etiam Pegasus ciuis cuiusdam Albani nomē. Est & uiri nomē apud Maronem, libr.11.ubi similiter primam corripit.*

Pelasgi, *Thessaliæ populi, à Pelasgo Neptuni filio sic dicti. &* Pelasgis, *mulier ex hac regione. &* Pelasgis, *ipsa Theßalia. Alij Pelasgi fuerunt in Asia, iuxta Lyciam, quorum urbs fuit* Pelasgia. *Verg.lib.2.Aeneid.*

Dixerat, ille dolis instructus, & arte Pelasga.

Pelethronij, *dicuntur Lapithæ, à Pelethronio Theßaliæ oppido. Verg.*

Frena Pelethronij Lapithæ, gyrosq́; dedere.

Peleus, *Acaci filius, & Aeginæ, qui ex Thetide Achillem suscepit, qui à patre* Pelides *uocatur. Stat.lib.2.Syl.*

Semifer Aemonium uincebat Pelea Chiron. Ouid.
Pelides utinam uidiſſet Apollinis arcus.

Pelias, *filius Neptuni ex Tyro nympha, Salmonei regis Salaminiæ filia, patruus Iaſonis, qui à proprijs filiabus Medeæ opera interfectus eſt.*

Pelias, *dicta eſt Achillis haſta, quam nemo præter Achillem uibrare ob magnitudinem poterat. Hanc à Pallade decorticatam & politam, à Vulcano cuſpidatam fuiſſe ferunt. Ouid.*
Tranſeat Hectoreum Pelias haſta latus.

Peligni, *populi Italiæ, Marſis uicini, quorum metropolis eſt Sulmo, Ouidij patria. Eſt &* Pelignum, *oppidum Marſis uicinum, in cuius agro peſsima naſcuntur uina. Inde* Pelignus, *a, um. Martial.*
Marſica Peligni mittunt turbata colonis,
Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.

Pelion, *mons eſt Theßaliæ, ab orientali parte, in cuius uertice pineta abundant, in reliquis partibus quercus. Ouidius:*
Pelion Aemoniæ mons eſt obuerſus in Auſtros,
Summa uirent pinu, cætera quercus habent.

Pelius, *quidam fuit, quem Acaſtus Peliæ Iaſonis patrui filius falsò apud ſe de ſtupri appellatione ab uxore accuſatum, in Pelio monte omnibus armis ſpoliatum feris deuorandum reliquit, &c. Vide ſuprà* Acaſtus.

Pella, *urbs eſt Macedoniæ, in littore Aegei maris, illuſtrata maximè natalibus Philippi Macedonum regis, & Alexandri eiuſdem filij, unde uterq;* Pellæus *uocabatur. Iuuenalis:*
Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis. Lucan.
Illic Pellæi proles ueſana Philippi, &c.

Pelopea, *filia fuit Thyestis, ex qua ipse Thyestes pater Aegistum sustulit, sicuti edoctus fuit ab oraculo. Vide suprà* Aegistus, *item* Atreus.

Peloponesus, *regio est Graciæ, inter duo maria, Ionium uidelicet & Aegeum sita: sic dicta quasi Pelopis insula, quòd Pelops in ea regnarit. Alio nomine Achaia, hodie uerò Morea dicitur.*

Pelops, *Tantali Phrygum regis & Taygetæ filius, cuius pater ut diuinitatē experiretur, cum dijs quasi carnem aliam epulandam apposuit: à cuius esu cum dij abstinuissent, sola Ceres humerum pueri depasta est. Quapropter dij reuocato ad uitam Pelopi eburneum humerum addiderunt. Vxorem postea sumpsit Hippodamiā uicto eiusdem patre Oenomao Achaiæ rege curruli certamine, siue ut alij uolunt, bello. Vide suprà de* Hippodamia, *&* Myrtilo. *Ouidius in Episto.*

Tantalidæ Pelopis Tyndareiq; genus.

Pelopidæ *dicuntur filij Pelopis, ut Atreus & Thyestes. &* Pelopeius, *a, um, posseß.*

Pelorus, *Siciliæ promontorium Italiam uersus: dictum à Peloro gubernatore nauis Annibalis ibidem sepulto. Ouid. lib. 5. Metam.*

Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro.

Pelusium, *unum est de septem ostijs Nili, Arabiam separans ab Aegypto. Item oppidi nomē, quod est ad Casiū mōtē, in quo & templū Iouis Casij est. Vide suprà. Hinc fit* Pelusius, *&* Pelusiacus, *a, um Ver. in Geor.*

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis, &c.

Penelope, *filia fuit Icarij, & Vlyßis coniux, ex quo Telemachum suscepit. Ferunt hanc fuisse castitatis adeò incorruptæ, ut absente per uiginti annos marito Vlysse, nullis*

se, nullis procorum blanditijs, nullis pollicitationibus ad uiolandam, quam marito promiserat fidem, induci potuerit. Quum autem acrius instarent amatores, eos hac conditione eludebat, ut tum se promitteret nupturam, ubi telam quod habebat in manibus, absoluisset. Quam conditionem posteaquam illi accepissent, mulier astuta, quod interdiu texuisset, noctu retexebat, donec re à procis comperta, à tela prohibita est. Sed quũ Vlysses redijsset, occisis procis uxorem suam sibi rursus copulauit. Ouidius in Epistolis:

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysses, &c.

Ab ea fit Penelopæus, *a, um, apud Ouidium libro quinto Tristium.*

Peneus, *fluuius est, ex Pindo monte fluens, per Ossam & Olympum montem decurrit, collibus dextra læuaq; molliter curuis, non paruo spatio nauigabilis, in eo cursu Tempe, quinq; millium passuum longitudine, & ferme sex latitudine, pulcherrimum agrũ facit. In eius ripa poëtæ fabulantur Daphnen in laurum fuisse conuersam, quæ propterea uocatur* Peneia, *&* Peneis, *idos, quasi filia Penei. Ouid lib. 1. Metam.*

Est nemus Aemoniæ, prærupta quod undique claudit
Sylua, uocant Tempe, per quæ Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis uoluitur undis, &c.

Pentapolis, *regio est Aphricæ, quæ & Cyrenaica dicitur.* *Vide suprà.*

Penthesilea, *regina fuit Amazonũ, quæ Troianis in auxiliũ uenit, sed ab Achille occisa est. Verg. lib. 1. Aene.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.
Penthesilea furens, &c.

Pentheus, *filius fuit Echionis regis Thebarum, & Agaues,*

ues: qui dum Bacchi sacra contemneret, à matre cæte-
risq; Mænadibus dilaceratus est. Proper.

Pentheus in triplices funera grata greges.

Vide Agaue.

Perga, oppidum est Pamphyliæ, in quo maximè olim co
lebatur Diana. Vnde & Pergæa dicta est.

Pergama, orum, dicuntur muri Troianæ urbis. reperi-
tur tamen apud unum Senecam Pergamus pro Perga-
ma positum. Vergil.

Namq; uidebat uti bellantes Pergama circum, &c.

Pergamus, ciuitas est in Asia minore, quæ fuit Attali re
gis: cuius meminit D. Ioannes in Apocalypsi. Ab ea fit
Pergameus, a, um: & Pargamenum, substantiuum.

Peribæa, filia fuit Eurymedōtis, ex qua Neptunus Nau
sithoum genuit Alcinoi patrem.

Pericles, nomen est inclyti ducis Atheniensium, philoso-
phiq;, qui 40. annis Atheniensium Rempublicam gu-
bernauit. Ferunt hunc tanta facundia excelluisse ut ful-
minare magis quàm perorare diceretur. Baptist. Pius:

Quem redimunt Veneris famulæ, Græciq; Periclis.

Periclymenos, Nelei fuit filius, cui à Neptuno auo con
cessum, ut posset in quas uellet se transformare figuras.
Quū igitur Hercules bellū contra Neleū gereret, ipse
in muscam uersus, ab Hercule, consilio Palladis, quæ
illum prodebat, claua interfectus est, quum ille aculeū
Herculi, ceu solent muscæ grauiores, immisisset. Oui-
dius autem libro 12. Metamor. fabulatur Periclyme-
num in aquilam uersum, ab Hercule, quem plurimùm
unguibus uncis infestabat, sagitta in sublimi confossum,
quum inquit:

Mira Periclymeni mors est, cui posse figuras

Sumere quas uellet, rursusq; reponere sumptas, etc.

Perillus, *fabricator fuit Atheniẽsis ingeniosissimus, qui, ut Phalaridi tyranno placeret, uenit Agrigentum, & ex ære taurum fabricauit, posita in latere ianua, per quam reus includeretur: qui dum subiectis ignibus torqueretur, non uocem hominis, sed bouis mugitum uideretur emittere: quod primus ipse tyranni iussu fuit expertus, cùm potius magnum aliquod præmium expectaret.* Ouid. *lib.* 1. de Arte:

Et Phalaris tauro uiolentus membra Perilli
Torruit: infelix imbuit autor opus.

Ab eo fit Perillæus, *a, um, apud* Ouidium.

Perinthus, *urbs Thraciæ metropolis, alio nomine Heraclea. Vide suprà.* Perinthi, *dicuntur incolæ.*

Permesis, *seu* Permessus, *fluuius est ex Helicone, per Bœotiam in Copardem lacum fluens, Phœbo & Musis sacer, quemadmodum fons Caballinus. Vergil.*

Tunc canit errantem Permeßi ad flumina Gallum.
Martialis:
Quid tibi cũ Cyrrha? quid cum Permeßidos unda?

Pero, πηρώ, *filia fuit formosissima Nelei, quam Bias Melampodis frater in uxorem duxit. Vide suprà de* Melampode.

Perrhebe, *urbs est Thessaliæ: &* Perrhebi, *populi, qui Lapitharum potentia fracti, profugerunt in loca montana, uicina Pindo Thessaliæ monti. Propert. lib.* 3.

Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi?

Persa, *filia fuit* Oceani, *ex qua Sol Aeetam concepisse fertur.*

Perseis, *idos, &* Perseus, *a, um. Vide suprà de* Hecate.

Persephone,

Persephone, *dicta est Proserpina, Cereris & Iouis filia, quam Pluto rapuit, & uxorem duxit. Ouid. in* Epist.
Persephone nostras pulsat acerba fores.
Persepolis, *urbs est Persidis, à Perseo condita, quam postea* Alexander Macedo *uino & epulis calens demoliri fecit.*
Perses, *rex fuit Macedoniæ, qui uictus à* Paulo Aemilio, *ductus est in triumphum* Romam *cum filijs. Quem tamen ut captum sibi adduci uidit,* Paulus *fortunam eius miseratus fleuit.* Perijsse *fertur in carcere animi mœrore confectus, uel ut alij uolunt, uigilijs maceratus.*
Persia, *seu* Persis, *idos, regio est Orientalis, à Perseo sic cognominata, ab ortu Carmania, ab occasu Susiana, à meridie parte sinus Persici, à septentrione Media terminatur.* Persæ, *dicuntur populi luxu & delicijs corruptißimi, de quorum moribus multa collegit* Rauisius *in* Epithetorum *opere.* Propert.
Persarum statuit Babylona *Semiramis urbem.*
Persicus, *a, um, adiect.* Horat.
Persicos odi puer apparatus, &c.
Perseus, *filius fuit Iouis &* Danaës, *Acrisij Argiuorum regis filiæ, quem auus cum matre exposuit (ut superius auditum est) sed inuenti à piscatore ad Pilumnũ regem delati sunt, qui Danaën uxorem duxit,* Perseum *uerò* Phylodectæ *Magnetis filio, Seriphæ insulæ regi, educandum tradidit. Adultus igitur* Perseus *expeditionẽ sumpsit aduersus* Gorgones: *Medusam interfecit, cuius caput secum accipiens* Atlantem *in saxũ uertit. Deinde Andromedã marino monstro expositam liberauit. Bellũ quoq; geßit cõtra* Phineũ, *qui* Andromedã *sibi prius desponsatam ui auferre uoluit, in quo multos occidit,*
multos

multos in saxa uertit. Prœtũ quoq; & Acrisiũ auũ in saxa transformauit. Postea bellum in Persas suscepisse traditur, & in eodem Liberũ patrem aduersus ipsum consistentem interfecisse, mox subactam nationẽ de se nominasse, ibiq; Persepolim urbem condidisse. Postremo in cœlũ sublatus est cum Andromeda uxore, & inter astra collocatus. Inde Persęus, *a, um. Proper. lib. 3.*

Sectaq; Persæa Phocidos arua manu, &c.

Vide *supra* Acrisius, Andromeda, Atlas, *&c.*

Perusia, *oppidum est* Hetruriæ, *ab Achæis conditum, in quo M. Antonius ab Augusto obsessus, quum extrema fame laboraret, annonæ penuria coactus est deditionẽ facere. Lucan. lib. 11.*

His Cæsar Perusina fames Mutinæq; labores
Accedant fatis, &c.

Pessinus, *untis, oppidum in Phrygia, nobile habens emporium, à simulacro deæ Cybeles cœlitus in eum locum delapso, sic dictum. Apud hoc colebantur* Orgia *matris deûm, quæ inde* Pessinuntia *dea dicta est.*

Petilia, *oppidũ est Calabriæ, à Philoctete cõditũ. Verg.*

Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro, &c.

Petrea, *pars est Arabiæ, sic nominata à Petra oppido, quod Nabathei incolunt.*

Peuce, *insula est borealis ostijs Danubij opposita. Valerius Flaccus lib. 8.*

Danubij uiridemq; uident ante ostia Peucen.

Phæaces, *populi fuerũt in Corcyra insula, quæ &* Phæacia *dicta est. Hinc* Phæacius, *a, um, &* Phæacus, *a, um, adiect. Proper. lib. 3.*

Nec mea Phæacas æquant pomaria syluas.

Phædra, *filia fuit Minois, & Pasiphaês, & uxor Thesei,*

sci, quæ priuignum suum Hippolytũ *falsò detulit apud patrẽ, quasi de stupro eam appellauerit, cum scelerata mulier illum oraret concubitum, exorare tamen non posset. Vide suprà* Hippolytus. *Verg. lib. 6. Aeneid.*

His Phædrã, Procrinq́; locis, mœstãq́; Eriphylẽ, etc.

Phæstia, *urbs est Cretæ, à Minoë extructa, postea uerò à Cortinijs deleta. Ouid. lib. 6. Metam.*

Proxima Gnosiaco quam quondam Phæstia regno
Progenuit tellus, &c.

Phaëthon *filius fuit Solis & Clymenes, q̃ cũ doleret obiectũ sibi ab Epapho Aegypti rege, quòd esset de Sole, sed adulterio procreatus: duce matre uenit ad Solẽ, & poposcit, ut si uerè eius esset filius, petenda præstaret: quod cum Sol iurasset per Stygiam paludẽ, se esse facturum, petit ille ut eius currus agitaret. Sol igitur cũ iusiurandum negare non posset, filium à proposito dehortari conatus est: sed cum illud obtinere nõ posset, filio currum tradidit. Qui cum uiã Solis excessisset, totũ orbem incendit: quare Iupiter iratus Phaëthontem fulmine in Eridanum deturbauit. Ouid. lib. 2.*

Hic situs est Phaëthon currus auriga paterni,
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Phaëthontiades, *dicuntur sorores Phaëthontis, uide suprà* Heliades, *item* Lampetia.

Phaëtusa, *Solis fuit filia, uide suprà* Heliades, *item* Lampetia.

Phalantus *Lacon quidam fuit, de quo refert Seruius lib. 3. Aeneid. Cum olim Lacones & Athenienses diu inter se bella tractarant, & cum utraq; pars affligeretur: Lacones quibus iuuentus deerat, præceperunt ut uirgines cum quibuscunq; concumberent: factumq́; est, ut*

post sedata bella iuuentus incertis parentibus nata, & patriæ & sibi esset opprobrio: nam Partheniatæ dicebantur. acceptoitaq; duce Phalanto octauo ab Hercule, profecti sunt, delatiq; ad breue oppidū Calabriæ, quod Tharos Neptuni filius condiderat, id auxerūt, & prisco nomine Tarentum appellauerunt. Hæc illc. Horatius libro secundo Carminum:

Et regnata petam Laconi rura Phalanto, &c.

Hinc Phalantæus, *a, um.*

Phalaris, *Agrigentinorum tyrannus fuit crudelißimus, cui Perillus æneum taurum donauit. uide suprà* Perillus. *Ouid. lib. 3. Trist. Eleg. 11.*

Dixerat: at Phalaris pœnæ mirandæ repertor, &c.

Phanēus, *mons est in Chio insula, ferax optimi uini: à rege eiusdē nominis sic dictus. Vnde Verg. lib. 2. Georg.*

Tmolius assurgit, quibus & rex ipse Phaneus.

Phao, *fuit pulcherrimus hominū, quē iter lactucas Venus occultauit, à qua ferūt ei oblatū alabastrū unguēti: quo cū se obliuisset, factus est omniū formosißimus, & propterea adamatus à Mitylenæorū mulieribus, maximè à Sappho poëtria Scamādronimæ filia.* Ouid. in Epist.

Arua Phaon celebrat diuersa Typhoidos Aetnæ.

Pharao, *antiquißimus Aegypti rex, à cuius nomine reliqui omnes usq; ad Solomonis tempora Pharaones dicti sunt. Pharao enim lingua Aegyptiaca regem sonat, ut testatur Iosephus.* Politian.

Demerso insignem cecinit Pharaone triumphum.

Pharia, *insula prope Ideram Dalmatiæ urbem, quæ hodie Lisna dicitur. Item urbis nomen in eadem insula, à qua* Pharienses.

Pharos, *Aegypti insula contra Nili ostia, à nauclero*

Menelai

Menelai ibidem sepulto nuncupata. In ea Ptolemæus Aegypti rex fecit turrim altißimam, inter septē orbis miracula connumeratā, talentis 800.nō ad aliū usum, quàm ad nocturnos ignes nautarū cursui ostendendos. eius operis architectus fuit Sostratus.Proper.libro 2.

Et Ptolemææ littora capta Phari.

Ab ea fit Pharius,*a,um.*

Pharnax,*Mithridatis filius, Pompeio contra patrem fuit, quem etiam ad mortem compulit. Postea cum Cæsari rebellaret, uno (ut inquit L. Florus) & non toto prælio more fulminis obtritus est.Lucan.*

—Nec Pharnacis arma

Tigranemq; meum,&c.

Pharsalos,*seu* Pharsalum,*Thessaliæ oppidum, in ripa Enipei fluminis situm,de quo Lucanus libro sexto:*

Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis.

Iuxta hoc sunt campi Pharsalici(quos & Philippicos appellant)in quibus Cæsar cum Pompeio manus conseruit.Et Pharsalia,*dicitur regio:quam & Pyrrhiam, à Pyrrho:Aemoniam,ab Aemo monte: Emathiam, ab Emathione duce: Thessaliam, à Thessalo:Macedoniam,à Macedone nominarunt.*

Phasis,*is,& idos,magnus Colchorū fluuius ex Armeno monte oriens in Euxinum mare labitur.Lucan.*

Colchorum qui rura facit ditißima Phasis.

Est & Phasis ciuitas Colchorū,emporiū celeberrimū. hinc Medea dicitur Phasias.*Ouid.lib.2.de Arte:*

Barbara per natos Phasias ulta suos.

& Phasius,*a,um.*

Pheneus,*lacus est Arcadiæ,cuius aqua nocturno tempore noxa est,die autem salutaris.Ouidius lib.15.*

Est

Est lacus Arcadiæ Pheneum dixere priores.

Pheræ, *oppidum est Thessaliæ, quod Strabo dicit conterminum Pelasgicis campis ad Magnesiam, qui usq; ad Pelium montem porriguntur. Hinc fit* Pheræus, *a, um, id est, Thessalus.* Ouid. *in* Epist. *Oenones:*

Ipse repertor opis uaccas pauisse Pheræas
Fertur, & à nostro saucius igne fuit.

Hinc Iason quidam Pheræus, de quo ait Cicero lib. 1. Offic. non ille Argonauta, de quo suprà.

Pherecides, *philosophus Syrus, & poëta tragicus, qui floruit regnante Seruio Tullo apud Romanos. Primus (ut inquit Cicero in 1. Tusc. Quæst.) dixit animos hominum esse sempiternos. Præceptor fuit Pythagoræ. Perijt phthiriasi, id est, pediculari morbo. Serenus:*

Sed quis non paueat Pherecidis fata tragœdi.

Phidias, *statuarius Atheniensis, claruit deorum imaginibus sculpendis. Idem fecit statuã Mineruæ ex auro & ebore, amplitudine 26. cubitorum: in cuius scuto cælauit prælium Amazonum, & gigantomachiam: in soleis pugnam Lapitharum & Centaurorum. Ab eo fit* Phidiacus, *a, um. Martial. lib. 6.*

Quis te Phidiaco formatam Iulia cælo,
Aut quis Palladiæ non putet artis opus?

Philæni, φίλαινοι, *duo fratres fuerũt Carthaginienses, qui pro ampliatione suæ reip. se uiuos sepeliri sustinuerũt. Nam cum Carthaginienses & Cyrenenses diu certassent inter se de finibus agrorum, tandẽ ita cõuenerunt, ut certo tempore duo uiri ex utraq; ciuitate exirent, et ubicumq; sibi obuiarẽt, ibi utriusq; ciuitatis finis esset. Missi igitur ex Carthagine urbe Philæni fratres, longè processerunt in Cyrenensium fines, antequàm illi aduenirent.*

aduenirent. Tandem cum & Cyrenenses uenissent, seq́ȝ præuentos uidissent, grauiter indignati, proposuerunt Philænis, ut nisi retro cederent, uiui illic infoderentur. Quod cũ factũ esset, Carthaginiẽses in perpetuã rei memoriam Philænis aras cõstituerunt. Vide Solin.ca.40.

Philammon, *filius fuit Apollinis ex Chyone nympha, clarißimus fuit carmine & cithara. uide suprà*, Chyone. *Ouidius lib.11.*

Nascitur è Phœbo (namq; est enixa gemellos)
Carmine uocali clarus, cytharaq; Philammon.

Philemon, *uide suprà* Baucis.

Philetas, *poëta fuit elegiographus ex insula Cô, qui Philippi & Alexandri Macedonum ætate floruit. Præceptor fuit Ptolemæi Philadephi. Suis carminibus celebrauit Battidem puellam, quam adamauit. Fuisse fertur corpore adeò tenui, ut necesse fuerit ei plumbum adhibere, ne uentorum flatu raperetur. Politian.*

– Nec Cous ad hæc non sacra Philetas,
Quanquã est æger, adest, quanquam uestigia lento
Fulta grauat plumbo, &c.

Philippi, *orum, Thessaliæ ciuitas, à Philippo Macedonum rege condita, qui eam de suo nomine Philippos nominauit. Iuxta hãc sunt campi* Philippici, *in quibus Cæsar & Pompeius primò, deinde Augustus et Caßius pugnauerunt.*

Philippus, *Macedo, filius Amynthæ, Olympiadem uxorem habuit, ex qua Alexandrum Magnum suscepit. Tandem cum multas urbes, & regiones, utcumq; potuerat, imperio suo subiecisset, à Pausania adolescente interfectus est, natus annos quadraginta septem.*

Philoctetes, *Pæantis filius, & comes Herculis, cui idem*

moriens in Oeta *monte mandauit, ne cui corporis sui reliquias indicaret, idq; iurare eum adegit, deditq; pro munere pharetram & sagittas* Hydræ *felle intinctas.* Aduenient*e uerò tempore, cum* Delphico *oraculo moniti essent* Græci, *ad euertendam* Troiam *sagittis* Herculis *opus esse, inuentus* Philoctetes, *& de* Hercule *interrogatus, negauit se primò aliquid de* Hercule *scire: tandem uerò mortuum esse confessus est, & cum grauiter ad indicandum sepulchrum cogeretur, ne iusiurandum uiolaret, ictu pedis locum ostendit. cumq; ad bellum* Troianum *deduceretur, quia ipse solus* Lernæis *sagittis uti poterat, unius sagittæ casu in pedē, quo* Herculis *tumulum monstrauerat, uulnere penè immedicabili affectus est.* Tandem *cum uulneris fœtor à* Græcis *ferri non posset, in* Lemno *relictus est. sed occiso* Achille, Vlysses *in* Lemnum *regressus, illas retulit comitante domino, ut inquit* Ouidius *libro 3.* Metam. Deuicta *autem* Troia, *pudore, ne in patriam æger rediret, impeditus, in* Calabriam *uenit, ibiq;* Petiliam *condidit.* Verg. *libro 3.* Aeneid.

–Hic illa ducis Melibœi
Parua Philoctetæ *subnixa* Petilia *muro, &c.*

Tandem *opera* Machaonis *medici sanatus est,* Propertio *teste, qui inquit:*

Tarda Philoctetæ *sanauit crura* Machaon.

Philomela, *filia fuit* Pandionis *regis* Athenarum, *uide* Progne. Ouidius *libro sexto* Metamorph.

Vt *simul imposita est pictæ* Philomela *carinæ.*

Phineus, Agenoris *fuit filius, ut* Hellanicus *ait, ut* Hesiodus, Phœnicis & Caßiopeæ, Agenoris *nepos, frater* Cilicis, Dorycli & Atamini. *Hic igitur rex* Arcadiæ, *uel, ut alij,* Thraciæ, *uel, ut rursus alij,* Paphlagoniæ,

uxorem

uxorem duxit Cleopatram, quam quidam Stenobœam uocant, ex qua genuit Orythum, & Crambim, ut Sophocles: ut alij, Mariandinum & Thynum: uel ut rursus alij, Palæmonem & Phinea: quibus mortua priore coniuge Cleopatra Harpalycen, Calais & Zethæ sororem (quamuis Flaccus non Harpalycen, sed Cleopatram Boreadum sororem appellet, cui etiam Apollonij Cōmentarius assentit, qui libro primo dicit, Phineum Cleopatrā Boreæ & Orithyiæ filiam uxorem duxisse, secundam uerò Idæam Dardani filiam) nouercam superinduxit, cuius suasu filios suos ex Cleopatra susceptos excæcauit. Quapropter & ipse excæcatus à dijs, & Harpyiæ contra eum missæ, quæ cibos, & mensam eius turpißimè fœdarunt. Postea uerò aduenientibus ad ea loca Argonautis, à Calai & Zethe fratribus alatis rursus ad Strophades insulas fugatæ sunt, uide supra Calais. Postremo occisus est ab Hercule, cùm is in solitudine liberos Phinei offendisset excæcatos, comperissetq; eos calumnijs nouercæ eiectos fuisse, &c. Hinc Phinæus, a, um, apud Senecam: & Phinæius, a, um, apud Vergilium lib. 3. Aeneid. —Quas dira Celæno

Hapyiæq; colunt aliæ, Phineia postquam
Clausa domus, mensasq; liquere priores, &c.

Phlegeton, fluuius est infernalis flammis æstuantibus rapidus, unde ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est ab ardendo dictum uolunt. Verg. lib. 6.

Mœnia lata uidet, triplici circundata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton, torquetq; sonantia saxa.

Hinc fit Phlegetontæus, a, um: & Phlegetontis, idos,

Phlegias, Martis filius, rex Lapitharum in Thessalia, à quo Phlegiæ Thessaliæ populi sunt cognominati. Hic liberos habuit Ixionē, & Coronidē nympham: quam cum ab Apolline uitiatam sensisset, confestim ira percitus templum eius Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus, ipsum sagittis interfecit: insuper & ad inferos detrusit, ubi hac pœna afficitur, ut sub ingenti saxo ruinam minitante sedens, semper illud casurum suspicetur, & timeat. de hoc ita Vergilius libro 6.

–Phlegiasq; miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur uoce per umbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Phlegon, Solis equus, dictus ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est, ab ardendo. uide Aethon.

Phlegra, locus est in Thessalia, à quo Phlegræi campi dicuntur, in quibus gigantes à Ioue fulminati sunt. Sat. libro decimo:

Quænam spes hominū tumidæ post prælia Phlegræ?

Sunt & alij campi Phlegræi in Campania, in quibus Hercules cum gigantibus pugnauit, ubi & eos fugasse dicitur.

Phocæi, seu Phocenses, Ionum populi fuere, qui ob multa mala communi sensu patriam reliquerunt, diris execrationibus se deuouentes, si unquam quisquam rediret in patriam. Tandem in Galliam delati Maßiliam condiderunt. De his Horat.

Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
Velut profugit execrata ciuitas, &c.

Vide quoq; Eras. in prouerb. Phocensium execratio.

Phocis, idos, parua regio est Græciæ inter Bœotiam & Aetoliam. in ea est oppidum Delphi, in quo Apollo oracula

oracula reddidit: item Parnasus, mons, cum fonte Castalio, & Cephiso amne. Phocenses, dicuntur populi. & Phocaicus, a, um. Lucan. lib. 3.

—Amphisa manus, scopulosaq́; Cyrrha, &c.

Et Phocæus, a, um, apud Ouid. de Ponto.

Phocus, filius fuit Aeaci, cuius meminit Ouid. lib. 7. Met.

Phœbus, dicitur Apollo, id est, purus & splendidus. & Phœbe, id est, Diana seu Luna. Inde Phœbęus, a, um. Verg. lib. 3. Aeneid. —Phœbææ lampadis instar, &c. Et Phœbas, ados, sacerdos Apollinis, & mulier uaticinans. Sidon.

Nec sic intortum uiolatæ Phœbados ultrix
In Danaos fulmen iecit, &c.

Phœmonoë, Phœbi filia fuit, & uates, quæ primũ carmẽ Heroicum cecinisse dicitur. De hac Stat. lib. 2. Syl.

—Referetq́; arcana pudicos Phœmonoê fontes.

Est & Phœbados cuiusdam nomen apud Lucanum libro 5. cum inquit,

Phœmonoën errare uagam, curisq́; uagantem.

Phœnicia, & Phœnice, maioris Asiæ regio, & Syriæ pars, Iudææ propinqua: à Phœnice rege hoc nominis sortita. In ea sunt Tyrus, Sidon urbes: Carmelus & Libanus montes, in quibus thura leguntur. Phœnices, dicuntur populi. & Phœnissa, mulier ex Phœnicia. & Phœniceus, a, um, adiect. ut Phœniceũ mare. Et Phœniceus, a, um, id est, purpureus, à palma, quæ Græcis φοῖνιξ est, cuius fructu purpura tingitur.

Phœnix, filius fuit Agenoris, Cadmi frater, qui Phœnicibus imperauit, à quo etiam nomen acceperunt. Literas quasdam inuenisse dicitur. Lucili.

Phœnices primi (famæ sic redditur) ausi

Mensuram rudibus, uocem signare figuris, &c.

Alius fuit Phœnix, Achillis præceptor, & Amyntoris filius, à quo Amyntorides appellatur. Ouid. in Ibin:

Id quod Amyntorides uideas, &c.

Est & fluuius Thessaliæ, qui in Asopum fluit.

Pholoë, *mons est Arcadiæ syluosus, in quo Centauri morati sunt. Lucan.* —*Tabemq; cruentæ*

Cædis odorati Pholoën liquere leones, &c.

Est etiam famulæ cuiusdam nomen apud Verg. lib. 5.

Olli serua datur operum haud ignara Mineruæ,

Cressa genus Pholoë, &c.

Pholus, *unus fuit Centaurorum Ixionis & Nubis filius. de quo Verg. lib. 2. Georg.*

Bacchus & ad culpam causas dedit ille furentes,

Centauros leto domuit, Rhetumq;, Pholumq;.

Phorbas, *filius fuit Priami & Epithesiæ, Stasippi Migdonij filiæ, quē tempore belli tam natu grandem fuisse tradunt, ut potius frater quàm filius Priami uideretur. Hic in bello Troiano aduersante etiam Priamo sæpius in prælium descendit, & cum multa egregia facinora edidisset, tandē à Menelao gladio obtrūcatus est. Ferūt hūc semper in prælio à Mercurio adiutū. Reliquit filiū Ilionea, hominē eloquentia clarū, qui cum Aenea capto Ilio in Italiam nauigauit, &c. uide suprà. Alius fuit Phorbas Argiuorū rex. Alius item pastor Polybij, Corinthiorum regis, de quo suprà in dictione* Oedipus.

Phorcus, *Latine, Græce* Phorcin, *filius fuit Neptuni & Thoosæ nymphæ, rex Corsicæ & Sardiniæ insularum. Hic ab Atlante nauali prælio uictus, undaq; obrutus est: quem postea socij superstites, in marinum deum conuersum dixere, eiq; diuinos honores fecere. Verg.*

Tritonesq;

Tritonesq́; citi, Phorciq́; exercitus omnis, &c.
Hic pater fuit Græarum & Gorgonum. unde Phor-cinis, *idos, Phorci filia.*

Phoroneus, *filius fuit Inachi & Argiuorum rex, à quo Iô Inachi filia* Phoronis, *idos, ab Ouidio appellatur:*
Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultrà
Ferre potest.

Phrygia, *regio est minoris Asiæ, habens ab Oriẽte Cappadociam, à Meridie Lycaoniam, ab Occidente Troadem, à Septentrione Galatiam, quæ tamẽ pars eius est, & propter uicinitatem pro Troade ponitur, unde Troiani dicuntur Phryges.* Nomẽ autẽ *sumpsit uel à Phrygio amne, qui eam à Caria separat, uel à Phrygia Cecropis filia.* Et Dardania *dicitur ea pars Phrygiæ, ubi olim Dardanus regnauit: postea uerò Troia dicta est à Troë Erichthonij filio.* Phryx, *igis, aliquis ex Phrygia.* & Phrygius, *a, um. Verg. lib. 9.*
Tempore quo primum Phrygia firmabat in Ida
Aeneas classem, &c.

Phryxus, *filius fuit Athamantis & Nepheles, qui una cum sorore Helle, quum defuncta matre Inûs nouercæ insidias timerent, conscenso aurei uelleris ariete, quem antea à matre, ut quidam uolunt, ut alij, à patre acceperat, pontum ea parte, qua angustior est, trãsfretare cœpit. Sed Helles undarum strepitu in pontũ decidit, & submersa est, à qua deinde pars illa maris Hellespontus dictus est. Phryxus uerò incolumis in Colchos ad Aeeten regẽ peruenit, ubi arietẽ Ioui, uel ut alijs placet, Marti immolauit, uellusq́; illud aureũ in templo suspendit: quod postea Iason Medeæ ope adiutus abstulit. Aries uero inter sidera locatus, pristinam effigiem tenuit, qui*

it, qui á Phryxo Phryxeus *appellatur, media longa.*
Ouid. lib. 7. Metam.

Dumq; adeunt regem, Phryxeaq; uellera poscunt.

Phthia, *Thessaliæ ciuitas est, Achillis patria: unde* Phthius *appellatur. Verg. lib. 1. Aeneid.*

Cum domus Assaraci Phthiam clarasq; Mycenas
Seruitio premet, &c.

Phthiotæ, *aliquis ex Phthiotia.* Phthiotis *uero dicta est una ex quatuor Thessaliæ partibus, ut inqt Strabo.*

Phylace, *oppidum est Phthioticæ regionis Thessaliæ, cuius quoq; meminit Lucan. lib. 6. In hoc Prothesilaus regnauit, unde ipse* Phylacides, *cognominatus est, & Laodamia eiusdē uxor* Phylaceia. *Oui. li. 3. de Art.*

Phylacides aberat, Laodamia tuus, &c.

Vbi poëta primam produxit cōtra primitiui naturam. Idem de Ponto:

Vt uiuat fama coniux Phylaceia, cuius, &c.

Phylira, *Oceani fuit filia, ex qua Saturnus Chironem suscepisse dicitur, qui á matre* Phyllirides, *&* Phyllireius, *dicitur geminato l, uersus gratia. Ouid.*

Phyllirides puerum citharæ præfecit Achillem.

Est & Phylira nomen arboris.

Phyllis, *filia fuit Lycurgi regis Thracum, quæ Demophoonta Thesei Athenarum regis filium ab expeditione Troiana redeuntem, tempestateq; ad eam actum, et hospitio & lecto suscepit, ea tamen conditione, ut matrimonio ipsam sibi copularet: quod etiam pollicitus est, dū modo liceret sibi Athenas proficisci, & res suas componere, quoniā de interitu fratris Mnesthei nunciū accepisset. Tandē Phyllide consentiēte, statuto tēporis termino Demophoō Athenas profectus est. Verū*

cum tardior eßet ad reditũ, illa amoris impatiens, siue quòd sperni se à Demophoonte existimaret, laqueo se suspendit, & in arborem Amygdalũ folijs carentẽ conuersa est. Mox uerò reuersus Demophoon cũ rc cognita amplexus arborẽ, & deosculatus foret, folia quasi intellecto spõsi amore, emittentẽ cõspexit. Ouid. in Epist.

Hospita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis, etc.

Est etiã Phyllis, Bithyniæ fluuius, à quo Phylli, Phyllienses'q; dicuntur, ut autor Strabo.

P I.

Picenum, regio est Italiæ, in qua est Asculum, à Pico aue denominata, quòd Sabinis cum Asculum proficiscerentur, in uexillo suo picus consederit. Hinc Picenus possessiuũ deducitur: & Picẽs, gentile, à quo Picentinus: hodie uocatur Marchia Anconitana, ab Ancone urbe.

Picũmus, deus quidam fuit, quem Romani in suis sacris adhibere consueuerunt. Macer in Theog.

Et nunc agrestes inter Picummus habetur, &c.

Picus, filius fuit Saturni, & Ausoniæ rex: Pomonam deã pomorum dilexisse fertur: propter quod à Circe, quæ eiusdem amore ardebat, in picum auem conuersus est. Ouid. lib. 14. Metam. maritum Circes fuisse tradit, cui assentit Vergilius lib. 7. Aeneid.

Picus equûm domitor, quem capta cupidine coniux,
Aurea percussum uirga, uersum'q; uenenis
Fecit auem Circe, sparsit'q; coloribus alas.

Pierus, uir quidam fuit, cui, ut est apud Ouidiũ lib. 5. Metam. nouẽ fuere filiæ ex Euippe, siue ut alij legũt, Auippe uxore, quæ ob nimiam superbiam ausæ fuerunt Musas ad carminum certamen prouocare: sed ab ijsdem uictæ, in picas sunt mutatæ: unde postea Musæ earum no

men sunt consecutæ, Pieridesq́; *cognominatæ: quãuis alij à Pieria, quæ est Macedoniæ regio, sic dictas uelint.* Hinc Pierius, *a, um, ut Pieriũ carmẽ.* Verg. Ecl. 8.

—*Vos quæ responderit Alphesibœus*

Dicite Pierides, *non omnia possumus omnes.*

Pilumnus, *Iouis filius, cui Seruius fratrẽ fuisse* Pitumnũ *dicit, & eos ambos fuisse deos: horumq́;* Pitumnum *usum stercorandorum agrorũ inuenisse, & inde* Stereu-linum *dictum.* Pilumnum *uero pinsendi frumẽti: & ob id à pistoribus coli, pilumq́; ab eo denominatum.* Ad *hunc* Danaë *Acrisij filia forte ad* Appulum *littus acta, & à pastore unà cum* Perseo *paruulo delata est: quam ipse cognito genere uxorem duxit, ex qua* Daunum *filium suscepit.* Vergil. *libro decimo:*

Cui Pilumnus *auus, cui diua* Venilia *mater.*

Pimpleides, *&* Pimpleæ, *dicuntur Musæ, à fonte* Macedoniæ Pimpleo, *propter liquoris eius unicam subtilitatem. Sunt tamen qui à* Pimpla *loco quodam iuxta* Parnasum *montem sic appellatas tradant.*

Pindarus, *Thebanus poëta, Lyricorum apud Græcos princeps. floruit Aeschyli temporibus. Scripsit lingua* Dorica, Olympia, Lythia, Nemea, Isthmia. *Alexander cum Thebas euerteret, & in omnes sæuiret sine discrimine, Pindari uatis penatibus parci iußit.* Expirasse *fertur in gremio pueri adamati,* Valerio *teste.* Vide *quoq́;* Quintilian. *lib.* 10. *Instit.* Orator.

Pindus, *mõs est Thessaliæ, Apollini, Musisq́; sacer: Acarnaniam diuidens ab Aetolia: olim Lapitharum sedes. Est etiam nomen oppidi Thessaliæ, à monte Pindo sic appellatũ, iuxta quod labitur eiusdẽ nominis fluuius, in Cephisum decurrens.*

Pirithous, *Lapitharũ rex, Ixionis filius, non ex nube, ut cæteri Centauri, sed ex uxore. Hic ut fertur, amicitia integra Theseo Atheniensi iunctus fuit, duxitq; in uxorẽ Hippodamen Atrati filiã, ut suprà ostendimus. Qua mortua, cum Theseo amico suo, qui tum forte cœlebs erat, cõuenit, se nisi ex Ioue genitas uxores sumpturũ: & cum iam Theseus Helenam Iouis & Ledæ filiam rapuisset, nec alia eo tẽporis nosceretur, quæ Iouis esset, præter Proserpinam Plutonis coniugem, ad rapiendã illam simul profecti sunt ad inferos: uerum Pirithous primo impetu à Cerbero interfectus est, quem Theseus adiuuare uolẽs, ipse quoq; in uitæ discrimine fuit, atq; ad extremum captus, à Dite detentus est: sed postea ab Hercule liberatus, superisq; restitutus. Ouid.*

Et cum Pirithoo fœlix concordia Theseus, &c.

Pisa, *urbs est Arcadiæ, Oenomai regia, quam Alpheus amnis præterfluit, ubi quinto quoq; anno exercebantur ludi currules. uide suprà. Ouid.*

Ah quàm penè Pelops Pisæo concidit axe,
Dum spectat uultus Hippodamia tuos.

Ex hac urbe profecti sunt, qui Pisas in Italia condiderunt, quorum incolæ Pisani *dicuntur. Verg. lib. 10.*

—Alpheæ ab origine Pisæ Vrbs Hetrusca solo, etc.

Pisaurus, *fluuius est Vmbriæ, à quo* Pisaurum, *ciuitas ipsi adiacens nominata est.*

Pisidia, *regio est minoris Asiæ, inter Lycaoniam & Isauriam: cuius populi* Pisidæ *dicuntur. Claudian.*

—Vtriq; propinqui,
Finibus obliquis Lydi Pisidæq; feroces, &c.

Pisinoë, *una est Sirenarum. uide infrà.*

Pisistratus, *filius fuit Nestoris & Eurydices, quẽ pater dedit*

dedit in socium Telemacho Vlyßis filio, uolenti ire Lacedæmoniam, interrogaturus Menelaum, nunquid de Vlysse aliquid sciret. Alius *fuit hoc nomine* Hippocratis *filius* Athenarum *tyrannus, cui ob summã eloquentiam Athenienses se, & libertatem submisere, quo tempore* Romæ Seruius Tullus *regnabat: quamuis* Solon *ipse quoq; summus orator è contrario pro libertate staret. Primus apud Athenas bibliothecam instituit.*

Pitane, *urbs est Aeolica, ut inquit Mela, & patria Arcesilai philosophi.* Ouid. *lib. 7. Metam.*

Aeoliam Pitanen à læua parte reliquit, &c.

Pithecũsa, *insula in mari Thusco, contra Campaniam sita: quam alij à simiarum multitudine sic dictam uolunt, quia* πίθηκος *Græcis simia est: Alij à figulinis doliorum,* πίθος *enim Græcis dolium sonat.* Olim Inarime, *itẽ* Aenaria *dicebatur, hodie* Ischia *seu* Ischiade. *In huius summitate oppidum fuit* Pithecusæ. *Ouid.*

Inarimen, Prochytenq; legit, steriles q; locatas
Colle Pithecusas, &c.

Pitheus, *auus maternus fuit Thesei, qui Trœzeni regnauit.* Hinc Pitheis, *patronym. &* Pitheius, *a, um.* Ouid. *in Epistol.*

Hic tecum Trœzena colam Pitheia regna, &c.

Pittacus, *philosophus Mitylenæus, & unus septem sapientum: hic in bello contra Athenienses Phrinonem eorum ducem singulari certamine interfecit.*

P L.

Platea, *insula est in mari Aegæo, quæ & Paros & Minoida dicitur.* Plateæ, *arum, ciuitas Bœotiæ sub Cithrone monte, non longe à Thebis.* Statius:

Nunciat excubijs uigiles arsisse Plateas, &c.

Plato,

Plato, *philosophus*, *Aristonis filius & Parectoniae*, *ob humerorū latitudinem sic dictus, cum antea ex aui paterni nomine Aristocles uocaretur.* Natum Athenis *tradunt eo die, quo apud* Delon Apollo. *Adeò autem in omni disciplinarum genere, præsertim philosophia excelluit, ut & diuinus* Plato, *& philosophorum* Homerus *sit appellatus.* Horat.

Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona, &c.

Pleiades, *septem fuere Atlantis & Pleiones nymphæ filiæ, quarum nomina sunt, Electra, Alcynoê, Celæno, Merope, Sterope, Taygeta, Maia. Ferunt has in cœlū assumptas, & in stellas mutatas ob pietatē, eò quòd Atlantis calamitatē perpetuo fletu prosequutæ sunt: uel quòd cum perpetuam uirginitatē seruare decreuissent, & ob id Dianæ studia sequerētur, pòst ab Orione, qui illarum amore captus, eas persequebatur, effugere non poßent, implorato Iouis auxilio in stellas mutatæ sunt, positæq; in dorso Tauri, & à nomine matris Pleiades dictæ: uel ut alij uolunt, à pluralitate:* πλείονες *enim Græca lingua plures dicuntur.* Vide *quoq; suprà in dictione* Aethra. *De his omnibus* Ouid.

Pleiades incipient humeros releuare paternos,
Quæ septem dici, sex tamen eße solent.
Seu quòd in amplexus sex hinc uenere Deorum:
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Alcinoên: & te formosa Celæno,
Maian & Electram Taygetamq; Ioui.
Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit:
Pœnitet, & facti sola pudore latet.
Siue quòd Electra Troiæ spectare ruinas
Non tulit, ante oculos opposuitq; manum, &c.

Pleias,

Pleias, *iados, in singulari numero dicitur una illarum. Oriuntur circa æquinoctiũ uernũ, unde Latini Vergilias uocant. Sunt autẽ pluuiosæ & nautis infestißimæ.*

Pleione, *Oceani & Tethyos filia, quam Atlas in uxorẽ duxit, & ex ea Pleiades genuit. Ouid.*

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante
Iungitur (ut fama est) Pleiadesq; parit, &c.

Plemmyrium, *fluuius est Siciliæ. Vergil. lib. 3. Aeneid.*

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium undosum, &c.

Pleuron, *Aetoliæ urbs, & Meleagri patria. Statius lib. 4. Theba.*

Fletaq; cognatis auibus Meleagria Pleuron.

Plotæ, *duæ insulæ in mari Aegeo, quæ & Strophades dicuntur. Vide suprà* Calais.

Pluto, *cui cognomen Agesilao, filius fuit Saturni & Iouis,* Neptuniq; *frater: quibuscum de regno sortitus, inferos sorte adeptus est. Proserpinam Cereris filiam in Sicilia rapuit. Vide suprà* Ceres, *item* Iupiter. *Ab eo fit* Plutonius, *a, um. Horat. lib. 1. Carm.*

Et domus exilis Plutonia, quò simul mearis, &c.

Plysthenes, *ut alij* Phylisthenes, *Pelopis fuit filius ex Hippodamia, qui cũ iuuenis moreretur, Agamemnona & Menelaũ filios suos paruulos Atreo fratri commendauit, qui eos suscepit, filiorumq; loco educauit: & ob id Atrei habiti, Atridæ sunt appellati. Vide suprà.*

P O.

Podalyris, *Aesculapij filius, insignis medicus, qui cum Machaone fratre ad Troiam ex Creta insula uocatus*

fuit

fuit à Græcis, cum sæuißimè inter eos sæuiret pestis, sic dictus à pedum magnitudine. Ouid.

Quantus apud Danaos Podalyrius *arte medendi,*
Automedon curru, tantus amator ego.

E*st etiam* I*tali cuiusdam nomẽ apud* V*ergiliũ lib.* 12.

Podarge, *una fuit* Harpyiarum, *ex qua* Zephyrus *uẽtus* Balium *&* Xanthum Achillis *equos progenuit.*

Pœni, *dicuntur* Carthaginienses, *quasi* Phœni, *quia ex* Phœnicia *sunt oriundi: sed in deriuatiuis œ, in u, longum mutatur: ut* Punicus, a, um. Vergilius:

Punica regna uides, &c.

Pœonia, *regio est* Europæ, *&* pars Macedoniæ, *à* Pæone Endymionis *filio sic dicta, à qua* Pœones, *populi.* Statius:

—*Didici quo* Pœones *arma rotatu, &c.*

Postea à regis nomine Emathia *appellata. Ponitur aliquando pro* Macedonia, *sicut* Emathia: *cuius littoralis regio iuxta* Sithoniam *&* Thermopõtum Pallene *uocatur: unde* Verg.

Hic nunc Emathiæ *portus, patriamq; reuisit*
Pallenen, *&c.*

Pola, *oppidum est in* Istria, *ubi &* Polaticus *est sinus: hanc olim à* Colchis *habitatam aiunt, sed tandem* Romanorum *facta est colonia.*

Polytes, *filius fuit* Priami *&* Hecubæ, *quem* Pyrrhus *capta urbe in conspectu patris interfecit, ut habetur apud* Verg. lib. 2. Aeneid.

Ecce autem elapsus Pyrrhi *de cæde* Polytes
Vnus natorum Priami, *&c.*

Pollux, *filius fuit* Iouis *&* Ledæ, *&* frater Castoris. *Hũc fabulantur poëtæ fuisse immortalem, & nihilominus*

immor

immortalitatem suam cum fratre mortali diuisisse, &c. Vide suprà Castor, item Helena. Verg.

Talis Amyclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, &c.

Polybius, *Corinthiorum rex fuit, de quo suprà in dictione* Oedipus.

Polycletus, *statuarius fuit insignis, diligentia & decore supra cæteros, ut inquit Fabius.*

Polycrates, *tyrannus fuit Samiorum fortunatißimus, qui ut aliquid aduersitatis habuisse uideretur, annulum proiecit in mare, quem tamen cocus eius redinuenit in pisce. Sed tamen mors infamis & ærumnosa secuta est: nam ab Oronte, uel ut alij, Orgite præfecto Darij regis captus, atq; in altißimo monte cruci affixus est.*

Polydamas, *Antenoris & Thelanæ sororis Hecubæ filius, qui Lycasten Priami filiam, sed ex concubina susceptam, uxorem duxit. Hic cum Antenore patre & Aenea urbem Troianam Græcis tradidisse dicitur. Persius:*

Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint, &c.

Polydorus, πολύδωρος, *filius fuit Priami ex Hecuba, quē pater de statu Troiæ dubitans cum magno auri pondere conseruandum misit Polymnestori Thraciæ regi, antiquo hospiti, amico & genero suo: sed ille deleta Troia, cæterisq; Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus Polydorum in littore spatiantē telis aggreditur, & frustra fidem implorātem occidit, cadentiq; tumulum superiniecit, cui supercreuere myrti uirgulta. Quod cum mater Hecuba intellexisset, simulauit se ingens adhuc auri pondus uelle illi secretò indicare, quod pro filio acciperet. Quod auarus rex uerum*

uerum existimans, mox ad Hecubā profectus, illius unguibus obcæcatus est. Extat tamen & alia de Polydoro opinio: nempe Græcos per Thraciam uenientes hūc cepisse, Priamum autem redimenten filium Græcis pro eo dedisse urbē, quæ postea ab euentu Antandros dicta est: qua accepta, illos tamen nihilominus Polydorum lapidibus obruisse. Vide Seruiū in tertium librum Aene.

–Fuge littus auarum, Nam Polydorus ego, &c.

Alius fuit Polydorus, Priami filius ex Laothoë Altai Lelegum regis filia, quem Achilles cum fratre Lycaone in bello Troiano interfecit.

Polymnestor, *siue* Polymestor, *siue* Polynestor, *ut quibusdam placet, rex fuit Thracum, auri auidißimus, ut iam de Polydoro dictum est. Proper. lib. 3.*

Et scelus accepto Thracis Polynestoris auro, &c.

Vbi m, litera elisa uidetur metri gratia.

Polymnia, *siue* Polyhymnia, *una est Musarum, à multitudine carminum, siue laudationum dicta.* πόλυ *enim multum est, &* ὑμνῶ, *id est, canto, laudo, seu* ὑμνὸς, *id est canticum. Verg.*

Signat cuncta manu, loquiturq; Polymnia gestu.

Ouidius:

Dissensere deæ, quarum Polyhymnia cœpit, &c.

Polynices, *filius fuit Oedipi regis Thebanorum, & frater Etheoclis: qui cum mortuo patre alternatim regnare uellent, nec cederet Etheocles, contractis copijs cū Adrasto Argiuorum rege socero suo, multisq; alijs Achaiæ principibus, bellum in Etheoclē mouit: in quo multis utrinque occisis, fratres ipsi mutuis quoque uulneribus se confecerunt.* *Vide suprà* Etheocles, Adrastus, *&c.*

Polyphemus, *Neptuni filius ex Thoosa Phorci filia, Cyclopum maximus, unicum oculum in fronte habens, quemadmodum & reliqui, uescens humanis carnibus. Galatheam nympham adamauit, à qua spretus, animi dolore Acin puerum, quem illa prætulerat, saxo interfecit. Ad hunc uenit Vlysses cum duodecim comitibus, quem reliquis rebus omnibus percontatis per Iouem obsecrauit, ut tutò abire liceret. Ille uerò superbè respondens, non timere se Iouem inquit, duosq́; ex comitibus Vlyßis appræhendens, ritu feræ immaniter deuorauit, totidemq́; postridie absumpsit summo mane, relicto Vlysse cum reliquis socijs in antro, cui ingens saxum solus admouit, abijtq́; cum gregibus suis. Quare Vlysses sibi iam & reliquis timens, reuertēti lagœnam optimi uini, quod secum tulerat, obtulit, ut sibi suisq́; parceret obsecrans. Cyclops potato uino, promisit se miserturū, si uinum iterū propinaret: quo facto cum tertio potasset, nomen Vlyßis petijt: qui respondit, οὔτις uocor, quod Latine Nullus sonat. cui Cyclops, loco muneris exhibiti poculi te ultimum cōmedam. Tandem Polyphemus uino inebriatus, cum se facile in somnum soluisset, Vlysses sumpto stipite, quem in fimum sepeliuerat, eoq́; igne perusto, animatis in facinus socijs, incensum in oculum Cyclopis acri nixu impegere. Ille igitur experrectus ingenti clamore socios antro propinquos, in auxilium uocauit: qui undiq; circum antrum quærentes, quisnam illum infestaret, cum Cyclopem, οὔτινα, respōdentē audißēt, arbitrati quia morbo aliquo naturali grauaretur, abeūtes dixere, ut Neptunū patrē pro sospitate precaretur. Porrò Cyclops cū cogeretur gregibus aperire antrū, immanē inde lapidem amouit:*

uerum

ueruntamen exeuntes pecudes manibus palpabat, ne quis ostiũ egrederetur. quod cùm Vlysses cum comitibus animaduertisset, induti pecudum pelles, Cyclopis manus effugere. Vide Vergiliũ libro tertio Aeneidos:

Nam qualis quantusq; cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, &c.

Polyxena, *filia fuit Priami & Hecubæ formosissima: cuius amore captus Achilles, pacem promisit Troianis, si eam haberet uxorem. quod cum exorasset à Priamo, uenissetq; cum illa in templum Apollinis, ad contrahendum matrimonium, ibidem interfectus est à Paride. Quare Pyrrhus Achillis filius in ultionẽ patris sui interfecti Polyxenam uelut autorem mali, iugulauit ad tumulum ipsius Achillis. Ouid.*

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Ab ea fit Polyxenius, *a, um, apud Catullum:*

Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra.

Pomona, *dea pomorum fuit, quam Picus Latinorum rex adamauit, propter quod Circe coniux illum in auem sui nominis transmutauit, ut superius ostendimus. Calphur. Eclog. 2.*

Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.

Pompeij, *Campaniæ oppidum, iuxta Sarnum amnem. hinc* Pompeianum *prædium circa Pompeios, &c.*

Pompeius, *cognomine Magnus, nobilissimus fuit Romanus, cuius res gestas, quoniam ubiq; ab autoribus decantantur, hîc apponere superuacaneum uisum est. si quis tamen eas desiderabit, Florum, Lucanum, & alios petat. Lucanus libro primo:*

Vltima Pompeio dabitur prouincia Cæsar?

Vide Plutarchum, in uita eiusdem.

Pontia, *insula in sinu Caietano, non procul à Palmaria. Est & ciuitatis eiusdem nomen.*

Pontina *palus Volscorum iuxta Forum Appij, haud longè à Tarracina, distatq; ab urbe circiter 40. millia passuum. Lucan. lib. 3.*

Et quà Pontinas uia diuidit uda paludes.

Pontus, *propriè dicitur mare illud, quod à Mæotide palude usq; in Tenedum protenditur: sed ubi se primum arctat à Tenedo incipiens, post Helles casum, Hellespõtus uocatur: ubi expandit, Propontis: ubi iterum premit, Thracius Bosphorus: ubi iterum effundit, Pontus Euxinus, qui curuatus in figuram Scythici arcus committitur ostio Mæotidis paludis, idq; ostium Cimmerius Bosphorus uocatur. Figuratè autem pro quouis mari ponitur, ut apud Vergilium lib. 1. Aeneid.*

–Ingens à uertice pontus In puppim ferit, &c.

Est etiam Pontus regio Asiæ minoris inter Armeniam, Colchidẽ, & mare sita, atq; à Ponte rege sic cognominata, herbis uenenosis abundans. unde Verg. Eclog. 8.

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta uenena
Ipse dedit Mœris, nascuntur plurima Ponto.

Populonia, *Hetruriæ ciuitas, ad mare extructa. Vergilius libro decimo:*

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertes belli iuuenes.

Porphyrion, *gigantis cuiusdam nomen, de quo Claud.*

Porphyrion trepidam conatur uellere Delon.

Porphyrius *quoq; nomen philosophi, Christianis inimicissimi.*

Porhyris, *insula in Laconico mari sita, quinq; millibus passuum à Maleæ promontorio distans: eadem postea dicta*

dicta est Cythera, *ob memorabile tẽplum Veneri sacrũ.* Et Porphyris, *nomẽ appellatiuũ est, Græcis purpuram denotans: unde* Porphyriacus, *a, um, pro purpureo accipitur.* Ouidius:

Et porphyriacis figere labra genis.

Porsena, *uel* Porsenna, *rex fuit Hetruriæ, qui Romam obsedit, cupiens eiectum regem Tarquiniũ regno restituere: sed fortitudine Romanorum, præsertim Mutij Scæuolæ deterritus, cum Romanis in gratiam redijt, atq; ita obsidionem reliquit.* Extrui præterea *sibi fecit Labyrinthum sepulchri loco, sub urbe Clusio.* Mart.

Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Portumnus, *deus marinus, qui portubus præesse putabatur, alio nomine Palæmon. uide suprà.* Portunalia, *festa huic deo dicata.*

Porus, *rex fuit Indiæ, quatuor cubitis & palmo procerus.* Claudianus:

Tradita captiuo spatiosior India Poro, &c.

Potitius, *&* Pinarius, *sacerdotes fuerũt Herculis. Nam cum Euander aram maximam Herculi, ubi nunc Roma est, post interfectum Cacum ædificasset, & Hercules de suo armento boues ad sacrificia dedisset, inuenti sunt senes duo, à quibus se æqualiter coli uelle ostendit, statuitq; ut mane & uesperi sacrificarẽt. Sed cũ peracto matutino sacrificio circa Solis occasum essent sacra repetẽda, alter prior uenit, qui* ἀπὸ τοῦ ποτίζειν, *id est à potando, Potitius cognominatus est. Alteri propter negligentiam iratus Hercules statuit, ut sacrificanti atque epulãti Potitio ministraret. Quapropter* ἀπὸ τῆς πείνης, *hoc est à fame, Pinarius, quasi famelicus, appellatus*

 est.

est. Vergilius libro 8. Aeneidos:

–Primusq; Potitius author

Et domus Herculei custos Pinaria sacri, &c.

Potnia, *uicus est Bœotiæ, seu ut alij tradunt, Arcadiæ. à quo fit* Potniæus, *&* Potnias, *adis.* *Vide suprà* Glaucus.

P R.

Præneste, *siue* Prænestis, *urbs est Italiæ in montibus sita, à Cæculo Vulcani filio condita, ut Vergilius sensisse uidetur libro 7.*

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis

Vulcano genitum, &c. uide suprà.

Dicta fuit ἀπὸ τοῦ πρίνου, *id est, ab ilicibus, quibus ille locus abundat. In hac Fortunæ templum fuit. Sil.*

–Sacrisq; dicatum Fortunæ Præneste iugis.

Praxiteles, *nomen fuit statuarij nobilißimi, qui marmorum sculptor fuit. Sculpsit inter cætera Venerē Gnidi, quæ in toto orbe præcipua habita est: multiq; ut eam uiderent, Gnidum sunt profecti.* *Proper.*

Praxitelem Parius uendicat arte lapis.

Priamus, *filius Laomedontis, quo adhuc puero capta est Troia ab Hercule, ut suprà uidere est de* Laomedōte. *Hic post patris mortem Ilio restaurato, ac regno etiam quàm latißimè ampliato, adeò ut nō solum Troiæ, sed etiam ferè Asiæ rex uideretur, Hecubam filiam Cissei regis Thraciæ uxorem duxit, ex qua 19. liberos suscepit, ex alijs uerò fœminis triginta unum: ex quibus Paris repetiturus Hesionam sororem, in Græciam profectus, Menelao Helenam uxorem rapuit, unde motum est bellum decennale à Græcis in Troianos: in quo uidit filios suos ferè omnes ab hostibus interfici. Tandē*

capto Ilio, & ipse à Pyrrho Achillis filio occisus est, prope aram Iouis Hercæi in sanguine Polytis filij, ut est apud Verg. lib. 2. Aeneidos:

Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras, &c.

Ab eo fit Priamides, patronym. prima longa, & Priameius, a, um, prima breui. Fuit & Priamus Polytis filius, superioris nepos, quem Aeneas ex Troiæ excidio secum in Italiam duxerat. Vergilius libro 5.

Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
Nomen aui referens Priamus, tua clara Polyte
Progenies auctura Italos, &c.

Priāpus, Liberi patris & Veneris filius. Cùm enim Venus Bacchum amaret, cum eo concubuit: deinde in Indiam Baccho profecto, concubuit cum Adonide. Postea illo ex India reuerso coronam illi obuiam progrediēs obtulit, eumq́; sic coronatum tanquam sponsum sequi se iussit. ex quo cum concepisset, in Lampsacum abijt. Iuno autem infensa illi ob zelotypiam, manu uterum illius incantando tetigit: ex quo factum est, ut illa pareret filium, non modo præter omnes alios deformem, sed & ingenti pene præter modum dehonestatum: cuius postea cum illam puderet, reliquit in urbe Lampsaci ab se reiectum. Hunc postea quum Lampsacenis mulieribus nimium gratus esset, à ciuibus eiectum ferunt: ob quam rem, quum nescio quo malo postea premerētur, templa eidem & sacra constituerunt, factusq́; etiā hortorum deus est. Imolabant ei asinum, quòd cū olim hic deus in festo magnæ matris, ad quod omnes dij conuenerant, epulisq́; satiati noctem lusibus ducebant, Lothidem nympham, siue, ut alijs placet, Vestam humi dormientem stuprare uellet, intēpestiuo asini, quo Silenus

uehebatur, clamore, coitu fuisset impeditus, atq; uirgine excitata manu reiectus, magno omnium, qui aderant, risu, ut Ouidius fabulatur libro primo Fastor. Higinus uerò tradit, ob id Lampsacenos asinum imolare consueuisse, quòd ab eodem quumde magnitudine men bri certarent, superatus uideretur. Verg. lib. 4. Georg.

Hellespontiaci seruet tutela Priapi.

Priene, *oppidum est Ioniæ in Asia: à qua fit* Prienæus, *&* Prienensis. *Sidon.*

Prienæe Bia, quod plus tibi turba malorum, &c.

Priuernum, *oppidum est Volscorum in Latio: à quo fit* Priuernas, *atis, aliquis ex hoc oppido. Abundat optimo uino, quod* Priuernatium *dicitur. Est & uiri nomen apud Maronem libro nono:*

Priuernum Capys, &c.

Procas, *filius fuit Auentini regis Albanorum, cui etiam in regno successit. Verg. lib. 6.*

Proximus ille Procas Troianæ gloria gentis.

Filios reliquit Amulium & Numitorem, *&c. de quibus suprà.*

Prochyta, *insula in mari Tyrrheno, non procul à Puteolis Campaniæ urbe, una ex Aeolijs. Dicta autem Prochyta, quia profusa est ab Aenaria insula. nam Græci* προχυθῆ *dicunt profusum esse. uide suprà* Inarime.

Procris, *filia fuit Erichthei, & Cephali uxor, à marito in sylua iaculo transfixa. Vide suprà* Cephalus. *Vergilius lib. 6. Aeneid.*

His Phædrã, Procrinq; locis, mœstãq; Eriphylẽ, etc.

Procustes, *latro fuit crudelißimus, qui ut author est Dionysius, eo in loco terræ Atticæ, quæ Crudalus dicitur, latrocinia exercẽs, cogebat hospites supra lectũ aliquẽ ascendere,*

ascendere, quo si longiores fuissent, pars supereminens amputabatur: qui uerò breuiores, distendebātur: à qua re etiam nomen illi inditum putant. Hunc postea Theseus interfecit. Ouid. lib. 7. Metam.

Vidit & immitem Cephisias ora Procustem.

Procyon, *sydus cœleste, quod Latini Caniculam seu Anticanem dicunt, eò quòd paulo ante Canem maiorem oriatur cum Leone.* Cicero:

Anticanem, Procyon Graio qui nomine fertur, &c.

Reperitur tamen apud recentiores prima longa.

Prœtus, *qui &* Pritus, *Atlantis Argiuorum regis filius, frater Acrisij, qui ex Stenobœa, quam Homerus Antiopam, Perottus Antiam nominauit, uxore, Iphianassam & Lysippen filias suscepit, quæ à patre* Prœtides *sunt appellatæ à Vergilio Ecloga sexta:*

Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.

Vide suprà Acrisius, Phianassa, Perseus.

Progne, *filia fuit Pandionis regis Athenarum, uxor Therei Thracū regis (uide suprà* Pandion*) ex qua Itym filium peperit. Sed cum desiderio uisendæ sororis teneretur, exorauit uirum, ut Athenas profectus Philomelā ad se duceret. Qui mandata peragens, aduentū Philomelæ à Pandione impetrauit. Verū dū in itinere essent, in libidinem mulieris exardēs, quamuis repugnantem cōpreßit: post hæc ne facti obscœnitatē exprimere posset, linguā ei abscidit, & seruo in uinculis custodiendā tradidit: reuersusq; ad uxorem, maris nausea periisse simulauit. Philomela interim tædio carceris affecta, rem omnē uti gesta fuerat, acu in tenuißima tela depinxit: hanc ancillæ Prognæ clàm deferendam tradidit. Progne re intellecta, ac dißimulato ad tēpus dolore, post-*

quam Orgiorũ tempus aduenit, thyrsis & pellibus pro more instructa sororem adit, eamq; eodẽ indutam habitu ad regiam ducit. Hic communicato consilio, ueluti furijs agitata Itym paruulũ filium interfecit, uiroq; domũ redeũti epulandũ proponit: qui re tandẽ ob delatũ iussu Prognes in fine cœnæ pueri caput, comperta, dũ fugientem uxorẽ furibundus persequitur, mutatam deorum commiseratione in hirundinem uidit: quæ consuetudinem habitandi intra hominum tecta semper seruauit. ipse in upupam conuersus est, ideoq; militarem cristam adhuc in capite gerit, & quasi adhuc filium quæritans, clamat ποῦ ποῦ, *quod significat, ubi ubi. Itys autem in Phasianum, quæ auis frequens est iuxta Phasim fluuium in Colchis. At Philomela in auem conuersa est sui nominis, nec cessat deflere cãtu dulcißimo iniuriam, quam paulò antè elinguis promere non poterat. Hæc ex Perotto. Vide quoq; Ouidiũ lib. 6. Metam.*

Promẽtheus, *filius fuit Iapeti ex Asia coniuge, qui primus omniũ hominem ex luto formauit: cuius opus eximiũ mirata Minerua, ei spopondit, quicquid ex cœlestibus bonis uellet in perfectionẽ sui operis. Qui cũ respõdisset, se nescire, nisi uideret, quæ apud superos sibi essent utilia, eiusdem auxilio in cœlũ ascendit: ubi cum cerneret omnia flãmis animata, ut suo etiam operi flammã immitteret, clàm ferula rotæ solis applicata, eaq; incensa, ignẽ reportauit in terras, quo pectori ficti hominis admoto, animatum reddidit. Quãobrem dij irati febres & morbos terris per Pandorã fœminã (de qua superius) immiserunt: Prometheũ autem per Mercuriũ Caucaso alligauerũt, adhibita aquila, quæ iecur seu cor aßiduè pasceret. Lucianus & alteram causam iræ addit,*

dit, nempe quòd in ſacrificijs oſſa & inteſtina dijs cremādi & immolandi Prometheus author fuerit, meliorem autem partem ſibi retinuerit. Idem author eſt Prometheum à ſupplicio liberatum poſtea, ob uaticinium, quo Iouem monuit, ne cum Theti rē haberet, fore enim ut illa pariat filium, qui maior patre ſuo futurus eſſet, Mercuriumq́; ideo miſſum à Ioue unà cum Hercule, qui illum ſoluerunt. Verg. Eclog. 6.

Caucaſeasq́; refert uolucres, furtumq́; Promethei.

Ab eo fiūt patron. Prometides, et Promethis, idos.

Propontis, pars Ponti eſt inter Helleſpontum & Boſphorum Thracium. Ouid. lib. 4. de Ponto:

Miſit in has ſi quos longa Propontis aquas.

Vide ſuprà Pontus.

Proſerpina, filia fuit Iouis & Cereris, quam Pluto inferorum deus in Sicilia flores colligentem rapuit, ut ſuperius oſtendimus de Cerere, item Aſcalapho. Vocatur alijs nominibus Perſephone, Hecate, Diana, Luna, de quibus ſuo loco. Claud.

—Quo dicta ferox Proſerpina curru, &c.

Proteſilāus, filius fuit Iſiphyli, & unus ex Græciæ principibus: qui quamuis audiuiſſet, à uatibus ſe primum omnium in bello Troiano periturum, ſi eò proficiſceretur, contemptis nihilominus uaticinijs, iuit cum cæteris ducibus, ibiq́; in initio belli ab Hectore interfectus eſt: quod etiam ratio nominis indicat: nam Proteſilaus ſignificat id, quod primus mortuus. Vnde Auſon.

Proteſilaë tibi nomen ſic uata dederunt,

Victima quòd Troiæ prima futurus eras.

Vocatur & Phylacides, à Phylace Theſſaliæ oppido.

Vxorem habuit Laodamiā, Acaſti filiā, de qua ſuprà.

Proteus

Proteus, πρωτεύς, *Oceani & Tethyos filius, deus marinus, & uates, qui nisi coactus dat responsa. phocas* Neptuno *pascit. Ferunt hunc captum amore* Pomonæ *in omnigenam speciem se uariasse. hinc à* Latinis Vertumnus *dicitur, à uerso mutatoq; cursu fluminis* Tyberini. Vnde Proper. *libro quarto:*

Vertumnus uerso dicor ab amne deus.

Huic, *ut idem autor est, olim frugum primitiæ dic abatur. Vide prouerb.* Proteo *mutabilior.* Fuit *etiam huius nominis* Aegypti *rex temporibus* Priami.

Psylli, *populi fuerunt* Aphricæ, *sic dicti à* Psyllo *rege, cuius sepulchrum in parte* Syrtium *maiorum est.* Horum *corporibus ingenitum fuit uirus exitiale serpẽtibus, ex cuius odore sopirẽt eas.* Plutarchus *scribit* Catonẽ *per deserta* Libyes *iter facientẽ* Psyllos *secum duxisse, qui morsibus serpentum mederẽtur, partim ore trahentes uenenum, partim serpentes ipsos mitigãtes.* Deleti *autem sunt à* Nasamonibus Libyæ *populis, qui spoliatores extiterũt nauiũ* Syrtibus *inuolutarũ.* Lucan. *lib. 9.*

–Gens unica terras
Incolit à sæuo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli, *par lingua potentibus herbis.*

P T.

Ptolemæus, *filius fuit* Lagi *gregarij militis, maximæ apud* Alexandrũ Macedonem *authoritatis & gratiæ: post cuius mortẽ* Aegypto *&* Aphrica, *& magna* Arabiæ *parte potitus, regnauit ãnis quadraginta, omnesq; deinceps* Aegyptij *reges* Ptolemæi *sunt apellati.* Eorum *nomina sunt,* Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæus Euergetes, Ptolemæus Phylopater, Ptolemæus Epiphanes, Ptolemæus Philomater, Ptolemæus Phiton;

qui

qui & Soter cognominatus est, & Ptolemæus Dionysius, qui per scelus Pōpeio caput abscindi iußit, ut Cæsari uictori mitteret. Lucan. lib. 6.

Non tuleram Magnum mecum Romana regentem,
Te Ptolemæe feram? &c.

Fuerunt & alij huius nominis uiri.

Ptolemais, *ciuitas est in Cyrenaica regione. Est & alia in Egypto. Alia item in Phœnicia, quæ contermina est Iudææ.*

Punicus, *a, um, id est, Carthaginiensis. uide* Pœnus.

P Y.

Pygmalion, *filius fuit Cilicis, qui Paphum filium suscepit ex eburnea matre. uide suprà. Alius fuit Pygmalion Beli filius, rex Tyri urbis Asiæ, auarißimus, qui Sichæū sororium ante aras interfecit, ut auro eius potiretur. Verg. lib. 1. Aen. –Sed regna Tyri germanus habebat*
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.

Pygmæi, *populi sunt in extrema parte montiū Indiæ habitantes salubri cœlo, semperq́; uernante, breuiusculæ staturæ, ut qui cubitum nō excedāt: πυγμὴ enim Græcis cubitum sonat. Horum mulieres pariunt anno quinto, & senescunt octauo: aßiduè certant cum gruibus, & uincuntur sæpenumero. De his Iuuenalis Satyra 13.*

Ad subitas Thracum uolucres, nubemq́; sonoram
Pygmeus paruis currit bellator in armis,
Mox impar hosti, raptusq́; per aëra curuis
Vnguibus à sæua fertur grue. si uideas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic,
Quanquàm eadem aßiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

Pylades, *filius fuit Strophij Phocensis, indissolubili amicitiæ*

citiæ uinculo cum Oreste *iunctus, quē etiā furore perci tum, quòd matrē interfecisset, ad* T*auricam usq; regio nem secutus est.* Vide *suprà* Orestes.*Stat.lib.2.Syl.*

Dignus & Aemonium Pyladem præcedere fama.

Pylemenes, *dux fuit Paphlagonum, quem in auxilium Troianorum uenisse* Homerus *scribit. Dicitur etiam aliquando à poëtis* Pylemenæus.

Pylēne, *oppidum est Aetoliæ.Papi.*

–Sensit scopulosa Pylene,

Fletaq; cognatis auibus Meleagrea Pleuron.

Pylos, *oppidum fuit iuxta Thessaliam, à Neleo conditū, unde* Nestor Pylius *est dictus.Ouid.*

Illius attactu Pylius iuuenescere posset, &c.

Sunt & aliæ duæ huius nominis urbes.

Pyracmon, *seu* Pyragmō, *cyclops unus est ex ministris Vulcani.uide suprà* Brontes.

Pyræus, *portus fuit Atheniensium, qui contra incursio nes publicè custodiebatur.*

Pyramis, *idis, moles maxima quadrata, ita cōstructa, ut è lato in acutum tendat: quarum tres in Aegypto fuisse apud Memphim urbem tradunt, à regibus conditæ, & pro monumentis factæ, tanta altitudine, ut inter septem orbis miracula sint connumeratæ.Martial.*

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

Pyramus, *adolescens fuit Babylonius, qui Thysbē puel lam mutuo amore prosequutus est: uerùm cùm adeo à parentibus uterq; obseruaretur, ut nullo modo se com= plecti possent, egredi urbem ad constitutum locum de= creuerunt. Quò quidē cùm prior peruenisset Thysbe, leæna illac transeunte, perterrefacta in antrū uicinum confugit.Pyramus deinde adueniens, cum uelum quòd fugienti*

fugienti Thysbæ è capite deciderat, cruentatũ reperiſſet, eam putans à feris fuiſſe dilaniatam, gladio quẽ ſecũ habebat, ſub moro arbore incubuit. Thyſbe autem ex antro egreſſa, cùm Pyramum uulnere confectum uidiſſet, eodem ſe gladio confodit. Quorum ſanguine quidẽ mora effecta fuere nigra, cùm antea candida fuiſſent, ut fabulatur Ouid. lib. 4. Metam.

Pyramus & Thyſbe, iuuenum pulcherrimus alter,
Altera quas oriens habuit prælata puellis, &c.

Pyramus etiam fluuij nomen eſt, qui per anguſtias Tauri montis per Ciliciam defertur.

Pyrene, mons eſt Galliam ab Hiſpania dirimẽs, ſic dictus à Pyrene puella Bebricis filia, in hoc monte ab Hercule compreſſa, quæ poſtea à feris laniata, ibidem ſepulta eſt. uel ut alijs placet, à crebris fulminum ignibus. Dicitur & mons Pyreneus. Eſt quoq; fontis nomen in Helicone, ut inquit Probus, Muſis conſecratus: quẽ tamen Strabo ſub Acrocorintho eſſe dicit. Primam ſyllabam indifferentem habet. Lucan. lib. 1. –Deſuper Alpis

Nubiferæ colles, atq; aëriam Pyrenẽ, &c. Tibull.
Non ſine me eſt tibi partus honos, tua bella Pyrene
Teſtis, & Oceani littora Santonici, &c.

Pyreneus, πυρενεύς, rex fuit Thraciæ, qui Muſas hoſpitio ſuſceptas uiolare uoluit: ſed ipſæ in picas mutatæ per feneſtras euolarunt: quas ille ſecutus decidit, & fractis oſſibus miſerabiliter expirauit, ut fabulatur Ouid. libr. 5. Metam. –Duruſq; ante ora Pyreneus Vertitur.

Pyrgoteles, gemmarum ſculptor fuit nobiliſſimus, à quo ſolo Alexander Macedo ſuam imaginem ſculpi uoluit.

Pyrgo, nomen fuit nutricis natorum Priami, cuius meminit Vergil. lib. 5. Aeneid.

Pyrgum,& Pyrgi,*orum,quondã fuit metropolis* Thu*sciæ.* Verg.lib.10. –Et Pyrgi *ueteres,&c.*

Pyrois,Sol*is equus.* De *quo suprà in dictione* Aethon.

Pyrrha,*filia fuit* Epimethei,*& uxor* Deucalion*is.* Vide Deucalion.

Pyrrhus,*filius fuit* Achillis,*&* Deidam*iæ*,Lycomed*is regis filiæ, qui adhuc adolescens ad bellũ* Troianũ *accersitus est,unde &* Neoptolemũ *uocarunt.* Capta Troia Polyten,Priami *filium,cum parente interfecit:*Polyxenam,Priami *filiam,ad patris tumulũ iugulauit:*Andromachen, Hector*is uxorem sibi matrimonio copulauit.* Dem*um captus amore* Hermiones *filiæ* Menelai, Andromachen *dedit* Heleno, Priami *filio,cũ parte regni, &* Hermionen Oresti *rapiens sibi in coniugẽ sumpsit: uerùm postea ab* Oreste *reuerso , in* Apollin*is templo* Macarei *sacerdotis opera interfectus est.*Ouid.in Epi.

Pyrrhus Achillides animosus imagine patris.

Pyrrhus,*alius, fuit* Epirotarum *rex, qui multa & maxima bella geßit cum* Romanis.*Primus docuit metari castra.Tegula de tecto decidente,ictus interijt.*

Pythagoras,*philosophus fuit* Samius,*patrẽ habuit* Demarathum,*locupletem & negotiatorẽ.* In Aegyptum *primò , mox* Babyloniã *profectus est studio rerũ astronomicarũ:uaria terræ loca discendi causa peragrauit.* Credebat *animas post mortẽ de corporibus in corpora trãsire,& animas hominum quandoq; in bestias mitti.* Vnde *esus carniũ prohibebat.* Vide Ouid.lib.15.Meta. Abstinebat *etiã fabis,ut quidã uolũt.*Iuuen.Satyr.15.

Vel quò non fugeret,si nunc hæc monstra uideret
Pythagoras? cunctis animalibus abstinuit qui,
Tanquã homine,& uẽtri indulsit nõ omne legumẽ.

Python,

Python, *serpens fuit immanis, quem Apollo interfecit, à quò dictus est* Pythius. *Et* Pythia, *ludi fuerũt Apollinares, in honorem ipsius Apollinis instituti, ob interfectum serpentem: quorum author fuit Coroebus Atheniensis. Ouid.*

Strauimus innumeris tumidum Pythona sagittis.

Vide suprà Latona.

Pyttacus, *Mitylenæus, unus de septem sapiẽtibus. Sidon.*

Noscere quod tempus Lesbo sate Pyttace suades.

DE LITERA Q.

Quinquatria, *festa fuere Mineruæ, quæ quinq; diebus fiebant mense Martio, in honorem Palladis. Iuuenalis:*

Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare, & totis quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit esse Mineruam.

Quirinus, *dictus est* Romulus, *à quiris, id est, hasta, qua utebatur aßiduè: uel quòd Cures uicerit. Ouidius:*

Siue quòd hasta quiris priscis est dicta Latinis,
Bellicus à telo uenit in astra deus.
Siue suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanus uicerat ille Cures.

Et Quirinum etiam Martem nominabant, quando uidelicet tranquillus esset: quãdo uerò sæuiret, Gradiuũ.

Quirinalis *collis dictus est, quòd in eo Quirini templum erat: siue quòd in eum commigrauere Sabini à Curibus uenientes. Et* Quirinalis *porta Romæ dicta, uel quòd ea itur in collem Quirinalem, uel quòd proxime eam Quirini sacellum erat. Et* Quirinalia, *uocabant diem, quo Quirino sacra fiebant.*

Quirites, *dicti sunt Romani, à rege suo* Quirino, *id est,* Romulo.

DE LITERA R.

R A.

RAuenna, *oppidum Sabinorum, in ora maris Adriatici, olim tota ligneis compacta ædificijs, aquis diffusa, pontibusq; ac lembis peragrata, à Thessalis condita, ut inquit Strabo lib.5. Silius lib.8.*

Lenta paludosæ proscindunt stagna Rauennæ.

R E.

Reate, *ciuitas est Vmbriæ, quam Italiæ umbilicum esse dicunt, quòd in medio ferè Italiæ positum sit.* Reatinus, *a, um, ut* Reatina *præfectura, apud Valer. Max.*

Regium, *oppidum est Galliæ Cisalpinæ, à Lepido ædificatum, unde & Regium Lepideum uocatur.* Regium, *propter pulchritudinem & amœnitatem. Ab eo fit adiect.* Regiensis, *se. Aliud est* Rhegium, *de quo infrà.*

Regulus. *Vide suprà* Attilius.

Remus, *filius fuit Martis ex Rhea uirgine Vestali, à fratre* Romulo *interfectus, quòd uallũ extruendis mœnibus designatũ, cõtra edictum transilijsset. Ouid. in Ibin:*

Vtq; Remo muros auso transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.

Vide infrà Romulus.

R H.

Rhadamantus, *Iouis filius ex Europa, Lyciæ rex, qui quum seuerus iustitiæ executor esset, poëtæ eũ apud inferos finxere culpas explorare nocentum. Verg. lib.6.*

Gnosius hæc Rhadamantus habet durißima regna,
Castigatq;, auditq; dolos, subigitq; fateri, &c.

Vide prouerb. Rhadamanteum iudicium.

Rhamnus, *untis, oppidum insigne Atticæ regionis, in quo* Nemesis *ultionum dea templum habet ab Amphiarao conditum. Vnde etiam* Rhamnusia, *&* Rhamnusis *uocatur. Ouidius:*

Exigit ad dignas ultrix Rhamnusia pœnas. Idem:
–Memoremq; time Rhamnusidis iram, &c.

Vide *suprà* Nemesis.

Rhea, *dicitur Cybele, uxor Saturni. Vide suprà. Et Rhea uocatur mater Romuli & Remi, filia Numitoris.* Vide Ilia.

Rhebas, *Bithyniæ fluuius. Valer. Flac. lib. 4.*
–Longinquiq; exirent flumina Rhebæ.

Rhegium, *oppidum est Brutiorum, in finibus Italiæ ad mare contra Siciliam. Sic dictum* ἀπὸ τοῦ ῥηγνύω, *id est, disrumpo, quòd eo loco Sicilia ab Italia dirupta sit. Ab eo fit* Rheginus, *a, um.*

Rhemi, *populi sunt Galliæ super Ligerim. Nemausũ habẽt metropolim: aduersus Romanos ingẽtia bella gesserũt: cũ Cæsare apud Gergouiã cõgreßi sunt. Luc. 1.*
Optimus excusso Leucus Rhemusq; lacerto.

Rhenus, *&* Rhenum, *nobilis fluuius, ex Alpibus oriens, Belgas à Germanis diuidit, & multis amnibus auctus, in Oceanum septentrionalem hodie tribus ostijs defertur, quum olim tantùm duobus influeret, ut patet ex Verg. lib. 8. –Rhenusq; bicornis, &c. Horat.*
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.

Rhesus, *filius fuit Strymonis & Euterpes Musæ, rex Thraciæ, qui albis equis in auxilium Troianorum uenit, sed prodente Dolone speculatore Troiano à Diomede & Vlysse prima nocte occisus, antequam eius equi Xanthum bibissent, cum uespere tum primùm ad-*

uenisset, & clausis iam portis in littore tetendisset: fuerat enim responsum illi oraculo, si ipse & equi ipsius Xanthum bibißent, Troianaq; pabula gustaßent, inuictum fore. Vergilius lib. 1. Aeneid.

Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria uelis
Agnoscit lacrymans, &c.

Rhetia, *regio est Europæ, & diuiditur in primam & secundam. Prima uel superior, inter fontes Rheni & Licũ fluuium, continens in se maximam Alpium partem, lacum Cõstantiensem, Algoiam (ut hodie uocant) & Sueuiam usq; ad Danubium. Secunda uel inferior, inter Licum fluuiũ, & Danubij fontes, &c.* Rheti, *dicũtur populi. &* Rheticus, *a, um, possesiuũ, ut Rheticum uinũ.*

Rhexinor, *filius fuit Nausithoi, & pater Aretes. Hic ab Apolline percussus obijt.*

Rhiphæi, *montes sunt in Scythia, à perpetuo uentorum flatu appellati. ῥιπίζω enim Græcis flo, significat. ex quibus Tanain fluuium oriri tradũt. Hinc fit* Rhiphæus, *a, um, id est, Scythicus & Aquilonaris, ut Rhiphæus populus, & Rhiphæa nix. Claudian.*

Non Rheni glacies, non me Rhiphæa tenebunt
Frigora, &c.

Est & Riphæus Troiani nomẽ apud Verg. lib. 2. Aen.

Rhodanus, *fluuius est uelocißimus, ortum capiens in Alpibus, per Lemanum lacum defertur, & tardũ Ararim proximè Lugdunum secum arripiens, auctusq; Isara & Druentia, tribus ostijs in mare Tyrrhenum effunditur. Lucan lib. 4. –Hos campos Rhenus inundet, Hos Rhodanus, &c.*

Rhodope, *mõs Thraciæ altißimus, à quo fiũt adiectiua* Rhodopæus, *&* Rhodopeius, *a, um. Ouid. in Epist.*

Hoſpita Demophoon,*tua te* Rhodopeia Phyllis,*etc.* E*ſt etiam meretricis cuiuſdam nomen,quã* Plinius *tradit conſeruam fuiſſe* Aeſopi, *eamq́; quæſtu meretricio magnificam ſtruxiſſe pyramidem.*

Rhodos, *inſula eſt in mari* Carpathio, *oppoſita* Lyciæ *&* Aegypto,*olim* Ophiuſa,*deinde* Staclia,*poſtea* Telchin *à* Telchinibus *inſulanis dicta .urbem habet eiuſdem nominis. Sacra eſt* Soli,*qui puellæ, nomine* Rhodiæ,*amore captus*, Rhodum *ab ea nominauit.* In *hac quoq; fuit admirandæ magnitudinis* Coloſſus, 70.*cubitis altus,*Soli *dicatus, à quo* Rhodij *appellati ſunt* Coloſſenſes. *Tradunt cœlum nunquam eſſe tam nubilum, ut ſol in* Rhodo *non luceat.*Hinc *fit* Rhodius, Rhodiacus,*a,um,*Rhodienſis,*ſe.* Lucan.*lib.6.*

–*Pœbeia donis* Exornata Rhodos,*&c.*

Rhœbus,*equus fuit* Mezentij,*apud* Vergil.*lib.*10.

Rhœbe *diu(res ſi qua diu mortalibus ulla eſt)*
Viximus,*&c.*

Rhœteum, *ſiue* Rhetes, *promontorium* Troiæ,*in quo ſepultus fuit* Aiax Telamonius. *Inde* Rhœteus, *&* Rhœteius,*a,um.*Sidon.

Sigæas rapturus opes Rhœteia *clauſit*
Pergama,*&c.*

R O.

Roma,*nobiliſsima & bellicoſiſsima* Italiæ *urbs,& totius orbis caput, quem penè totũ ſub ſuũ imperium ſubegerat, abundans olim optimis uiris, ſed hodie ferè omniũ malorũ* Lerna.De *cõditione autores uariant, cõmunior tamẽ ſententia eſt,* Euandrũ *ex* Arcadia *fugiẽtem cõdidiſſe oppidũ,ubi nunc* Roma *eſt,quod* Valentiã Latini *appellauerũt:poſtea uerò à* Romulo *ampliatũ,& mœnibus cinctũ.*Verg.*li.6.* –*Illa inclyta* Roma

Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Ab eo fit Romanus, *&* Romanensis.

Romulus, et Remus, *fratres, filij fuere Martis ex Rhea Vestali uirgine, quos Amulius aui frater exponi iußit, sed inuenti à* F*austulo pastore, nutriti sunt: qui robustiores facti, Amulium interfecerunt, restituto regno Numitori auo, ut superius dictũ est de* Amulio, Numitore, *&* Ilia. *Hi postea collecta pastorum manu* Romã *condiderunt. Priusquam autem conderetur, ne factio moueretur de principatu, pacto cõuenerunt, ut is præesset regno, cui in augurio plures apparuissent uultures. Sex tantũ uisi sunt* Remo, *duodecim* Romulo. *Eoq́; iure rex cõstitutus, ambitum urbis uallo & aratro designari iußit, cauitq́;, ne quis sulcum trãsiliret, nisi qua parte relictus & indictus fuerat portis locus.* Remus *statim ægrè ferens insolens fratris edictum, uallum tanquam in ludibrium & contẽptum transilijt, magno suo malo: quoniam ob hanc causam rastris interfectus est, iubente* Romulo. *Quare autem poëtæ fabulentur eos à lupa nutritos, uide suprà* Laurentia. *Ab eo fit* Romulida, *&* Romulides. *Verg. lib.* 8.

Subitoq́; nouum consurgere bellum
Romulidis Tatioq́; seni, &c.

Et Romuleus, *a, um. Ouid. lib.* 5. *Fastor.* —*Habeto*
Tu quoq; Romulea dixit in urbe locum, &c.

Cætera eius gesta uide apud Liuium. Fulmine ictum interijsse ferunt.

Roscius, *nomen fuit histrionis nobilißimi: pro quo extat Ciceronis illa præclara oratio. Ab hoc omnes in aliqua re perfecti Roscij dicuntur. Horat.*

Quæ grauis Aesopus, quæ doctus Roscius egit.

Rostra, *dictum est templum* Romæ *in foro ante curiam Hostiliam, in quo erat suggestus rostris nauium Antiatum, ex quo concionabantur. Vnde sæpe legimus pro rostris, id est, in eo loco ubi rostra ab hostibus capta fixa erant.* Lucan.lib.1. *–Quamuis nolente senatu, Traximus imperium tunc cum mihi rostra tenere Ius erat,&c.*

R V.

Rubi, *oppidum est in* Campania, *à ruborum frequentia dictum.* Horat.lib.1.Sat.5.

Inde Rubos *fessi peruenimus,&c.*

Hinc fit Rubeus, *a,um,ut Rubea uimina, apud* Vergilium, *quæ inde afferebantur.*

Rubicon, *fluuius est,* Italiã *à* Gallia *citeriore separãs: originẽ ducit ab* Alpibus *ex* Apennino *mõte, fluitq; inter* Ariminũ & Rauennã, *in mare* Adriaticum.Luc.lib.1.

–Vt uentum est parui Rubiconis *ad undas,&c.*

Rudiæ, *arum, siue ut apud* Stratonẽ *legitur,* Rhodæi, *orum, urbs* Apuliæ, *à* Græcis *condita,* Ennij *poëtæ patria. Silius:*

Nunc Rudiæ *solum memorabile nomen alumno.*

Rufæ, *oppidum* Campaniæ, *cuius meminit* Maro *lib.7.*

Quiq; Rufas, Batulumq; *tenent,&c.*

Rutheni, *populi sunt* Galliæ Narbonensis, *non longè ab* Auerna, & Santonibus. Lucan.lib.1.

Soluuntur flaui longa statione Rutheni.

Alij sunt Rhuteni *in* Sarmatia Europea, *ultra* Liuoniam: *hodie* Rußi *dicuntur, & eorum regio* Rußia.

Rutuli, *populi antiqui in* Latio, *quorum rex* Turnus *bella gesit cum* Aenea *in* Italia. Verg.lib.10.

Tros Rutulus*'ue fuat, nullo discrimine habebo.*

Rutupium,*littorale* Britanniæ *oppidum, à quo fit* Rutupinus,*a,um.*Lucan.*lib.6.*

Aut uaga cum Tethys, Rutupinaq; *littora feruent,*
Vnda Calydonios *fallit turbata* Brytannos.

DE LITERA S.

S A.

SAba, *Arabum metropolis est,in monte sita,ita appellata* ἀπὸ τοῦ σέβειν, *quod sacrificare est, quia thus mittit,quo in sacrificijs utuntur. &* Sabæa,*regio Arabiæ fœlicis,in qua sola thus nascitur.* Sabæi,*dicuntur populi.*Verg. *–Solis est thurea uirga Sabæis.*

Sabini,*antiquißimi* I*taliæ populi, inter* Latinos *& Vmbros, extenduntur*q; *usque ad* Nomentum *oppidum, quorum regio* Sabinia *dicitur.* A *religione & deorum cultu,hoc est* ἀπὸ τοῦ σέβειν, co*gnominati, quasi* Sebini.*Silius uerò libro 8. à Sabo autore gentis,Sabinos dici putat,cùm inquit:*

Ductorem gentis,pars laudes ore ferebant
Sabe tuas,qui de patrio cognomine primus
Dixisti *populos magna ditione Sabinos,&c.*

Horum filias rapuerũt Romani *olim in spectaculo,quũ uxoribus carerent.* Romulus *enim quum propinquitates uicinorum bona pace impetrare non posset, propter urbis nouitatem, consilium cepit de rapiendis uirginibus.*Indictis *itaq; ludis* Neptuno *peragẽdis, quum multi hospites & accolæ uenissent cum coniugibus & liberis: ultimo die dato signo cùm ad rapinam discurreretur, raptæ sunt uirgines 683. autore* Dionysio *in* Antiquitatibus*. propter quam rapinam consequutum postea est bellum inter Romanos & Sabinos:sed uicti Sabini Romam migrauerunt.* Verg.*lib.8.*

Et

–Et raptas sine mora Sabinas Consessu caueæ, etc.

A' Sabinis fit Sabellus, a, um. Verg. lib. 8.

Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabella,
Hinc partem patriæ traheret, &c.

Sacæ, populi Scythiæ. Persæ enim omnes Scythas uocāt Sacas, à proxima sibi gente.

Sacer, mons est trans Anienem fluuium ultra tertium miliarium: sic dictus, quòd Ioui esset consecratus. Hunc occupauit olim plebs Romana, cùm à diuitibus nimium grauaretur: & ibi creati sunt tribuni plebis.

Sacerani, appellati fuerunt Reate orti, qui ex Septimontio Ligures, Siculosq; eiecerunt: dicti quòd iure sacro nati essent.

Sacrani, populi fuerunt Italiæ, Romæ uicini, qui ortum sumpserunt à Corybante quodam, ea loca tenente. A' sacrificando dicti: Corybantium enim erat matri deûm sacra facere. Seruius tamen Ardeates intelligi putat, propter uer sacrum. Quod immolationis genus erat, quando grauibus periculis adducti uouerent, quæcūq; proximo uere apud se animalia nata eßēt, se immolaturos. quod peste adacti Ardeates uouerant. Verg. lib. 7.

Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici, &c.

Saguntus, & Saguntum, urbs fuit Hispaniæ, à Græcis condita, cuius habitatores adeo fideles Romanis extiterunt, ut ab Annibale obseßi multos menses obstinatis & infractis animis obsidionem tulerint, malueruntq; expectare urbis excidium, quàm deditionem facere. Et cum salutem desperarent ob nimiam famem, in foro suas res omnes in publicum rogum coniecerunt, seq; postremò & suos liberos eòdem præcipitarunt, ne in hostium manus uenirent. Inde Saguntinus, a, um, ut pocula Saguntina

guntina, quæ maximè commendantur. Mart.

Sume Saguntino pocula ficta luto.

Salacia, *quam quidam* Salicam *uocant, aquæ dea, à salo ciendo appellata*, Neptuni *uxor, quam inferiorem aquam maris esse dicunt, quòd in salum redeat. Vnde à poëtis pro aqua sumitur.*

Salamis, *uel* Salamin, *insula in mari* Euboico, *contra* Athenas *sita, in qua urbs est eiusdem nominis. Quidam tradunt hanc fuisse* Homeri *patriam. Vide suprà* Colophon. *Altera fuit in Cypro, quam* Teucer *condidit, priore pulsus à patre* Telamone. Horat. *in* Odis:

–Teucer Salamina patremq́;

Cum fugeret, &c. *Inde fit* Salaminiacus, *a, um.*

Salentinum, *promontorium est* Italiæ. Salentini, *populi, quorum regio finitima est* Apuliæ. Et Salentini *campi, de quibus* Verg. *lib. 3.*

Et Salentinos obsedit milite campos.

Salij, *sacerdotes erant* Martis, *à* Numa Pompilio *secundo* Romanorum *rege instituti, & quòd in portandis ancilibus saltare eos mos esset, sic appellati, ut est apud* Liuium *libro primo* Decad. *primæ.* Vergilius *uerò etiam* Euandri *temporibus fuisse dicit lib. 8.*

Tum Salij ad cantus incensa altaria circum

Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Nisi hæc poëtica licentia dixerit, adq́; sua tempora respexerit.

Salmacis, *fons est in* Caria *prope* Halicarnaßum, *homines effœminatos reddens. Vide suprà* Hermaphroditus. *&* Ouid. *lib. 4.* Metam.

Salmacis uel iaculum uel pictas sume pharetras.

Salmoneus, *filius fuit* Aeoli, *qui apud* Elidem *regnauit.*

Hic

Hic cum regia maiestate contentus nõ esset, conatus est se deum suis ostendere: & fabricato æneo ponte in sublimi, adeò ut Elidis partem desuper tegeret, super eo currus agitari faciebat, qui tã suo, quàm ærei põtis strepitu in tantum sonitum ueniebãt, ut tonitruum uideretur. Præterea ex excelso ignitis facibus in similitudine fulminũ iaculabatur. Ob quã superbiã Iupiter iratus, eum uero fulmine ad inferos deturbauit. Verg. lib. 6.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.

Salmõnis, *idos, Tyro, Salmonei filia. Proper. lib. 1.*

Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo
Thracius, &c.

Salonæ, *insigne oppidum est Lyburniæ inter Dalmatas & Illyricos, quod olim Pollio deuicit. Lucan.*

Quà maris Adriaci longas ferit ora Salonas.

Salpina, *palus in Apulia, iuxta Salpiam ciuitatem meretricio amore Annibalis inclytam. Lucan. lib. 5.*

Quas recipit Salpina palus, &c.

Samnites, *populi fuerunt Italiæ inter Pisenũ, Cãpaniam & Apuliã, ita appellati à Samnio colle, in quo è Sabinis uenietes consederunt, & eiusdem nominis oppidum condiderũt: multa gesserunt bella cum Romanis, quorũ exercitum etiam apud Caudinas furcas sub iugum miserunt. Deletos tandem uolunt à L. Sylla Dictatore.*

Samos, *duarum insularum nomen est, in mari Aegeo: unius, quæ adiacet Thraciæ, Samothracia dicta. Verg.*

Threiciamq; Samum, quæ nũc Samothracia fertur.
Abundat luto conficiendis fictilibus aptissimo: unde illud Ouidij:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,

Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.

Alterius, quæ Epheso opposita est, & Andro uicina, in qua Iuno, Pythagoras, & una ex Sibyllis nati dicuntur. In hac maximo honore colebatur Iuno, unde Vergil. lib. 1. Aeneid.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo, &c.

Inde fit Samius, *a, um.*

Santones, *uel* Santoni, *uel* Santonici, *populi sunt Aquitaniæ, finitimi Petragorijs. Lucan. lib. 1.*

—Gaudetq; amoto Santonus hoste. Mantuan.
Santonici infrenes, & Sequanidum populorum
Vulgus inhumanum, &c.

Sapis, *Galliæ Cisalpinæ fluuius Senogalliam urbem subterlabens, iuxta quam & Isaurus fluit. Lucan. lib. 2.*

—Et iunctus Sapis Isauro, &c.

Sappho, *mulier Lesbia lyrica, floruit tempore Alcæi & Stesichori poëtarum. maritum habuit Cercylam ditißimum uirũ ex Andro, ex quo filiã suscepit Clio nomine. Scripsit Lyricorũ libros nouem, præterea Epigrãmata, Elegias, Iãbos, & Monodias. Carmini Sapphico, cuius inuentrix fuit, dedit nomen. Sunt qui aliam dicunt fuisse Lesbiam, siue ut alij tradũt, Mitylenæam, poëtriã quoq;, priore longè iuniorem, quæ adolescentem Phaonem, cuius superius mentionem fecimus, adamauerit: cuius amore cum frui non posset, è Leucade demiserit se in aquas. Vtracumq; fuerit, unã tantum commendãt Latini poëtæ. Horat. lib. 1. Epistol.*

Tẽperat Archilochi musam pede mascula Sappho.

Sardanapãlus, *ultimus rex Aßyriorum, omnis generis luxuriæ deditus, qui nec erubuit inter scortorũ greges*

nere,

nere, & muliebri habitu fœminas omnes lasciuia anteire, relicta illa maiestate, qua princeps tãto debet excellere, quanto cæteris est sublimior. Quamobrem indignati Aßyrij tali fœminæ parere, duce Arbacto præfecto Medorum bellum illi intulerunt. Qui uictus, intra regiam se recepit, & extructa pyra se & diuitias in incendium misit. Ouidius in Ibin:

Inq; pyram tecum charißima corpora mittas,
Quam finem uitæ Serdanapalus habet.

Sardinia, insula fertilißima frumenti, in mari mediterraneo, ab oriente Tyrrhenum pelagus, à meridie Aphricum, ab occasu Sardoũ, à septentrione mare quod inter ipsam & Cyrnum seu Corsicam circumfunditur. Nomen habet à Sardo Herculis filio, qui magna multitudine in Sardiniam è Libya nauigasse fertur, eamq; occupasse: antea uerò dicta fuit Ichnusa, de qua superius: quòd conformis esset humano uestigio. A Sardinia adiectiua fiunt Sardous, Sardus, & Sardinensis. Ouid. —Sardoaq; regna sinistris

Respicit à remis, &c.

Sardis, Sardium plural. urbs Lydiæ magna, & Crœsi regia. Horat.

Quid concinna Samos? quid Crœsi regia Sardis?

Sarepta, urbs Phœniciæ inter Tyrum & Sydonem, ubi Helias propheta esurientem uiduã miraculo pauisse sacræ literæ testantur. Hinc Sareptanus, a, um. Sidon.

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Phalerna,
Quæq; Sareptano palmite missa bibas.

Sarmatæ, uel Sauromatæ, populi uagi inter Boristhenem & Istrum. Plerumq; domicilia mutant, sanguinẽ equinum permixto potant lacte. Tanta sunt barbarie, ut pa

ut pacem non intelligant. Promissas gerunt barbas, & longos capillos. Inepti sunt ad pedestrem pugnam, authore Cornelio Tacito. Martial. lib. 1.

Venit & epoto Sarmata pastus equo, &c.

Sarmatia, *dicitur eorum regio: à qua fit* Sarmaticus, *apud Valer. Flac. &* Sarmatis, *idos, apud Ouidium.*

Sarnus, *fluuius est Campaniæ, ex Sarno monte profluēs inter Pompeianum agrum & Salernū, iuxta quem oppidum* Sarni, *in radicibus montis positum, à quo* Sarastes, *populi sunt cognominati. Verg. lib. 7.*

–Late iam tum ditione premebat
Sarastes populos, & quos rigat æquora Sarnus.

Sarpedon, *onis, filius fuit Iouis & Laodamiæ filiæ Bellerophontis (sunt tamē qui ex Europa Agenoris filia susceptum uolunt, fratrem Minois & Rhadamanti) rex Lyciæ, qui Troianis aduersus Græcos in auxilium uenit, multaq; memoratu digna fecit. Tandem à Patroclo occisus est, cuius corpus Iouis iussu ab Apolline è medio pugnantium sublatum est, & flumine lotū, ambrosioq; respersum liquore, ac regia indutum ueste, ad exequendum funus, suis restitutum. Vergil. lib. 1. Aeneid.*

Sæuus ubi Aeacidæ telo iacet Hector, & ingens
Sarpedon, ubi tot Simois, &c.

Sarra, *ciuitas Phœniciæ, alio nomine Tyrus. Inde fit* Sarranus, *a, um, id est, Tyrius. Vergil.*

–Et Sarrano dormiat ostro.

Sarsina, *Vmbriæ oppidum, Plauti poëtæ patria. Sil.*

Vel rastris laudande Camers, his Sarsina diues
Lactis, &c.

Sason, *sonis, insula, quæ à Brūdusio 40. stadia distat, & inde totidem in Epirū, ut ait Strabo lib. 2. –Cumq;*

Spumoso

Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Est etiam fluuij nomen in Italia, in Adriaticum mare profluens, de quo Silius:

Adriaci fugite infaustos Sasonis arenas.

Statius libro quarto Syluarum:

Et Linterna palus, pigerq́; Sason, &c.

Saticuli, *populi Campaniæ, moribus asperi, de quibus Verg. lib. 7. —Pariterq́; Saticulus asper.*

Saturnus, *filius fuit Cœli & Vestæ, qui Opim sororē suā sibi matrimonio copulauit, Cœlo patri uirilia abscidit proiecitq́; in mare, unde natam aiunt Venerem, quæ à spuma, unde coaluit, Aphrodites nomen accepit. Fratrē habuit Titanem maiorem natu, qui cum parenti succedere uellet, tamen animaduertens matrem sororesq́; Saturno magis fauere, regnum ipsi concessit, ea tamē lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret, ut regnū ad suā prolem rediret. Saturnus igitur cùm plures liberos deuorasset, nati sunt gemini Iupiter & Iuno: tum mater Iunonem Saturno ostendit, Iouem uerò clàm nutriendū ablegauit. Neptunum quoq; clam Saturno Opis peperit, quem similiter clàm educari curauit. Tertio rursus geminos enixa est, Plutonē & Glaucā, ibi rursus Glaucam Saturno ostendit, Plutonem abscondit. Alij uerò hoc loco fabulantur, quòd Rhea Iouem patri arte subtraxerit, atq; ne uagitus pueri audiretur, Corybantas quosdam cymbala fecit ac tympana percutere, ut obstrepente sonitu infantis uagitus non audiretur. Sed quū ex uteri imminutione intellexisset pater editū partum, expetebat ad deuorandum. Tum Rhea lapidē pānis inuolutum ei offerens, hunc peperi dixit: at ille statim saxum absorbuit. Verum, quacunq; ratione factū sit,*

sit, Titan frater illud percipiens, cum filijs, qui Titani à patre cognominabantur, bellum aduersus Saturnum suscepit, illumq́; & Opem sororē captos, muro inclusit: sed à Ioue filio deuictis Titanibus liberati sunt. Porrò Saturnus ex oraculo edoctus, fore ut à filijs regno pelleretur: et ob hoc Ioui insidias strueret, à Ioue regno pulsus in Italiam profugit, ubi diu apud Ianum regē latitauit: unde ea pars Italiæ Latium dictum est. reliqua uide suprà. Fabulantur etiam poëtæ, regnante Saturno ætatem auream fuisse, terram sua sponte expertem uomeris & aratri peperisse fruges: communes, & nullis designatas limitibus fuisse agrorum possessiones. Ab eo fit Saturnius, *a, um. Saturnia Iuno, & Saturnia regna dicimus.* Et Saturnia, *regionis & oppidi nomen. Vergil. lib. 8.*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Item Saturnalia, *dicebantur festa Saturni, quinq; dierum, quæ decimoquarto Calen. Ianu. celebrabantur.* His *quoq; diebus munera ultrò citroq́; mitti remittiq́; solebant. uide* Oden Horatianam, Donarem *pateras, &c.* Inde *fit* Saturnalitius, *a, um, quod ad Saturnalia pertinet. Mart.*

Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ, &c.

Satureum, *urbs Calabriæ, non longè à Tarento: unde* Satureianus, *a, um. Horat.*

Me Satureiano uectari rure caballo, &c.

Satyri, *monstra sunt Indiæ, humana facie, pedibus caprinis, toto corpore uilloso, nihil habentes moris humani, gaudentes syluarum latebris, & hominum commercia fugientes. Poëtæ fíciunt eos syluarū numina, aiūtq́; proteruos esse, & in Venerem procliues. Vide suprà Faunos.*

Faunos. *Vergilius in Bucolicis:*

Saltantes satyros imitabitur Alphesibœus.

Satyrus, *fluuij nomen in Aquitania, cuius meminit Luca. libro 1.* —*Tunc rura Nemetis*

Qui tenet, & ripas Satyri, quà littore curuo, &c.

Sauromatæ, *populi sunt Scythiæ. uide suprà* Sarmatæ. *Iuuenalis:*

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, &c.

S C.

Scæa, *porta Troiana dicebatur, à cadauere Laomedontis, hoc est, à scenomate, id enim tabernaculum siue sacculum significat, quod in eius superlimine erat. Verg. libro 3. Aeneid.*

—*Et arentem Xanthi cognomine riuum*

Agnosco, Scææq; amplector limina portæ.

Scæuola, *uide suprà* Mutius.

Scamander, *fluuius est Phrygiæ, ex Ida monte profluens, quem superi Xanthum, mortales uerò Scamandrũ nuncupant.*

Scamandria, *oppidum Troiæ.*

Schœneus, *rex fuit in Scyro insula, pater Atalantæ. Ab eo fit* Schœnēus, & Schœneis, *uide suprà* Atalãta.

Scinis, *latro fuit prope Corinthum, qui solebat homines laniare, curuatis pinibus, & diuersis hominum partibus diuersarum arborum ramis alligatis. Hunc postea interfecit Theseus. Ouidius libro septimo:*

Occidit ille Scinis, magnis male uiribus usus.

Sciron, *à quibusdam per y, scribitur, latro fuit in Attica regione, prope Megarã urbem, qui hospites suos cùm in scopulo sederet, aut lauare sibi pedes, aut se adorare cogens, eos incautos in mare præcipitauit. Tandem à*

dem à Theseo occisus est, cuius ossa in saxa mutata sunt: quæ Scironia ab illo dicuntur. Ouid. li. 7. Metam.

Tutus ad Alcatoën Lelegeia mœnia limes
Composito Scirone patet, &c.

Scironides petræ, apud Sene.

Scylla, filia fuit Nisi Megarensium regis, de qua suprà in dictione Nisus. Alia fuit Scylla Phorci & Cretæidos, seu Cratæidos nymphæ filia, quam Glaucus marinus deus amauit: & quoniam illam Circæ Solis filiæ, quæ illum diligebat, proponeret, irata Circe, fontem in quo lauari consueuerat Scylla, uenenis infecit, adeò ut dum descendisset in eum Scylla more solito, pubetenus repentè in uarias formas mutata est. Attamen cùm suam deformitatem horreret, in propinquum mare sese præcipitauit, & opere Glauci amasij dea marina facta est. De hac ita Verg. lib. 3. Aeneidos:

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore uirgo
Pube tenus: postrema immani corpore Pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Alij uerò dicunt Phorci & Hecates fuisse filiam, admirabili magnitudine, quæ habuit pedes duodecim, capita sex, ternos ordines dentium, & oculos ignitos, reliquo autem corpore absconditam in spelunca, petræq; adhærere innatam. Capita uero ita longè prominebant, ut posset ea in naues prætereuntes inserere, &c. Reuera tamen est saxum in monte Siculo contrà Charybdim, eminus humanam effigiem referens, & collisione fluctuum repræsentans latratus canum.

Scyros, insula est in mari Aegeo, in qua Achilles fœminam

nam mentitus delituit inter filias Lycomedis *regis, grauidamq́; fecit* Deidamiam, *& ex ea* Pyrrhum *suscepit.* Stat.in Achilleid.

–Quum te scopulosa leuauit Scyros, *&c.*

Scyrius, *a, um, adiectiuum.*

Scythia, *regio Septentrionalis, à* Scytha *Herculis filio, ut inquit* Herodotus, *ita dicta. Hæc diuiditur à* Tanai *fluuio, & pars una remanet in* Europa, *altera in* Asia *ferè usq; ad* Indiam *protendit.* Scythæ, *dicuntur populi.* Lucan.*libro* 3. *–Tinxere sagittas*

Errantes Scythiæ populi, &c.

Hinc fit Scythicus, *a, um.*

Scython, *quidam fuit, qui pro arbitrio modò in fœminã, modò in uirum commutabatur.* Ouidius *libro quarto* Metamorph.

–Vt quondam naturæ iure nauato

Ambiguus fuerit modò uir, modò fœmina Scython.

Scopas, *sculptor fuit nobilißimus, cuius meminit* Horat. *libro* 4. Carm. Ode 8.

Quas aut Parrhasius *protulit, aut* Scopas, *&c.*

S E.

Sebethus, *fluuius est prope* Neapolim, *cuius mœnia præterlabitur.*

Segesta, *urbs est* Siciliæ, *alio nomine* Acesta. *uide suprà.*

Seleucia, *prima* Syriæ *ciuitas, quam* Orontes *fluuius allabitur, condita à* Seleuco Nicanore, *siue ut alij habent,* Nicatore.

Seleucus, *unus ex principibus* Alexãdri, *qui primus post* Alexandri *mortem regnauit in* Syria *annos* 40. *Fuerunt & alij huius nominis.*

Selenus, *fluuius est* Ciliciæ *in finibus* Calendrarum,

qui emittit & recipit naues. Lucan.lib.8.

Quo portu mittitq; rates recipitq; Selenus.

Selinis, *urbs est Siciliæ iuxta* Lilybæum,*palmis abundans.hinc* Vergilius *libro tertio* Aeneid.

Teq; datis linquo uentis palmosa Selinis.

Sellæ, *oppidum est* Epiri, *cuius incolæ* Sellani *dicuntur.*Lucan.lib.3. —*Quercusq; silentes*

Chaonio ueteres liquerunt uertice Sellæ,&c.

Semele,*filia fuit Cadmi,ex qua Iupiter* Bacchum *suscepit.*Vide *suprà. Ab ea fit* Semeleius,*a, um, ut Semeleia proles.*

Semiramis,*is,uel idis,Assyriorum fuit regina,quæ quũ certò intelligeret,graue esse populo fœminæ pati principatũ,mortuo* Nino *marito,uirum mentita est,ut tantisper imperaret,dum filius* Ninus, *qui per impuberem ætatẽ adhuc regnare non poterat,adolesceret,regnoq; fieret idoneus.* Tantæ *libidinis fuisse traditur, ut non solum plerosq; ex militibus suis forma cæteris præstantiores admiserit, sed etiam prouocauerit, quos postea crudelissimè necabat.* Produnt *& nonnulli eam à* Nino *filio interemptam, cùm eius congressum appeteret.* Et *quod omnium est turpissimum, equum ab ea adamatum usque ad coitum,*Iuba *testis est apud* Plinium.Babylonem *condidit, quam quum nunciatum esset defecisse,mulier tam uehemẽti iracundia æstuabat, ut occupata corporis ornatu, altera parte incompta ad eam expugnandam cucurrerit.*Ouid lib.1.Elegiar.

Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse

Dicitur,*&c.*

Serra, *insula in mari* Britannico,*aduersa* Galliæ *littoribus.* Item *ciuitatis nomen in* Thuscia, *quam* Brennus

dux

dux Gallorum pro senibus ualetudinarijsq́;, & armentis extruxit.

Senogallia, *ciuitas est Vmbriæ, à Gallis Senonibus condita.*

Sentinum, *oppidum Vmbriæ, quod nunc Saxoferratum appellatur: à quo* Sentinates, *populi dicti sunt. Vocatum autem uolunt à Sentino amne, qui proximum illud defluit.*

Senones, *populi Galliæ Celticæ, qui Brenno duce Romam ceperunt, eamq́; exusserunt, præter Capitolium, quod cum adhuc obsiderent, Furius Camillus exul collecta manu Gallos profligauit. Lucan. lib. 1.*

Nos primi Senonum motus, Cymbrumq́; ruentem
Vidimus, &c.

Sequana, *fluuius est Galliæ, Belgas à Celtis separans. Oritur in ducatu Burgundiæ, & Parisios alluens, circa Rothomagum intrat Oceanum. Eius accolæ* Sequanici, & Sequani *dicuntur, Heluetijs, Heduis, & Lingonibus finitimi. Lucan. lib. 1.*

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis.

Serapis, *deus fuit Aegyptiorũ, uide suprà* Apis, Anubis, & Osiris. *Martialis:* —*Non illum mille catastæ*
Vincibant, nec quæ turba Serapin amat.

Seres, *populi in Scythia Asiatica, inter Tabin & Taurum montem, ad orientem meridianum, qui ex suis arboribus depectũt lanas tenuißimas, quas bombyces uermiculi aranearum instar conficiunt ex tenuißimis filis. Verg. lib. 2. Georg.*

Velleraq́; ut folijs depectunt tenuia Seres, &c.

In nominatiuo singulari Ser *habet. Sidon.*

Assyrius gemmas, Ser uellera, thura Sabæi, &c.

Hinc Sericum, *substant.* & Sericus, *a, um, adiect.*

Seriphos, *insula in mari Aegeo, unà ex Cycladibus, in quā relegabātur nocētes, ŭt in Gyaron. Iuuen. Sat. 10.*

Vt Gyaræ clausis scopulis paruaq; Sripho.

Hinc dicuntur ranæ Seriphiæ, quæ non coaxant. Vide prouerb. Rana Seriphia.

Seropta, *ciuitas Phœniciæ, apud quam nascebatur uinum laudatißimum, quod* Seroptanū *dicitur. Sidon.*

Quæq; Seroptano palmite mussa bibas, &c.

Sesostris, *rex fuit Aegypti, de quo Valer. Flac.*

–Cùm prima Sesostris Intulerit rex bella Getis.

Sestos, *urbs est ad Hellespontū sita, contra Abydum, patria Herûs puellæ: quæ inde* Sestias *appellatur. Statius lib. 6. Theba.*

Contrà autem frustra sedet anxia turre suprema
Sestias in speculis, &c.

Et Sestus, *a, um, possessiuum, apud Ouid. in Episto. Vide suprà* Hero.

Setabis, *oppidū Hispaniæ, quæ agrū habet nomine Spartariū, à sparto lini genere. Inde fit* Setabus, *a, um.*

Setia, *ciuitas est Campaniæ ferax optimi uini. Martial.*

Pendula pampineos quæ spectat Setia campos.

S I.

Sibylla, *dicitur omnis fœmina diuinans uel prophetans. Decem autē à Varrone et Lactantio numerātur. quarū prima fuit Persica, cuius metionē facit Nicanor, qui res gestas Alexandri descripsit. Secūda Libyca, cuius meminit Euripides. Tertia Delphica, de qua locutus est Chrysippus de diuinatione. Quarta Cumæa, quā Neuius in libro belli Punici, & Piso in Annalibus nominauit. Quinta Erythræa, quā Appollodorus Erythræus suam*

suam ciuē esse affirmauit: hæc Ilijsita prædixit. Sexta Samia, de qua scripsit Eratosthenes. Septima Cumana, nomine Amalthea, quæ ab alijs Erophile, seu Demophile, à Verg. uero Deiphobe nominatur: quæ nouē libros Tarquinio Romanorū regi obtulit, pro quibus petebat trecentos Philippicos aureos. Cum autem rex ob precij magnitudinem rideret, illa in eius præsentia tres libros cōbußit. Deinde regē interrogauit, an reliquos sex libros eodem precio emere uellet: illo renuente, iterum tres cremauit. Et cum pro tribus residuis peteret idem precium, rex mulieris constantiam admiratus pecuniā dedit, & libros accepit, qui Romæ diligentißimè seruabātur, à quindecim uiris ad hoc ordinatis, & periculosis temporibus legebantur: horum postea librorum numerus auctus est. Siquidē ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis præcipueq́; Erythræis coacti allatiq́; sunt Romam, quicunq; libri sub Sibyllarū nomine essent inuēti. Eadem fertur ab Apolline petijsse annos pro numero pulueris, quem manu continebat: unde ipsa loquitur hoc modo apud Ouid. lib. 14.

—Nam iam mihi secula septem
Acta uides, superest numeros ut pulueris æquem.
Tercentum messes, tercentum musta uidere
Tempus erit, quum de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet, consumptaq́; membra senecta.

Octaua Hellespontica, in agro Troiano nata, quā Solonis & Cyri temporibus uixisse tradunt. Nona Phrygia, quæ uaticinata est Ancyræ. Decima Tiburs, quæ & Tiburtina dicta est. Lucan. lib. 5.

Carmina longæuæ uobis commissa Sibyllæ, &c.

Sicābri, *Germaniæ populi, finitimi Menapijs, ad utrāq;*

Rheni ripam habitantes, flauos habent capillos, quos, ubi satis creuerunt, quodam artificio in nodum complicant. Martial. lib. 1.

Crinibus in nodum tortis uenere Sicambri, &c.

Sicania, *dicta est Sicilia, uel à Sicano rege Neptuni filio: uel à Sicanis populis, qui primi eam insulam incoluisse feruntur, cum antea circa Sicorim, siue (ut quidã scribunt) Sicarim Hispaniæ fluuium, à quo etiam id nominis sumpserunt, habitassent. Variat quantitas huius dictionis. Verg. lib. 3.*

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra, &c.

Idem libro 7.

Aruncæq; manus Rutuli, ueteresq; Sicani.

Quo loco Seruius dicit: Vbi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani, quos postea pepulerunt Aborigenes. Claud.

—Trifidamq; retentat Sicaniam, &c.

Inde fiunt Sicanius, *a, um. &* Sicanis, *idos, ut Sicanis Hybla.*

Sicoris, *fluuius est Hispaniæ. Lucanus:*

Hesperios inter Sicoris non ultimus amnis.

Sicilia, *nobilis insula, angusto, & periculosissimo freto distans ab Italia, cui olim cõiuncta fuit, ut est apud Vergilium lib. 3. Aeneid. Inde fit* Siculus, *&* Siciliensis. *Græcis Sicelia dicitur, unde Sicelis apud Ouidium in Epistol. & apud Verg. Eclog. 4.*

Sicelides musæ paulo maiora canamus, &c.

Dicta quoq; Trinacria, à tribus promontorijs, de quibus suo loco.

Sichæus, *filius fuit Philisthenis, sacerdos Herculis, & maritus Didonis, à Pygmalione iuxta aras incautus ob auri cupiditatem interfectus, ut est apud Verg. lib. 1.*

Quos

Quos inter medius uenit furor: ille Sichæum
Impius ante aras, &c.

Sicyonia, *insula Aegei maris, ex opposito ad Epidaurum, alta quidem & eminens, ut refert Plinius.*

Sicyon, *onis, urbs est Achaiæ, intra Isthmum Peloponesi, antiquissima, olearum prouentu, & picturis clara, Arati patria, non procul à Corintho, in qua primus regnasse fertur Aegialeus. In ea etiam Cicerone teste molles & muliebres calcei confici solebant, unde* Sicyonia *calciamenta dicta sunt. Ouid. in Ibin:*

Aut ut oliuifera quondam Sicyone profecto, &c.

Sidon, *urbs est Phœniciæ, à piscium copia sic appellata.* Sidonij *populi, et* Sidonius, *a, um: ut uestis Sidonia, id est, purpurea, quæ olim optimè in ea tingebatur. Syllabam do, indifferentem habet: ut Verg.*

–Sidoniasq; ostentat opes, &c. Idem:
Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido, &c.

Et Sidonia urbs, *dicuntur Thebæ à Cadmo conditore, Agenoris filio, quòd ex Phœnicia uenerit.*

Sidicinum, *oppidum est Campaniæ, alio nomine* Theanum *appellatum. Plini. lib. 2. cap. 5. Vergil. lib. 7.*

Arunci misere patres, Sidicinaq; iuxta
Aequora, &c.

Sigæum, *Troiæ promontorium, ita appellatum propter Herculis taciturnitatem. Hic enim quia prohibitus hospitio fuerat, simulauit abscessum, moxq; per silentium aduersus Troiã ueniens, eam cepit. Hinc fit* Sigæus, *&* Sigeius, *a, um. Verg. lib. 2. –Iã proximus ardet*
Vcalegon, Sigæa igni freta lata relucent.

Ouid. lib. 13. –Sigeia toruo
Littora prospexit, &c.

Silēnus, *Bacchi fuit alumnus & pædagogus: hūc poëtæ fabulantur semper asino uehi solitum, quem postea Aratus inter sidera translatum dicit. Verg. Eclog. 6.*

Silenum pueri somno uidere iacentem, &c.

Siler, *qui &* Silerus *dicitur, fluuius est Picentinorum, iuxta Salernum decurrens, Lucaniam à Picentinis Cāpanorum diuidit. Lucanus libro secundo:*

–Radensq; Salerni Culta Siler, &c.

Hic fluuius cum alibi saluber sit, tamen ultra Surrentum oppidum quicquid in eum proijcitur, durescit in lapidem, ut inquit Plinius. Silius lib. 8.

Nunc Silerus quos nutrit aquis, &c.

Simēthis, *nympha, ex qua Faunus Acin suscepit. Ouid.*

Acis erat Fauno nymphaq; Simethide cretus.

Simetus, *uerò sine aspiratione, Siciliæ fluuius est, nō procul à Catanensi urbe.*

Simoís, *fluuius est Troiæ, ex Ida monte profluens iuxta Ilium delabitur, & mari appropinquās commiscetur Xantho, ac in paludē cogitur, deinde cadit in mare iuxta Sigæum promontorium. Verg. lib. 1. Aeneid.*

Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad undas.

Simonides, *Græcus poëta lyricus, ex insula Cea oriundus, qui Melicus dictus est. Traditur primus fuisse apud Græcos lyricus ad mouendas lacrymas aptißimus. Plinius autor est, Simonidem octauam addidisse chordam. Literas quoq; inuenit, χ. ω. ψ. ξ. & quædam alia, ut flebile carmen.*

Sinas, *ados, uel* Sinada, *æ, oppidū est Phrygiæ, ubi marmor effodiebatur, quod Sindicum appellabant. Claud.*

Preciosaq; picto

Marmore, purpureis cædit quod Sinada uenis.

Stat.lib.1.Syluar.

Sola cauo Phrygiæ mittit quam Sinados antro.

Sinon, *filius fuit Autolyci, patri in furando & latrocinando simillimus. Alius fuit Sinon Sisyphi filius, prioris nepos, qui cum Græcis Troiam profectus, post diuturnum bellum ab ijsdem subornatus, sua sponte se Troianis capiendum obtulit, & ad Priamũ deductus illi & omnibus ciuibus Græcos abijsse, ac equum illum ingentem in urbem recipiendum esse, fictionibus suis persuasit, sed maximo eorum detrimento. Vergil. lib. 2.*

Talibus insidijs, periuriq́; arte Sinonis
Credita res, &c.

Plinius tradit, huius inuentum fuisse significationẽ specularíam.

Sinope, *Asopi filia dicitur, quam Apollo raptam in Pontum traduxit, & ex ea genuit Syrum, unde Syri postea appellati sunt: tametsi alij Martis & Aeginæ, alij Pernasses & Martis: quidam autem non ab Apolline uitiatam, sed ab eo & Ioue perpetuam uirginitatẽ sortitam, cum illi spe concubitus, quicquid postulasset, ei daturos se promisissent.*

Sinope, *es, uel* Sinopis, *is, urbs est Ponti, à Milesijs condita, patria Diogenis Cynici, & Diphili poëtæ comici. Valer. Flaccus lib. 5.*

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope.

Et Sinopis, *idos, dicitur rubrica, quæ prima apud Sinopen inuenta est.* Sinopicus, *a, um, adiect.*

Sinuessa, *urbs est Campaniæ, sita ad Lirim fluuium, & in Setino sinu, celebraturq́; ob uini, quod* Sinuessanum *dicitur, abundantiam.*

Siphnus, *insula in mari Aegeo, in qua auri & argenti*

fodinæ erant. Hæc antè Eropia,*&* *Acis appellata est.*
Sipontum, *quæ &* Sipons, *siue* Sipuns,*ntis,urbs est Apuliæ,iuxta Garganum montem, à* Diomede *cōdita: unde fit* Sipontinus,*a,um.Hæc quoq; Sepius,untis,à multitudine eiectarum fluctibus sepiarū appellata est.* Hinc Sepiuntinus,*a,um.Lucan.lib.5.*
–Et subdita Sipuns Montibus,&c.
Sirenes,*filiæ fuerunt Acheloi &* Calliopes *Musæ,habitantes in mari Siculo. Earū nomina sunt Parthenope, Lygia,& Leucosia.Ouid.lib.5.Metam.tradit has fuisse socias Proserpinæ,eamq́; raptam diu quæsisse:quam cum non inuenissent,in marina monstra conuersas, sursum uersum uirginea forma, postrema corporis parte pisces. Hæ præterea uoce,cythara,& tibijs tam blāde canebant,ut cantus dulcedine nautas sopirent,sopitos demergerent,demersos etiam deuouarent. Vlysses autē illac nauigaturus, aures sociorum suorū cera clausit, ne illarum cantus audirent, seipsum autem ad malum nauis alligari fecit, & sic euasit, atq; ob hoc mortuas quidam tradunt.Ouid.*
Monstra maris Sirenes erant,quæ uoce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.
Sirius, *stella est in ore* Canis *maioris, ad quam cum sol mense Iulio uenit,duplicatur æstus,& præ nimio calore languent mortalia corpora.Lucan.lib.10.*
–Rapidus quà Sirius ignes Exerit,&c.
Sisyphus,*filius fuit* Aeoli,*& latro in Isthmo, qui ex hospitibus alios saxo prægrandi onerans perimebat, alios calce,dum ei pedes lauarent,in aquas deturbabat, demū à Theseo occisus est. Apud inferos autē hanc pœnā luere dicitur,ut semper relabentē scopulū ad uerticem*

cem montis cogatur uoluere. Ouid. lib. 4. Metam.

Aut petis aut urges rediturum Sisyphe saxum.

Fuit & alius Sisyphus Corinthiorum rex, cui Merope Atlantis filia nupsit. Ouidius:

Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit.

Ab eo fit Sisyphius, *a, um, &* Sisyphides, *patrony.*

S M.

Smilax, *nomen puellæ cuiusdã, quæ amore iuuenis Croci tabescens mutata fertur in herbã sui nominis, quæ similis est hederæ: siue in flores, ut ait Ouid. lib. 4. Meta.*

Et Crocon in paruos uersum cũ Smilace flores, &c.

Hinc fit Smilaceus, *a, um.*

Smintheus, *dictus est Apollo, à Sminthia urbe Hellespõti, Cretensium colonia. Ouid. lib. 6. Fastor.*

Consulitur Smintheus, lucoq; obscurus opaco, &c.

Smyrna, *urbs Ioniæ in minori Asia, quam fluuius Meles circumfluit. Hæc à quibusdam dicitur Homeri patria. uide suprà Colophon. Ab ea fit* Smyrneus, *a, um. Lucanus lib. 9.*

Quantum Smyrnei durabunt uatis honores.

S O.

Socrates, *Atheniẽsis philosophus, patrẽ habuit Sophroniscum marmorarium, matrem Phanaretam obstetricẽ. discipulus fuit Archelai Physici. primus omnium cœpit de moribus disserere. Vxorem habuit Xantippen, cuius clamosas iniurias probrosaq; conuitia tulit patientissimè, ut etiã ab eadem aqua perfusus cum risu dixerit, Sciebam quòd post tonitrua Xantippes, sequeretur imber. Victu fuit facili. Dæmonem se habere fatebatur, à quo futura perdisceret. Accusatus postremò ab Anyto quodam diuite, & Melisso poëta, & Lycone*

oratore,

oratore, uel quòd de dijs male sentiret, uel ut alijs placet, ob flagitiosam in pueros libidinem, & in carcerē coniectus, cicutam porrectam hausit intrepidè, neglecta, quam ad patrociniū suæ salutis obtulerat Lysias, oratione. Sed statim populus mortem eius ita doluit, ut accusatores eius uel morte, siue ut alij, exilio punirent, & ipsi Socrati statuam æream dedicarent.

Solon, Salaminius, fuit unus è septē sapiētibus Græciæ. Leges dedit Atheniensibus, abrogatis illis, quas prius tulerat Draco, quòd essent seueræ nimis & sanguinariæ. Relicta patria uenit in Lydiam, ibiq; Crœso opes suas ostentanti, & percontanti, esset'ne quisquam in toto orbe terrarum felicior: respondit Tellum quendam pauperculum, alioqui iustißimum, qui in suo prædiolo solitarius consenuerat, feliciorem esse, adiecitq; nihil debere dici beatum, quod temporum mutationi subiaceat. Quam sententiam postea probauit Crœsus captus à Cyro Persarum rege. Demum in Ciliciam profectus, ciuitatem de suo nomine Solos ædificauit: ibiq; Athenienses colonos constituit. Mortuus est in Cypro annos natus octoginta. Moriens iußit ossa sua Salamina transferri, ibiq; particulatim proijci & dißipari, ne Athenas inferrentur: discedens enim iureiurando Athenienses adegerat, non prius antiquaturos leges, quas eisdem dederat, quàm rediret. Manilius:

–Iustusq; Solon, fortisq; Lycurgus.

Solymi, populi fuerunt iuxta Lyciā, quos Homerus scribit pugnacißimos fuisse, & à Bellerophonte deuictos. Et Solymæ, marum, nobilißima totius Iudææ ciuitas, quæ & Hierosolymæ, arū: unde Hierosolymitanus, a, um. Iuuenalis, –Interpres legum Solymarū, &c.

Solymi, *dicuntur incolæ.*

Sophene, *es, regio prope Armeniam, iuxta Masium & Antitaurũ montes, à parte septentrionali. Lucan. lib. 1.*

—Mollesq; Sophenæ, &c.

Sophocles, *Atheniensis poëta tragicus, Colononicæ tribus fuit, Sophili filius, Socrate septemdecim annis senior, Euripidi contẽporaneus. ipse primus tribus actoribus usus est, & eo qui uocatur* Tritagonista. *Primus etiam chorum ex iuuenibus introduxit, quũ antea duodecim tantum introducerentur. Propter suauitatem uocatus fuit Apes. atq; ipse primus fuit, qui tragicas contẽtiones ac cõpositiones instituit. Scripsit insuper Elegiam & Pæanas, atq; orationẽ prosam, quum de choro aduersus Thespim & Cherilum contenderet. Obijt autem sexto anno post Euripidis mortem. Exhibuit fabulas uiginti tres & ducentas, & adhuc (ut nonnulli uolunt) plures: uictorias autem uiginti tres reportauit. Ab eo fit* Sophocleus, *a, um. Verg. Eclog. 8.*

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Sophron, *onis, poëta fuit Syracusanus, cuius scripta erant admodum obscura. Stat. lib. 5. Syluar.*

Sophronaq; implicitũ, tenuisq; arcana Corinnæ, etc.

Sora, *oppidum fuit Volscorum, de quo Liuius lib. 9. & Iuuenal. —Optima Soræ, &c.*

Soracte, *generis neutri, mons est Harpinorum in Faliscis, Apollini sacer. Verg. lib. 11.*

Summe deũm, sancti custos Soractis Apollo.

S P.

Sparta, *æ, urbs Laconiæ, metropolis in Peloponeso, à Sparto Phoronei filio, qui eam ædificauit, sic appellata. Alio nomine Lacedæmon. Hinc fit* Spartiata, *&*

Spartanus

Spartanus. Vergilius:

Virginis os, habitumq́; gerens, & uirginis arma
Spartanæ, &c.

Spartacus, *gladiator, Thrax genere, magnis uiribus præstans, qui effracto ergastulo Lētuli, Capuæ cū octo ginta eiusdē fortunæ uiris, seruos ad uexilla uocauit, factoq́; exercitu Ceruesium montem in Campania occupauit, ubi cū à Clodio Glabro obsideretur, eius castra diripuit, & Campaniam populatus, raptis prætorum fascibus appellatus est imperator. Inde Lentuli exercitum in Apennino dißipauit: apud Mutinā Caßij castra deleuit. Tandem cum de urbe inuadenda deliberaret, à M. Crasso pulsus, fugatusq́;, cum Brutium angulum occupasset, nec in Siciliam præ nauium penuria traijcere potuisset, cum suis omnibus fortißimè dimicans quasi imperator occisus est. Lucan. lib. 2.*

—Parthorum utinam post prælia sospes,
Et Scythicis Crassus uictor remeasset ab oris,
Vt simili causa caderes, qua Spartacus hostis.

Sperchius, *fluuius est Thessaliæ, ex Pelio monte scaturiens, cui Achilles uouerat comas, si rediisset à Troia incolumis. Lucan. lib. 6. —Ferit amne citato*
Maliacas Sperchios aquas, &c.

Speusippus, *philosophus Atheniensis, Platonis ex sorore nepos, qui octo annos scholæ Platonicæ præfuit. Ferūt hunc senio confectū, sibi mortem consciuisse mœrore impulsum. Plutarchus uero phtiriasi interiisse dicit.*

Sphinx, *monstrum fuisse traditur uirginea facie, pennis auiū, pedibus leoninis, quod olim Thebas ueniens, sequens ænigma proposuerit occurrentibus: Quodnam est animal primum quadrupes, bipes demum, postremo tripes.*

tripes. Quod qui non soluerent, à Sphinge occiderentur. Tandem ueniens Oedipus ita soluit, ut hominē esse diceret: qui in infantia manibus & pedibus nitēs quadrupes, in iuuentute pedibus tantum, & bipes, in senectute uerò baculo utens tripes est. Tunc Sphinx se de saxo præcipitē dedit. Reuera Sphinx est animal mōstrosum in Aethiopia de genere simiarū, fusco pilo, mammis in pectore geminis, & homini persimile, nisi quòd pilosum est & solitudinem colens. Stat. lib. 1. Theba.

—Si Sphingos iniquæ
Callidus ambages te præmonstrante, &c.

Spio, *nympha Nerei & Coridis filia, sic appellata à spe luncis maris, in quibus nymphæ habitare dicūtur. σπέος, enim spelunca est. Vergilius libro 4. Aeneid.*

Niseq́;, Spioq́;, Thaliaq́;, Cymodoceq́;, &c.

Sporades, *insulæ, quæ circa Cretam in mari Caparthio sitæ sunt. Sic appellatæ, quòd in mari sparsæ sunt. Harum nomina hæc sunt,* Hellene, Phocusa, Hecuria, Schinusa, Pelegrados, Thera, Anaphe, Astypalea, Lagusa, Ios, *in qua sepultus fertur* Homerus.

S T.

Stæchades, *tres sunt insulæ in ostio Rhodani sitæ, uicinæ Maßiliensibus, nominatæ sic propter ordinem, quo sitæ sunt. Harū nomina sunt,* Themista, Pomponiana, Hypea: *Plinius eas sic uocat,* Prote, Mese, Hype, *id est, prima, media, infima. Lucan. lib. 3.*

Et iam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite claßis
Stæchados arua tenens.

Aruntius Stella, *poëta* Patauinus, *natus est familia consulari. Violantillam amauit puellam* Neopolitanam,

quam tandem duxit uxorem. Hæc in delitijs habuit columbam, auem dicatam Veneri, quam Stella fleuit defunctam pulcherrimo carmine: opusq; ipsum Columbam inscripsit. Mart. lib. 12.

Laurigeros habitat facundus Stella penates.

Stelenus, rex fuit Argiuorum, quem Danaus regno pepulit, & ipsum regnum ad se pertraxit.

Stenelus, filius fuit Capanei & Euadnes, de quo Verg. libro 2. Aeneidos:

Tisandrus, Steneluśq; duces, & dirus Vlysses.

Fuit & alius huius nominis, Persei & Andromedæ filius.

Stenio, una est Gorgonum, uide suprà.

Stenoboea, quæ à quibusdam Stenoboë, seu Stenobe appellatur. uide suprà de Bellerophonte. Ab ea fit Stenoboeius, a, um. Sidonius:

Quam si spectasset quondam Stenoboeius heros.

id est, Perseus, nepos Proeti ex fratre.

Stentor, quidã fuit in exercitu Græcorum uocalißimus, qui solus tantum uociferabatur, quantum alij quinquaginta. Sunt qui dicant ipsum interfectum à Mercurio, quocũ de uocis magnitudine certabat. Iuuen. Satyr. 13.

Tu miser exclamas, ut Stentora uincere poßis.

Sterope, Atlantis fuit filia & Pleiones. Vide suprà de Pleiadibus,

Steropes, unus fuit è ministris Vulcani. Verg.

Brontesq; Steropesq;, & nudus mẽbra Pyragmon.

Stesichorus, poëta fuit lyricus, ex Himere Siciliæ ciuitate, qui excæcatus, quòd scripsisset Helenæ uituperationẽ, palinodiam cecinit, & amissum recepit uisum. Tradunt lusciniam aliquando in ore Stesichori infantis cecinisse,

ciniſſe, mirabili auſpicio ſummũ eum poëtam futurum, & cantus ſuauitate omnes, qui ante ſe fuerant, ſuperaturum. Horat. *–Steſichoriq́; graues Camœnæ, &c.*

Strabo, *philoſophus Cretenſis, geographus inſignis, qui uixit temporibus Auguſti, cuius ſcripta hodie adhuc extant.*

Strophades, *inſulæ duæ ſunt in mari Ionio, quæ antea Plotæ uocabantur.* Verg. lib. 3. Aeneid.

Accipiunt, Strophades Graio ſunt nomine dictæ,
Inſulæ Ionio in magno, &c. Vide Calais.

Strophius, *rex Phocidis, & pater Pyladis. uide ſuprà de* Oreſte, *&* Pylade.

Strymon, *fluuius eſt Thraciæ, ex Aemo monte profluens, & Thraciam à Macedonia ſeparans. Luca. lib. 5.*

Strymona ſic gelidum bruma pellente relinquunt.

Inde fit Strymonius, *a, um. ut Strymoniæ grues, apud Vergilium.*

Stymphalus, *oppidũ eſt Arcadiæ. &* Stymphalis, *palus. In hac aues quædam immenſæ magnitudinis fuerunt, quas Hercules non ſagittis, ut quidam putant, ſed ſonitu aheneí crepitaculi fugauit, & uſq; ad inſulam Aretiada propulit. Inde fit* Stymphalius, *a, um: &* Stymphalis, *idis. Verg. de laboribus Herculis:*

Stymphalides pepulit uolucres diſcrimine quinto.

Styx, *fluuius infernalis, per quem dij iurabant: nec tale iuramentũ fas erat uiolare. Si quis Deorum uiolaſſet, centum annis à nectare abſtinebat, & numinis maieſtate erat priuatus. Inde fit* Stygius, *a, um. Verg.*

–Stygiamq́; paludem,
Dij cuius iurare timent, & fallere numen, &c.

Eſt & Styx paruus fluuius iuxta Nonacrin *Arcadiæ*

montem, ex saxis profluens, cuius aqua uenenum est præsentißimum: epota illicò necat. Tradunt Antipatrũ hoc uenenum, consilio, ut quidam putant, Aristotelis, Alexandro regi Macedonum dedisse. Est & alia palus huius nominis in Aegypto iuxta Memphim, ambiens Abaton insulam.

S V.

Suburra, uicus fuit in urbe Roma, in quo, ut quidam, uolunt, meretrices habitabant, quæ propterea Suburranæ uocantur. Iuuen. Satyr. 11.

Aesquilias à feruenti migrare Suburra.

Sueßiones, populi Galliæ, in prouincia Remensi.

Sueui, populi Germaniæ, bellicosißimi, Bauaris finitimi, qui solebant olim obliquare crinem, nodoq́; substringere. Principes habebant ornatiorem capillum, quàm plebeij. Lucan. lib. 1.

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Sueuia, dicitur eorum regio. Olim circa Albim habitarunt.

Sulmo, onis, oppidum in Brutijs Pelignorum, patria Ouidij: unde ipse ait:

Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,
Millia qui nouies distat ab urbe decem.

Dictus Sulmo à Solymo Aeneæ comite, conditore eiusdem oppidi. Idem Ouidius:

Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida,
À quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Sumanus, dicitur Pluto, quasi summus manium. Ouidius libro 6. Fastor. —Sumano templa feruntur.

Susa, æ, uel Susa, orum, ciuitas clarißima Persiæ, in regione Susia, seu Susiana, quæ est contermina Babyloniæ & Assyriæ,

& Assyriæ, condita à Tithono Memnonis patre, & à Suso fluuio sic dicta. In hac fuit regia Syri, lapide candido & uario, columnis aureis, & lacunaribus, gemmisq; distincta. Propert.

Non tot Achemenijs armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit amor.

S Y.

Sybaris, urbs fuit Calabriæ, in sinu Tarentino, ad Crati dem amnem, cuius ciues adeo luxu delitijsq; dediti fuerunt, ut omne robur tam animi, quàm corporis amiserint, & breui tẽpore à Crotoniatis uicti & deleti sint. Hinc Sybariticus, a, um, id est, luxuriosus. Sybaritæ, populi. Est & alterius cuiusdam oppidi nomen. & iuuenis apud Horat. in Odis: Lydia dic per omnes

Te deos oro, Sybarim cur properes amando.

Syene, ciuitas est Thebaidis Aegypti prouinciæ, constituta sub æstiuo tropico, propterea Sol, existẽte in Cancro medio solstitij die, supra uerticem ciuitatis cadens, nullam prorsus in ea umbram facit. Lucan. lib. 2.

–Calida medius mihi cognitus axis
Aegypto, atq; umbras nusquam flectente Syene.

Syla, mons & sylua est Lucaniæ. Vergil. lib. 12.

Ac uelut ingenti Syla, summo'ue Taburno, &c.

L. Cornelius Sylla, nobilis Romanus, qui post multas res præclarißimè gestas ciuiles discordias exercuit cũ Mario, quo fugato in eiusdem fautores crudelißimè sæuijt. primus proscriptorum tabulas produxit, primus quoq; dictaturã inuasit, quam tamẽ postea sponte deposuit. Perijsse tandẽ fertur morbo pediculari. Luc. lib. 4.

–Mariusq; ferox, & Cinna cruentus, &c.

Syluani, dij sunt syluarum. Lucan. libro 3.

Hanc non ruricolæ Panes, nemorumq; potentes Syluani, &c.

Symplegades, *insulæ sunt in mari Bosphoro, quæ aliquando feruntur inter se concurrisse. Claud.*

Vitant instabilem rursus Symplegada nautæ.

Vide suprà Cyaneæ.

Syphax, *rex fuit Numidarum, qui cùm Scipioni per Lælium amicitiam promisisset, & postmodum uiolata fide adhæsisset Annibali, uictus ab ipso Scipione, ductus est in triumphum, expirauitq; in carcere. atq; eo mortuo, regnum datum est Masinissæ. Propert. lib. 3.*

Annibalis spolia, & uicti monumenta Syphacis.

Claudianus. —Haurire uenena

Compulimus dirum Syphacem.

Syracusæ, *arum, nobilißima Siciliæ urbs, in qua cœlum non adeo nubilum, quin unam horam luceat, ut inquit Solinus. In ea quoq; est Arethusa fons, poëtarum carminibus celebratißimus. Ouidius:*

Vtq; Syracusas Arethusidas abstulit amnis.

Hinc fit Syracusius, & Syracusanus, *a, um.*

Syria, *est regio Asiæ, quæ ab Oriente fluuio Euphrate, ab Occasu nostro mari & Aegypto, à Septētrione Cilicia, et Cappadociæ parte, à Meridie Arabia terminatur. Continet in se Phœniciam, Mesopotamiam, Palæstinam & Babyloniam, quæ & Assyria dicitur. Syri sunt eiusdē populi, ludis celebritatibusq; dediti. Perunguntur oleo precioso, & linuntur unguentis. Maximam diei partem in commessationibus absumunt & potu. Masculi à 14. anno, fœminæ à 12. usq; 65. tributo obligantur. Fortunam colunt. Iuuen. Satyr. 6.*

Quàm quæ longorum uehitur ceruice Syrorū, &c.

Syrinx,

Syrinx, *nympha fuit Arcas, quam Pana adamasse ferūt, ut suprà indicauimus.* Ouidius:

Naias una fuit, nymphæ Syringa uocabant.

Syrtes, *duo loca circa finem Amphricæ, uersus Aegyptū periculosißima, propter aquas reciprocas dicta, ἀπὸ τοῦ σύρειν, id est, trahendo.* Lucanus *lib.* 1.

Reppulit à Libycis immensum Syrtibus æquor.

Syrtium descriptionem uide apud Sallustium, in bello Iugurthino.

Sython, *mons est Thraciæ, cuius uertex perpetuis niuibus est coopertus: à quo fit* Sythonius, *a, um.* Vergilius *Eclog.* 1.

Sythoniasq; niues hyemis subeamus aquosæ.

Et Sythonia, *dicta olim fuit Thracia ab hoc monte.*

DE LITERA T.

T A.

TAburnus, *mons est Campaniæ, oliuetis abundans.* Vergilius: *–Iuuat Ismara Baccho*

Conserere, atq; olea magnum uestire Taburnum.

Tænarus, *promontorium est Laconiæ, iuxta Spartam urbem, in cuius summitate maximus est hiatus, adeò ut flante uento ingentem sonitum faciat. Vnde fabulantur poëtæ ibi patere descensum ad inferos. Hinc fit* Tænareus, *a, um.* Vergilius:

Tænareas etiam fauces, alta ostia Ditis, &c.

Tænarides, *dicitur Hyacinthus ab Ouidio:*

Tollere Tænarides orbem properabat, &c.

Tænarum *uero, neutri gen. oppidū est huic promōtorio adiacens, ad quod peruenit Ariō fidicē delphine uectus. Nomē autē & mōs & urbs acceperūt à Tænaro*

Elati filio, ex Erimede Damasci filia suscepto.

Tages, *primus omnium aruspicij disciplinam Hetruscis dedit.* Ouid. *libro* 15. *Metam.*

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros, &c.

Tagus, *fluuius est Lusitaniæ, qui ramenta quandoq; aurea fertur euoluisse.* Mart. *libro* 10.

Auriferumq; Tagum sitiam, patriumq; Salonem.

Tanager, *fluuius est Italiæ, inter Campaniam & Calabriam defluens.* Verg. *lib.* 3. Georgic.

–Et sicci ripa Tanagri, &c.

Inde fit adiect. Tanagræus, *a, um.*

Tanais, *fluuius est Scythiæ, ex Riphæis montibus defluens, Asiam ab Europa diuidit: demum duobus ostijs Mæotim influit.* Lucan. *lib.* 3.

Quà Crœso fatalis Halys, quà uertice lapsus
Riphæo Tanais diuersi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæq; & terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ, &c.

Tantalus, *filius Iouis, & rex Phrygiæ, qui cùm deos conuiuio accepisset, ut eorum diuinitatem experiretur, Pelopem filium membratim discerptum, coctumq; apposuit cõmedẽdum: illi uerò cum abhorruissent cibum, nõ solum abstinuere, sed collectis in unum membris puerũ in formã pristinam reduxere, & reuocata per Mercurium anima, eam illi restituere. Sed cũ aduerterẽt humerum deesse puero, quẽ deuorauerat Ceres, loco cõsumpti, eburneũ refecere. Tantalum autẽ ad inferos detrusum perpetua fame torqueri constituere, aquis & pomis ori imminẽtibus, quæ non possit corripere. Alij dicunt hoc tormenti genus illi inditum esse, quòd deorũ*

secreta

secreta mortalibus reuelauerit. Ouidius:

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit, &c.

Tantalides, *æ, &* Tantalis, *idos, patronym.*

Tapsus, *insula decem stadijs à Sicilia distans uersus Syracusas. Verg. lib. 3. –Tapsumq́; iacentem Alij primam aspirant.*

Taranis, *dicebatur Iupiter à Gallis, cui humano sanguine litabant. Vide* Teutates. *Lucan. lib. 1.*

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Tarentum, *urbs fuit Calabriæ clarißima, usu purpuræ celebris, à Tara Neptuni filio condita, aucta tandem à Laconibus, qui duce Phalanto (cuius suprà mentio facta est) pulsis prioribus incolis, eam per uim occuparunt, & tenuerunt. Verg. lib. 3.*

Hic sinus Herculei (si uera est fama) Tarenti,
Cernitur, &c.

Inde Tarentinus, *a, um, ut Tarentina lana, apud Calphur. Eclog. 2.*

Tarpeia, *puella Romana, filia Tarpei custodis Capitolij tempore Romuli, quæ Tatio regi Sabinorũ, & tunc Romanorum hosti Capitolium prodidit, hoc tamen pacto, ut quod in sinistro humero ferrent Sabini, darent, putans scilicet armillas aureas: at illi scuta in eam conijcientes, necauerunt, atq; iuxta Capitolium sepelierunt, unde Capitoliũ dicitur* Tarpeius *mons, uel* Tarpeia *rupes, &c. Vergilius lib. 8.*

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit.

Tarquinius Priscus, *antea Lucumo dictus, quintus rex Romanorum, quem Ancus Martius quartus Romanorum rex filiorum suorum tutorẽ constituit: sed is filio-*

rum regis oblitus, Romanorum *regno præter æquum & fas potitus est.*

Tarquinius Superbus, *septimus & regum* Romanorũ *ultimus, qui generum suum* Seruiũ Tullũ *dolosè inter= emit, eiq; in regno succeßit, & cũ multis annis impe= rasset, ob* Lucretiæ *à filio* Sex. Arũte *illatum stuprum, ac alias tyrannides, regno eiectus, ad* Porseham Hetru *scorum regem cõfugit: qui diu* Romam *obsedit. sed* Ro *manorum fortitudine deterritus, obsidionem reliquit.* Tarquinius *uerò* Cumas *conceßit, ubi per summam i= gnominiam reliquum uitæ tempus exegit.* Ouidius:

Vltima Tarquinius Romanæ *gentis habebat*
Regna, uir iniustus, fortis ad arma tamen.

Tarraco, *insignis* Hispaniæ *ciuitas*, Scipionum *opus, à qua prouincia ipsa* Tarraconia, & Tarraconensis *uocatur. Nobilitata est uino, quod* Tarraconense *dici tur.* Martialis:

Tarraco Campano tantum cessura Lyæo, &c.

Tarracina, *oppidum* Volscorum *in* Cãpania, *antea* Tra chyna, *à loci asperitate appellatum. Dicebatur alio no mine* Anxur.

Tarsus, *alij aspirant* Tharsus, *urbs clarißima, &* Cili= *ciæ metropolis, quam* Cydnus *fluuius amœnus & geli dißimus intersecat. Hanc quidam à* Sardanapalo *ulti= mo* Aßyriorum *rege una die conditam scribunt. Alij, ut* Strabo, *ab* Argiuis: *& rursus alij, à* Perseo Danaës *filio extructam asserunt. unde* Lucan *lib. 4.*

Deseritur Tauriq; nemus, Perseaq; Tarsus.

Tartari, *populi sunt* Scythici, Nomades. *uide suprà.*

Tartessus, *alio nomine* Carteia, *urbs est in littore maris, prope* Gades *insulam, in ipsis freti angustijs, ubi &*

Mellaria

Mellaria est, Pomponij Melæ patria. Inde fit Tartessius, & Tartessiacus, *a, um. Sidonius:*

Ad Tarteßiacum uenit Indus aquator Iberum.

Tatius, *rex fuit Sabinorum, qui aduersus Romanos bella geßit: sed demum reconciliatus, à Romulo in urbem receptus est. Verg. lib. 8.*

–Subitoq́; nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioq́; seni, Curibusq́; seueris, &c.

Taulantij, *populi in Lyburnia, ut Plinius testatur, ex quibus nonnulli iuxta Dyrrhachium habitatum se contulerunt. Hinc Lucanus libro sexto:*

Quemq́; uocat collem Taulantius incola petram,
Insedit castris, &c.

Taurica, *Chersonesus peninsula, prouincia est Europæ, cuius fines sunt Isthmus, palus Mæotis, Põtus, & Cimmerius Bosphorus.* Tauri, *siue* Taurici, *dicuntur populi regionis Tauricæ, immanes moribus, immanemq́; famã habentes, quòd soleant pro uictimis Dianæ, quæ ibi colebatur, religiosißimè aduenas cædere.*

Taurominium, *mons est Siciliæ multis bobus abundans, & supra eum urbs eiusdem nominis, à quo* Taurominitanus *ager, &* Taurominitani, *ciues. Lucanus libro 4.*

Taurominitanam uincunt feruore Charybdim.

Taurus, *mõs est, qui ab Indico mari surgit, deinde inter Aegyptũ & Pãphylicũ pelagus obiectus septentrioni dextro latere, læuo meridianæ plagæ occurrit, deniq; Riphæis iugis se annectit. Appellatur autẽ uarijs nominibus pro gentiũ ac linguarum uarietate. Apud Indos Hiamos, apud Parthos Prænyphates, inde Taurus: ubi uerò in maximã surgit sublimitatẽ, Caucasus. Sil. li. 12.*

Hinc

Hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina uiset, &c.
Est quoq; sydus, & nomen signi in zodiaco.

Taygeta, Agenoris fuit filia, ex qua Iupiter Lacedæmonem genuit. licet sint, qui Semeles filiam faciant. Alia fuit Taygeta Atlantis & Pleiones filia. Vide suprà de Pleiadibus.

Taygetus, mons est Laconiæ, sub quo Sparta & Amyclæ, in regione mediterranea. Lucan. lib. 5.

Gelidiq; inculta iuuentus Taygeti, &c.

T E.

Tearus, fluuius est Thraciæ limpidißimus, ad cuius caput Darius ad Scythas proficiscens metatus est castra, ibiq; se tribus diebus continuit, eius uidelicet dulcißima aqua adeò delectatus, ut in eo loco columnam Græcis literis inscriptam apposuerit.

Tegea, urbs Arcadiæ, quam Argiui nouē populis, ut ait Strabo, habitandam dederunt. Tegeates, populi. Inde Tegeaticus, a, um. & Tegeæus, a, um. Propertius:

Fictilis & calami Pan Tegeæe tui, &c.

Teium, uel Τέως, urbs in Paphlagonia, in qua ortus fuit Anacreon Iāborū scriptor. Vnde Teius, a, um. Ouid.

Quid nisi cum musto Venerem confundere uino
Præcepit lyrici Teia musa senis? &c.

In hoc quoq; fuit Apollinis templum, unde Apollo Teius dicitur.

Telamon, filius fuit Aeaci, fratrū maximus natu, qui cū Argonautis Colchos ad rapiendum aureum uellus profectus est. Et Herculis quoq; socius, primus murum Ilij ascendit, cū illud Hercules expugnaret, propter quod factum Hesiona Laomedontis filia in præmium ipsi ab Hercule data est, ex qua postea Teucrum suscepit, cum iam

iam ex alia Aiacem genuisset. Ouid. lib. 13.
Finierat Telamone satus, &c.
Ab eo fit Telamoniades, patronym. & Telamonius, a, um.
Telchin, dicta est Rhodos insula, eiusdem populi Telchines, qui cum omnia aspectu suo in peius commutarent, à Ioue sunt submersi. Ouid. libro septimo:
Phœbeamq; Rhodon, & Ialisios Telchinas,
Quorum oculos ipso mutantes omnia uisu,
Iuppiter exosus, fraternis subdidit undis.
Teleboæ, Aetoliæ fuerunt populi, latrocinio infamati.
Teleboæ, quoq; populi fuerunt Cãpaniæ. Verg. lib. 7.
Teleboûm Capreas cum regna teneret, &c.
Teleboas, gigantis nomen.
Telegonus, filius fuit Vlyßis ex Circe, qui dũ grãdis patrem quæreret, eum incognitum in Ithaca occidit, cum & ipsemet ignotus hospitio à patre prohiberetur. Inde in Italiam rediens Thuscum condidit. Ouidius:
Et iam Telegoni, iam mœnia Tyburis ubi
Stabant, agricolæ quæ posuere manus.
Telemachus, Vlyßis fuit filius paruulus, Penelopæ matri à patre ad Troianum bellũ abeunte relictus: qui multa interim à procis matris perpessus, tandem omnes reuerso patre ultus est. Ouid in Epist.
Tres sumus imbelles numero, sine uiribus uxor,
Laërtesq; senex, Telemachusq; puer.
Telemus, filius fuit Eurymi, inter Cyclopas uates egregius, qui Polyphemo prædixit omnia, quæcunq; ab Vlysse passus est. Ouid. lib. 3.
Telemus Erymides, quem nulla fefellerat ales, &c.
Telephus, filius fuit Herculis ex Auge nympha, nutritus à cer

à ceruа: hic postea Mysorum rex factus, cum Græcos ad expeditionem Troianam proficiscentes prohibere uellet, ne per Mysiã transirent, ab Achille uulneratus est, qua plaga sanari prius nõ potuit, quàm suadẽtibus oraculis eadem hasta ab Achille repercuteretur. Quod ita intelligitur, quia è rubigine emplastrũ fecit Achilles quo uulnus sanauit. Ouid. –Ego Telephon hasta

Pugnantem domui, uictum, orantemq; refeci.

Telmesum, oppidum Lyciorum, cum promontorio & portu. Inde Telmesis, idos, Lucan. lib. 8.

–Magnosq; sinus Telmesidos undæ, &c.

Tempe, amœnus Thessaliæ locus, montibus & arboribus cinctus, per quem Peneus fluuius fluit. Ouid.

Est nemus Aemoniæ, prærupta quod undiq; claudit
Sylua, uocant Tempe, per quæ Peneus ab imo, &c.

Ponitur etiam pro quouis loco amœno.

Tenedos, insula in mari Aegeo inter Mitylenẽ & Hellespontũ, contra Troiam, prope Sigæum. sic dicta à Tene quodã infamato, qui postquã cũ nouerca concubuisset, ad eam appulit, & cultoribus uacuam inhabitauit. Antea Leucophris uocabatur. In hac Græci latitarũt, cùm Troiæ insidias struerent. Vergil. Eclog. 2.

Est in conspectu Tenedos notißima fama
Insula, &c.

Tenedi, dicuntur incolæ.

Tenos, insula, una ex Cycladibus, in qua est oppidum eiusdem nominis, quam propter aquarum abundantiam Aristoteles Hydrusam appellatam dicit.

Terentũ, locus in campo Martio, quòd in eo ara Ditis in terra occultaretur. Erat hic locus Diti & Proserpinæ sacer, in quo omniũ qui nascerentur & morerentur no mina

mina scribi solebãt, quoties ciuitas lustrabatur. Mart.
Bis mea Romano spectata est uita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.

Tereus, quidã primã aspirant, Thereus, rex fuit Thracum, Martis ex Bisthonide nympha filius, qui Prognẽ filiam Pandionis regis Athenarum in coniugem sumpsit. Vide suprà Progne. Vergil. Eclog. 6.
Aut ut mutati Terei mutauerit artus, &c.

Terpsichore, una est ex nouem Musis, dicta ἀπὸ τοῦ τέρπειν τοὺς χορούς, id est, à delectandis choreis, ideo à quibusdam Cytharistria uocatur. Vergil.
Terpsichore affectus, citharas mouet, ĩperat, auget.
Vide suprà Musæ.

Tethys, yos, filia Cœli & Vestæ, cõiux Neptuni, & mater nympharum. Quandoq; pro mari ponitur. Variat quantitas huius dictionis. Verg. lib. 1. Georg.
Teq; sibi generũ Tethys emat, omnibus undis, &c.
Ouid. lib. 5. Fast.
Tethys & extremo sæpe recepta loco.
Alia fuit Thetis, Achillis mater, de qua infrà.

Teucer, filius fuit Scamãdri fluuij, ex Idea nympha, cuius filiã Bateã Dardanus uxorẽ duxit: à cuius nomine & Teucri, Troiani dicuntur. Alius fuit filius Telamonis, ex Hesiona Laomedontis filia, & frater Aiacis, qui apud Troiã se interfecit, ægrè ferens Achillis arma fuisse data Vlyßi. Troia autem diruta cùm rediisset in patriam, pulsus est à patre, qui prius abeunti uetuerat ne reuerteretur, nisi cum fratre. Itaq; profugus nauigauit in Cyprum; ubi urbem condidit. Vergil. lib. 1.
Atq; equidem memini Teucrum Sidona uenire,
Finibus expulsum patrijs noua regna petentem.

Teumesus

Teumesus, *mons est Bœotiæ, in quo fiebant Bacchi sacrificia.* Teumesius, *a, um, adiect. Statius lib. 5. Theb.*

—Vesano ueluti Teumesia Thyas
Rapta deo, &c.

Ab hoc monte leo Teumesius *dictus inauditæ magnitudinis, qui omnibus terrori erat: hũc Hercules adhuc penè puer occidit, eiq́; pellem detraxit, qua postea semper pro pallio usus est.*

Teutates, *dicebatur Mercurius apud Gallos: quem illi mortis deum interpretabantur. huic pro uictimis homines immolabãt, ministrisq́; ad ea sacrificia utũtur Druydibus: alij immani magnitudine simulacra habebant, quorũ cõtexta uiminibus mẽbra uiuis hominibus cõplebãt, quibus succẽsis circũuenti homines flãma exanimabantur: quosdam sagittis configebãt, & intra sacras ædes patibulo suffigebãt, ut refert Strabo. Lucan. lib. 1.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensq́; feris altaribus Hesus, &c.

Ad hunc modum & Heso, id est Marti, & Tarani, id est Ioui sacrificabant.

Teuthras, *rex Mysorũ, filius Pandionis, & pater Thespij, cuius filias quinquaginta numero Hercules una nocte cõpreßit, ut supra de Hercule dictũ est. Oui. in Epi.*

Nec tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
Quorum de populo nulla relicta tibi est, &c.

Teutones, *seu* Teutoni, *seu* Teutonici, *populi sunt Germaniæ. Inde* Teutonicus, *a, um, Lucan. lib. 6.*

—Aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguus, aut longis Teutonus armis.

Idem lib. 1. —Cursumq́; furoris
Teutonici, quoties Romam fortuna laceßit, &c.

Thais,

Thais,*meretrix notißima Corinthi, quæ iuuentutem Atticam in ſui amorem pellexit.Propert.lib.4.*

Seu potius blandi Thais pretioſa Menandri,&c.

Thales,*Mileſius,philoſophus fuit celeberrimus,& unus ex ſeptē Græciæ ſapiētibus.Primus omnium aſtologiæ ſecreta penetrauit,explorauitq́; rerum naturas,temporum ambitus,flatus uentorum,ſtellarum motus,fulminū rationes,& fulgurum,& meatus ſolis reciprocos. De urſa minore diſſeruit, qui eam primus notaſſe dicitur. Solis eclypſes prædixit primus: quamuis non deſint, qui hoc Atreo adſcribant.Mortuus eſt Olympiade 58. dum certamen gymnicū ſpectaret,æſtu et ſiti fatigatus.*

Thalia,*una eſt ex nouem Muſis,dicta quòd uirens,& læta ſit: θάλλω enim uireo,ſeu lætor ſignificat.Vergil.*

Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia.

Eſt & nymphæ nomen in Sicilia iuxta Simethum fluuium, de qua ſuprà in dictione Palici.

Thamyris,*ſiue* Thamyras, *filius fuit Philammonis & Arſiæ,ſiue ut alij, Erathûs Muſæ.Primus dicitur infanda in mares libidine incenſus fuiſſe. Fuit autem forma præſtans,arte cytharœdus optimus, adeo ut cum Muſis ipſis certamen ſuſceperit,ea cōditione,ut ſi uiciſſet, cum Muſis ſingulis concumberet: ſin uictus fuiſſet, ab illis priuaretur, quodcunq; illis uiſum fuiſſet. Itaq; inito certamine cum Muſæ ſuperiores euaſiſſent,& oculis & arte Muſica,& quod extremum erat, etiam mente priuarunt.* Ouid.lib.3.de Arte:

Tu licet & Thamyram ſuperes,atq; Orphea cātu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ,&c.

Thaſus,*eſt in mari Aegeo, una ex Cycladibus.* Thaſij, *dicuntur populi, &* Thaſius, *a, um, ut Thaſia nux,*

id est amygdalum: & Thasiũ marmor, quod in hac insula cædebatur, admodũ maculosum. Stat. lib. 5. Theb.

Et Paros & nemorosa Thasos, &c.

Thaumas, pater fuit Iris, quæ ab illo Thaumantis, & Thaumantias, & Thaumantæa uirgo, dicitur. Verg. libro 9.

Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.

Theanum, oppidum fuit Campaniæ. Theano uerò mulier fuit Troiana, Hecubæ soror, cuius meminit Maro libro 10. Aeneid. —Paridisq; Mimanta

Aequalem comitem, una quem nocte Theano, &c.

Thebæ, arum, uel Thebe, es, insignis urbs Aegypti, à Busiride condita: hanc Græci Heliopolim, id est, Solis urbem uocauere. Ambitus urbis cẽtum & quinquaginta stadiorum traditur, insignis publicis priuatisq; ædificijs. Plinius autor est, totam fuisse pensilem, id est, uias subterraneas habentem, ita ut numerosi exercitus educerentur à regibus, ciuitate nihil sentiente. Hæc centum habuit portas, de qua Iuuenal.

Atq; uetus Thebe centum iacet obruta portis.

Huius populi dicuntur Thebæi. Alia huius nominis ciuitas est in Bœotia, à Cadmo Agenoris filio condita, sed postea ab Amphione plurimum exornata, ut canit Horatius. Alij uerò ab Ogyge rege fundatam uolunt. Hinc Vergilius in Aetna:

Nunc iuuat Ogygijs circundata mœnia Thebis.

Huius incolæ dicuntur Thebani. Inde quoq; fit adiect. Thebanus, a, um. Alia fuit in Cilicia, quam Achilles deleuit, interfecto Aetione rege, patre Andromaches, quæ fuit uxor Hectoris. Fuerunt & aliæ huius nominis urbes.

Thebais, *regio est Aegypti, quæ & Thebæa uocatur.* Et Thebais, *dicitur mulier Thebana. item* Thebais *inscribitur opus illud Papinij Statij, quod de Thebano bello edidit: item Senecæ Tragœdia de eodem.* Thebaides *quoq; seu* Thebaicę, *dicũtur palmæ generosiores, apud Plinium libro 15.*

Themese, *oppidum est Cypri, in quo primò repertum fuit æs. Statius lib.1. Syluarum:*

Et queis se totis Temese dedit hausta metallis.

Inde Themesæus, *a, um. Ouidius:*

Et quamuis aliquis Themesea remouerit æra, &c.

Themis, *is, & idos, & mistos, dea docens petere licita, quæ habuit templum in Bœotia, iuxta Cephysum amnem. Ouid. lib. 1. Metam.*

Fatidicamq; Themin, quæ nunc oracla tenebat, etc.

Themistocles, *Neoclis filius, dux Atheniẽsis clarißimus, licet prima pueritia prodigus fuerit, et lasciuus. Pugna nauali Xerxem Persarum regem uicit apud Salamina. Tandem ciuium inuidia pulsus, ad Xerxem hostem confugit, à quo benignè exceptus. Sed cùm à Xerxe cogeretur ad inferendum patriæ bellum, seipsum interfecit, hausto sanguine tauri: quem sanguinem ideo pestiferum esse scribit Cælius, quòd celerrimè coëat & obdurescat. Ouid. lib. 1. de Ponto:*

Arma Neoclides qui Persica contudit armis.

Theocritus, *poëta fuit Syracusanus, qui patrem habuit Praxagoram, Philinam matrem. Floruit sub Ptolemæo Lagi. Scripsit Dorica lingua Bucolicum poëma. Hunc imitatus est Vergilius.*

Therapnæ, *ciuitas est Laconiæ, patria Helenæ, à qua fit* Therapnæus, *a, um, ut fratres Therapnæi, id est,*

Castor & Pollux. Et Therapne, *dicta est Corsica insula. Despauterius ait, hanc dictionem non esse aspirandam. Stat. lib. 3. Theb.*

—Apollineasq; Therapnas, &c.

Thermodoon, *uel* Thermodon, *fluuius est in Pontica regione, iuxta quem habitauere Amazones, de quibus suprà. Ouid lib. 2. Metam.*

Thermodoonq; citus, Gangesq;, &c.

Idem lib. 4. de Ponto:

Et tu foemineæ Thermodon cognite turmæ.

Inde fit Thermodoontæus, & Thermodoontiacus, *a, um.*

Thermopylæ, *mons est longißimus, Græciam diuidens, ut Apenninus Italiam, incipiens à Leucade in Occidente, ad Aegeum mare haud longè à Demetriade protensus: fauces habet angustißimas, iuxta quas calidæ aquæ scaturiunt, atque ideo à caliditate portarum nomē inditum: nam Græci* θερμὸν *calidum, &* πυλὰς *portas appellant. Catullus:*

Lymphaq; in Oethæis Mallia Thermopylis.

Thersites, *Græcus quidam fuit, omnium qui ad Troiam uenerunt, deformißimus, ut scribit Homerus. hunc Achilles pugno interfecit. Iuuenal.*

Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
Aeacidæ similis, &c.

Theseus, *filius fuit Aegei & Aethræ, qui æmulatione Herculis magna geßit & ardua. Debellauit Amazones, earumq; reginam Hippolyten rapuit, ex qua Hippolytum genuit. Creōtem regem Thebarum mortuos in bello sepeliri prohibentem interfecit. Oppreßit & terribilē taurum in Attica, Minotaurum in Labyrintho*

tho occidit, & Ariadnam Phædramq́; Minois filias clàm secum abduxit, sed relicta Ariadna in Chio insula Phædram sibi coniugio copulauit. Scyronem, Procustem, & Scinin latrones Atticæ neci dedit: debellauit Centauros: Thebas domuit. Pirithoum præcipua coluit amicitia, quocum descendit ad inferos ad rapiẽdam Proserpinam: sed occiso Pirithoo ipse aliquandiu in uinculis Plutonis fuit detentus, donec ab Hercule, quẽ summa prosequebatur beneuolentia, liberaretur. Postremò iam senex à ciuibus suis pulsus, exul apud Scyrum minorem insulam diem clausit, cùm annis 19. imperasset Atheniensibus. Ouidius:

Pirithoum Theseus Stygias comitauit ad undas.

Ab eo fiunt adiect. Theseus, & Theseius, *a, um:* & Thesides, *patronymicum.*

Thespiæ, *oppidum in Bœotia, iuxta Parnasum montem, in quo maximè colebantur Musæ. unde dicuntur quoq;* Thespiades. *Ouid. lib. 5. Metam.*

Thespiades certare deæ, &c.

Thespis, *seu* Thespius, *Atheniensis, Erichthei filius secundum Diodorum, secundum alios uero Teuthrantis: filias habuit 50. numero, quæ cõmuni nomine* Thespiades *à patre appellantur. has una nocte Hercules adhuc adolescens, sed corporis robore præstans, omnes cognouit. uide suprà* Teuthrantem, & Herculem.

Thespis, *poëta fuit antiquißimus, qui primus tragœdias scripsit, ut ait Horatius in Arte:*

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris uexisse poëmata Thespis.

Thesproti, *populi sunt in Epiro, quorum meminit Luca. libro 3. Thesproti, Driopesq́; ruunt, &c.*

Theſſalia, *regio Græciæ, inter Macedoniam, Atticam, Bœotiam & Thraciam: ſic dicta à Theßalo rege. Alio nomine Aemonia, Pelaſgis, Hellas, Pharſalia, Pyrrhea à Pyrrha Deucalionis uxore: Homerus Argopelaſgicō nominat. Famoſißima olim ueneficijs, & incantationibus. Inde* Theſſalus, & Theſſalicus, *a, um, adiect. Lucanus libro 7.*

Vſq; ad Theſſalicas ſeruiſſes Roma ruinas.

Et Theſſalis, *idis, mulier Theſſala.*

Theſſalonica, *urbs eſt Macedoniæ, cuius incolæ* Theſſalonicenſes *dicuntur.*

Theſtius, *filius fuit Parthaonis ex Calydone nympha, pater Althcæ, quæ ab eo* Theſtias, *ados, appellatur. Et* Theſtiades, *Meleager Althcæ filius. Oui. li. 5. Faſt.*

Reſpice Theſtiadem, flammis abſentibus arſit, &c.

Theſtor, *filius fuit Idmonis & Laothoës, & pater Calchantis, qui ab eo* Theſtorides *nominatur. Ouid. libro 12.* –*At ueri prouidus augur*

Theſtorides uincemus ait, &c.

Thetis, *idos, filia Nerei, & Doridis, uxor Pelei regis Theſſaliæ, & mater Achillis. Ouid. 11.*

Nanq; ſenex Thetidi Proteus prædixerat udæ.

Eſt & alia Tethys, de qua ſuperius.

Thoas, *filius fuit Bacchi ex Ariadna Minois filia, ut eſt apud Ouidium libro 7. Metamorph.*

Tum primum ſeſe trepidus ſub nocte Thyoneus,
Detexit nato, portans extrema Thoanti,
Subſidia, &c. Idem in Epiſtol.

En ego Minoo nata Thoante feror.

Hic Lemni rex ſolus ab Hypſiphyle filia, cùm reliquæ Lemniades omnes uiros noctu interimerent, ſeruatus

eſt, &

est, & clàm naui impositus in Chium insulā peruenit. Postea quoq; profectus est ad bellum Thebanum cum Adrasto rege. Ab eo fiunt patron. Thoantis, *idos, &* Thoantias, *id est,* Hypsiphyle. *Alius fuit Thoas Iasonis &* Hypsiphyles *filius. Item alius fuit Thoas, rex Tauricæ regionis, ad quem delata est Iphigenia Agamemnonis filia: sed tandem ab Oreste occisus.*

Thomyris, *Massagetarum regina in Scythia, quæ cum potentißimo Persarum rege Cyro bello congressa est, ipsumq; & uita & castris spoliauit ad ulciscendam filij mortem, quem ille prius à matre obuiam missum cum suis per insidias interfecerat. Nec tamen hoc euentu uictoriæ contenta fuit, aut emollita animi rabies: mortui enim caput in utrem humano cruore plenum demisit, his uerbis insultans: Filij mei sanguinem hausisti, & meum sitisti Cyre, at ego cruore te saturabo. Autor Herodot. Quint.*

Quem cæsum Thomyris saciabit acerba cruore.

Thoosa, *filia fuit Phorci, ex qua Neptunus Polyphemum suscepit.*

Thracia, *seu* Thrace, *es, regio est Europæ, Macedoniam sequens, à Septentrione Istrum habet, ab Oriente Pontum, à Meridie Aegeum mare, olim Sython dicta, postea uerò Thracia: siue à Thrace Martis filio, siue ab asperitate.* τραχὺς *enim Græcis asperū sonat. Est enim regio nec cœlo, nec solo tractabilis, &, nisi quà mari propior est, infœcunda frigidaq;.* Thraces, *sunt populi truci aspectu, bellicosi, & laborum & frigorum patientißimi, unde nata est fabula de Marte apud eos nato. Vergilius libro 3.*

Terra procul uastis colitur Mauortia campis.

Thraces arant,&c.

Thraseas, *philosophus Stoicus, qui cum damnatus à Nerone solutis uenis moreretur, magna constantia suorum fletum compescuit, libauitq; sanguinem Ioui liberatori. Mart. lib. 1.*

Quod magni Thraseæ, consummatiq; Catonis, et c.

Thrasibulus, *dux fuit Atheniẽsiũ, qui patriã à triginta tyrannis liberauit. tandem in castris necatus est noctu.*

Thrasumenus, *lacus Italiæ in agro Perusino, iuxta quem Annibal Flaminium consulem superauit cæsis 1500. Romanorum. Ouid. lib. 6. Fastor.*

Sunt tibi Flaminius, Thrasumenaq; littora testes.

Thule, *insula Oceani inter Septentrionalem & Occidentalem plagam, ultra Britanniam & Orcadas, in qua solstitio æstiuali nullæ sunt noctes, hyemali uero nulli dies. Verg. lib. 1. Georgic.*

–Tibi seruiat ultima Thule.

Thurij, *urbs Calabriæ, quæ &* Thuria, *&* Thurion *appellata est, à Thuria fonte. Inde* Thurinus, *a, um. Ouid. lib. 15. Metamorph.*

Thurinosq; sinus, Temesumq;, & Iapigis arua.

Thuscia, *regio est Italiæ, quam quidam à sacrificijs dictam arbitrãtur (θύειν enim Græcis sacrificare est) quoniã huius regionis populi superstitiosissimi fuerũt. Alij à Tusco Herculis filio sic appellatã tradunt, & ideo primam sine aspiratione scribi debere. Inde* Thuscus, *a, um. Lucan. lib. 1. –Sed conditor artis*

Finxerit ista Tages, flexa sic omina Thuscus

Inuoluens, multaq; tegens ambage canebat.

Thyas, *uocatur Bacchi sacrificula. Stat. in Thebaid.*

–Insano ueluti Theumesia Thyas Rapta deo.

Thyasus, *saltatio seu chorea, quæ exhibebatur in honorem Bacchi. Verg.*

Instituit Daphnis thyasos inducere Baccho.

Thyestes, *filius fuit Pelopis & Hippodamiæ. Vnde Thyestæus, a, um, adiect. Ouid. lib. 15. Metamorph.*

Ne'ue Thyestæis cumulemus uiscera mensis.

Thymbræus, *dicitur Apollo, quasi deus imbricitor: siue, ut alij tradunt, à Thymbra Phrygiæ oppido, in quo religiosissimè colebatur. Verg. lib. 4. Georg.*

Si modo quē phibes, pater est Thymbræus Apollo.

Thymœtes, *secūdū Seruiū filius fuit Priami & Arisbes. Alij uerò Thymœtem non Priami filiū, sed Arisbes maritum faciunt. Hunc Euphorion uatem fuisse testatur, qui cum dixisset die quadā nasci puerū, per quē Troia posset euerti, contigit ut eadē die Thymœtis cōiux & Hecuba parerent. Quāobrem Priamus ad euitandum præsagiū Thymœtis filiū cū uxore occidi iußit. Postea autē Thymœtes iniuriæ memor, cum sentiret proditionē patriæ, primus suasit, ut equus ille ligneus intra muros duceretur. Verg. li. 2. Aen. -Primusq; Thymœtes*

Duci intra muros hortatur, & arce locari.

Thyodamas, *pater fuit Hylæ, quem Hercules Colchos nauigans secum duxit. Propert.*

Thyodamantæo proximus ardor Hylæ.

Thyoneus, *Bacchi nomen, & eiusdem filij, qui cum, ut Ouidius fabulatur, bouem fuisset furatus, & ob id à rusticis opprimeretur, implorato fortè patris auxilio, factum est ut Thyoneus à Baccho in uenatorem, & bos in ceruum permutaretur.*

T I.

Ticinus, *fluuius Insubriæ, in Eridanum fluens, à quo Ti-*

cinum, *urbs, quæ nunc Papia dicitur. Phil.*

Quosq; pater Ticinus nitida perlucidus unda.

Tigris, *fluuius est rapacißimus maioris Armeniæ, incertam habens originem. Ecclesiastici fontem eius ponunt in terrestri Paradyso. Lucan.*

Quaq; caput rapido tollit cum Tigride magnus Euphrates, &c.

Est quoq; Tigris animal uelocißimum & truculentũ, quibus Hyrcania & India abundat. Verg.

—Hyrcanæq; admorunt ubera Tigres, &c.

Tigranes, *rex fuit Armeniæ maioris, qui auxilium ferens Mithridati regi, uictus est primò à Lucullo, deinde à Pompeio Magno.*

Timauus, *fluuius est Venetiæ, qui delatus è montibus in profundum cadit, deinde infra terrã absorptus, stadijs circiter trecentis & triginta erumpit in mare, influitq; pluribus ostijs, quæ accolæ Tergestini sinus Fonticulos dicunt, quoniam instar fontium emittunt aquas ex aduerso. Lucan. lib. 7.*

Atq; Antenorei dispergitur unda Timaui.

Tiphys, *yos, excellens faber lignarius & gubernator nauis Argonautarum. Ouid.*

Tiphys in Aemonia puppe magister erat.

Huius quoq; meminit Vergilius Eclog. 4.

Tiresias, *τειρεσίας, uates fuit Thebanus, Peneto patre genitus, qui cũ aliquando in Citherone uideret duos dracones coëuntes, obseruata fœmina, ex ijs occidit illam, quo facto in fœminam & ipse mutatus est. Deinde cùm rursus post septem annos eodem pacto & marem draconem interfecisset, in pristinã formam redijt. Contigit igitur aliquando certantibus inter se Ioue & Iunone,*

uiri

uiri'ne an fœminæ maiorem ex Venere uoluptatẽ cape rent, ut ille iudex sit adhibitus, qui uerum fuerit expertus. Tiresias autẽ pro Ioue sententiam tulit, asserẽs multo plus libidinis habere fœminas. ob quod à Iunone excæcatus est. Alij uero excæcatũ dicũt eò quòd Palladẽ nudam in fonte conspexit. Iupiter autem in solatium uisus amißi diuinationem illi dedit. Stat. lib. 10. Theb.

—Sibi callidus ista
Tiresias, nataeq; canant, &c.

Tiryns, fluuius, & oppidũ Achaiæ prope Argos: patria Herculis, qui inde Tirynthius dicitur. Verg. lib. 8.

Ecce furens animis aderat Tirynthius heros, &c.

Tisyphone, una est ex furijs, dicta quasi cædis ultrix. τίσις Græcis ultio est, φονὴ cædes. Verg. lib. 6.

—Vltrix accincta flagello Tisyphone, &c.

Titan, seu Titanus, filius fuit Cœli & Vestæ, frater Saturni natu maior, qui cum filijs, quos Titanes à patre appellabant, bellum geßit aduersus Saturnũ & Opim, quòd conuentui non stetissent, eosq; captos muro inclusit: postea à Ioue filio uictis Titanibus liberati sunt, ut suprà latius de Saturno dictum est. Et Titan dicitur Sol ab auo. Lucan. lib. 1.

Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, &c.

Hinc fit Titanis, idos, patronym. & Titanius, a, um. Vt apud Vergilium lib. 6.

Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra, &c.

Titaresus, fluuius est Thessaliæ, qui & Orchos dicitur, de quo Plinius: Peneus accipit amnem Orchon, nec recipit, sed olei modo supernatantem breui spatio in mare portat. Vide Peneus. Lucan. lib. 6.

Solus in alterius nomen cum uenerit undæ,

Defendit

Defendit Titaresus aquas, lapsusq; superne
Gurgite Penei pro siccis utitur aruis.

Tithonus, filius fuit Laomedontis, qui propter formæ elegantiam ab Aurora in Aethiopiam raptus, ex eadem Memnona filium suscepit. Postea cum longißimam optasset uitam, & obtinuisset, tandē uitæ pertæsus in cicadam conuersus est. Propert. lib. 2.

At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum eoa passa iacere domo est.

Titij, sacerdotes fuerunt Apollinis, à Titijs auibus, quas in augurijs certis obseruare solebant, sic appellati, ut ait Varro. Lucan. libro 1.

Et doctus uolucres augur seruare sinistras,
Septem uirq; epulis festis Titijq; sodales.

Tityus, filius fuit Iouis ex Elara, Orchomeni filia, quam prægnantem Iupiter timens Iunonis irã, occultauit in terram, ex quo factũ est, ut nascēs puer ex terra natus uideretur. Hic postea cum ad integram ætatem peruenisset, captus amore Latonæ Apollinis matre, eam de stupro interpellauit. Quamobrem Apollo iratus sagittis ipsum confodit, & apud inferos religauit, eiusq; iecur uulturibus lancinandum apposuit, hac lege, ut cõsumptum renasceretur illico, & sic nunquam uultures à discerpendo cessarent, nec ipse à patiendo. Tantæ magnitudinis gigas fuisse perhibetur, ut iacens nouem iugera occupauerit. Ouid. lib. 4. Metam.

Viscera præbebat Tityus lanianda, nouemq;
Iugeribus districtus erat, &c.

T L.

Tlepolemus, filius fuit Herculis ex Astyochia, quam ex Ephyre Peloponēsi urbe rapuerat. Hic cũ adolcuisset,

Licymniũ auunculũ ſuũ Marte progenitum, & patri ſuo chariſsimũ, iã ſenẽ interfecit. Propter quod fabricatis nauibus patria profugus, collecta iuuenũ multitudine Rhodũ petijt, & ea inſula occupata Rhodienſibus imperauit. Vnde poſtea ad bellum Troianũ cum nouẽ nauibus profectus eſt, in quo à Sarpedone occiſus eſt.

T M.

Tmolius, *ſeu* Tmolus, *ſeu* Tymolus, *mons eſt Lydiæ feraciſsimus uini & croci, ex quo Pactolus fluuius oritur. Verg.*

Tmolius aſſurgit, quibus & rex ipſe Phaneus, &c.
Ouidius: *–Riget arduus alto*
Tmolus in aſcenſu. Et,
Deſeruere ſui nymphæ uineta Tymoli.
Sed de poſteriore maxima eſt Grãmaticorũ diſceptatio

T O.

Tomos, *ſeu* Tomi, *orum, urbs eſt in* Ponto, *dicta quòd illic* Medea *fratrem ſuum* Abſyrtum *fruſtulatim conſcidiſſet.* τέμνειν, *enim Græcis ſcindere eſt.* Ibi exulauit Ouidius *poëta. Ouid.*

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.

Hinc Tomitanus, *a, um, adiectiuum.*

M. Torquatus, R*omanus nobiliſsimus, qui filium ſuum ſecuri percuſsit, quòd aduerſus Samnites contra edictũ pugnaſſet, quamuis hoſte profligato uictoriam ad ſuos retuliſſet. Verg. lib. 6.*

–Sæuumq; ſecuri *Aſpice Torquatum, &c.*
Sic dictus à torque, quem Gallo detraxerat.

T R.

Trachina, *urbs eſt* Theſſaliæ *non procul ab* Oeta *monte,*
in qua

in qua regnauit Cæyx, qui ab ea Trachinius *appellatur ab Ouidio lib.11.*

–Hunc contra placido Trachinius ore,&c.

Tralleis, *urbs est in finibus Cariæ sita. Alia huius nominis ciuitas est in* Lydia, *non longe à Magnesia, ab Argiuis & Thracibus quibusdam condita.* Hinc Trallianus, *a, um, adiectiuum.*

Trebia, *fluuius est prope Placentiam in Gallia Cisalpina, ex Apennino monte in Padum fluens. Iuxta hunc* Annibal Romanos, L. *Sempronio duce, maxima clade affecit. Lucan. lib. 2. –Quod non in Punica nati*

Tempora Cannarum fuimus Threbiæq; iuuentus.

Treuiri, *populi Galliæ Belgicæ, prope Leucos & Lingones. Lucan. lib. 1.*

Tu quoq; lætatus conuerti prælia Treuir, &c.

Trinacria, *seu* Trinacris, *dicta est Sicilia, à tribus promontorijs, Pachinno uidelicet, Peloro, & Lilybæo. Et* Trinacrius, *a, um, adiect. Verg. libro tertio:*

Præstat Trinacrij metas lustrare Pachinni, &c.

Et Trinacreis *Hybla apud Ouidium. lib. 5. Tristium.*

Triptolemus, *Eleusij Atticæ regis filius, de quo multa dicta sũt in dictionibus* Ceres *et* Lyncus. *Verg. in Cul.*

Quercus antè datæ, Cereris quàm semina uitæ:

Illas Triptolemo mutauit sulcus aristis, &c.

Triton, *filius Neptuni & Salaciæ, siue (ut alij uolũt) Oceani & Tethyos. Estq; Neptuni tubicen, & concha utitur. Sic dictus à Tritone Aphricæ palude, quòd in eodẽ primum uisus fuerit. Est autẽ Triton maxima Aphricæ palus, iuxta amnem eiusdẽ nominis. Ab hac Pallas quoq; cognominata* Tritonia, & Tritonis, *idos, quia circa hanc paludem apparuerit.*

Troias,

Troias, *seu* Troia, *regio est minoris Asiæ ad Hellespontum, in qua est eiusdem nominis urbs, quod Ilium uocatur. Vide suprà. Ouid. in Epist.*

Troia iacet, certè Danais inuisa puellis,
Vix Priamus tanti totaq; Troia fuit.

Inde fiunt adiect. Troius, Troicus, Troianus, *a, um,* & Troades, *mulieres Troianæ,* & Troiugena *apud Vergilium.*

Tros, *rex fuit Troiæ, Erichthonij filius, ut habet Ouid.*

Huius Erichthonius, Tros est, &c.

Ab hoc Troiani dicuntur Troës. *Verg. lib. I.*

Tros, Tyrius'ue mihi nullo discrimine habebo.

Troilus, *filius fuit Priami & Hecubæ, cuius mors fatalis erat Troiæ: nam eo uiuo Troia capi non poterat. Sed adhuc adolescentulus ausus fuit cum Achille Græcorũ omnium fortißimo congredi, sed ab eodem occisus est. Verg. lib. I. Aeneid.*

Parte alia fugiens amißis Troilus armis, &c.

Trœzen, *oppidum fuit Atticæ regionis, in Argolico sinu, in quo educatus fuit Theseus: qui inde uocatur ab Ouidio* Trœzenius *heros, cum ait:*

Hàc Ixionides, illac Trœzenius heros, &c.

Pirithoum & Thesea intelligens. Stat. lib. 4. Theb. diphthongō diuisit, cũ ait, —Et quas Thesæa Troëzen
Audit opes, &c.

T V.

Tullia, *filia fuit Seruij, sexti Romanorum regis, Tarquinio Superbo nupsit, qui postea, ut regno potiretur solus, socerum suum interfecit. Ferunt hanc mulierem eadem regnandi libidine qua maritum æstuasse, adeò ut cum intellexisset patrẽ interfectum, uehiculo se propere fer*

rè ferri iusserit, quo interfectori gratularetur. Quum autem inter eundum comperto cadauere, equi & auriga constitissent, erubescerentq; mortuum conculcare, mulier nefaria currum super faciem mortui patris duci iußit. Vnde Ouid. in Ibin:

Infamemq; locum sceleris quæ nomine fecit,
Preßit & inductis membra paterna rotis.

Tullus Hostilius, tertius Romanorū rex, multo bellicosior Romulo, de quo Verg. lib. 6.

–Cui deinde subibit
Otia qui rumpet patriæ, residesq; mouebit
Tullus in arma uiros, & iam desueta triumphis
Agmina, &c.

Tusculum, oppidum in Latio, in colle difficilem aditum habente situm, unde & nomen sumpsit: extructum à Telegono Vlyßis & Circes filio. Sil. lib. 7.

Quod peperere decus Circeo Tuscula dorso
Mœnia Laërtæ quondam regnata nepoti, &c.

Hinc Tusculanus, a, um, ut Tusculanus ager.

T Y.

Tyberis, seu Tybris, fluuius est Italiæ, è media ferè lōgitudine Auentini Aretinorum finibus defluens, alijsq; multis amnibus auctus, Romā perfluit, & deinde apud Ostiā in mare effunditur. Primò ab aquarū colore Albula dictus, deinde Tybris, à Tybri Thuscorum rege, iuxta eum in bello occiso, ut habetur apud Vergil. lib. 8. Aeneid. –Asperq; immani corpore Tybris,

A quo pòst Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus, amisit uerum uetus Albula nomen.

Tyberis uerò à Tyberino, Albanorum rege, in eo submerso. Ouidius:

Albula quem Tyberim mersus Tyberinus in undis
Reddidit, hybernis fortè tumebat aquis.

Inde fit adiect. Tyberinus, *a, um*, & Tybrinus, *a, um*, *apud Claudianũ.* Item Tyberinus, *dicitur deus Tyberis. Seruius tradit hunc fluuium in sacris Tyberinum dici, in communi sermone Tyberim, & in poëmate Tybrim.*

Tybur, *oppidum antiquum in Latio, non procul ab urbe Roma, conditum (ut est apud Verg. lib. 7.) à Catyllo, Corace, & Tyburto, filijs Catylli Amphiarai, uatis Thebani, eiq; nomen imposuerunt à fratre Tyburto, natu maximo. Ouidius:*

Et iam Telegoni, iam mœnia Tyburis udi
Stabant, agricolæ quæ posuere manus.

Hinc Tyburs, *gentile, &* Tyburtinus, *a, um.*

Tydeus, *filius fuit Oenei regis Aetoliæ, siue Calidoniæ, ex Althea, siue ut alij uolunt, Euribœa: qui quum fratrem suum Menalippum inscius occidisset, ad Adrastũ regem peruenit, cuius filiam Deiphilen in coniugẽ sumpsit, ut suprà dictum est de* Adrasto. *Postea à Polynice, qui alterã Adrasti filiam, Argiam uidelicet, in uxorẽ habebat, legatus ad Etheoclem regem Thebarũ missus, ut pacti memor fratri regnum redderet. Quumq; Etheocles præter omne fas regno se cessurum negaret, & ob hoc Tydeus indignatus, satis arroganter loquutus esset, stomachum mouit ipsi Etheocli, adeò ut missi sint quinquaginta milites, qui redeũtẽ insidijs opprimerẽt: quos tamẽ omnes Tydeus interfecit, præter unũ, quem tanti facinoris uolebat nunciũ relinqui. Collectis igitur undique copijs, cum Polynice, & Adrasto, reliquisq; Græciæ principibus ad bellũ Thebanũ profectus est. in*

quo post multas res præclarißimè gestas à Menalippo *quodam Thebano letaliter uulneratus occubuit.* Vide *suprà* Menalippus.*Stat.lib.3.Theb.*

Tydeos egregij perfossum pectus,&c.

Hinc Tydides.*patron.id est,*Diomedes,*Tydei filius.*

Tyndareus,*seu* Tyndarus,*filius fuit* Oebali,*regis* La*coniæ,cui in regno succeßit, & maritus Ledæ, pater putatiuus Castoris,*Pollucis,*Clytæmnestræ &* Helenæ. Hinc Tyndarides, & Tyndaris, *patron.* *Statius:*

Tyndaris incesta nimium laudata rapina,&c.

Item Tyndareus,*a,um,adiect.*

Typhon,*seu* Typhœus,*gigas,Titani & Terræ filius, qui Ioue ad certamen de regno prouocans ab eodē fulminatus dicitur,& sub insulam Inarimē trusus,ut Vergilius lib.9.&* Lucan.*lib.5.tradunt.Ouidius uerò li.5. Metam.sub Sicilia sepultum fabulatur.* Inde Typhoēus,*a,um.Vergilius lib.1.Aeneid.*

Nate patris summi qui tela Typhoēa temnis.

Typhon, *alius,fuit Osiridis frater.*De *quo suprà in dictione* Osiris.

Tyro, *uirguncula fuit Theßala, Salmonei filia, ex qua Neptunus* Neleum,*& Peliam suscepit.* Propert.*lib.7.*

Vobiscum est Iope,uobiscum candida Tyro,&c.

Tyrrheni, *populi Italiæ, à Tyrrheno Atys filio, cum quo ex Lydia profecti sunt, sic nominati .Vide suprà* Lydia. *Alio nomine dicuntur Thusci.*Et Tyrrhenia, *id est,Thuscia:&* Thyrrhenus,*a,um,id est,Thuscus. Verglius libro* 7.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris,
Contemptor diuûm Mezentius,&c.

Tyrus,*urbs Phœniciæ notißima,ab Agenore Prisci Beli filio*

filio condita, quondam alto mari septingentis paßibus à continēti diuisa, sed postea Alexandri oppugnantis opera continenti adiuncta. Apud hanc urbem capiūtur conchylia, quorum sanguine tinguntur uestes purpureæ, quæ ob id dicuntur Tyrię. Tyrij, dicūtur populi, quibus inuentum nauis à Tibullo adscribitur, libr. 1.

Vtq; armis uastum prospectat turribus æquor,
Prima ratem uentis credere docta Tyros.

Item Tyrij dicuntur Carthaginiēses, quoniā Tyro uenerunt cū Didone, Carthaginemq; ædificauerūt. Verg.

—Tyrij tenuere coloni, &c.

Et Tyrij quoq; dicūtur Thebani, eò quòd Cadmus Thebarū cōditor ex Phœnicia fuerit oriudus. Sta. li. 4. The.

Aonius uates, Tyriæ dux inclyte Thebes, &c.

DE LITERA V.

V A.

VAgeni, populus Alpinus, ut tradit Plinius lib. 3. Sil.

Tū pernix Ligur, et sparsi per saxa Vageni, &c.

Varus, fluuius est, qui Narbonensem prouinciam ab Italia disterminat, à fluctibus tortuosis sic dictus. Est etiā nomen poëtæ apud Vergilium in Bucolicis.

Vascones, populi citerioris Hispaniæ, quæ in Gallicum & Italicū uergit Oceanū, in Cātabria positi. Hi à Metello Romanorum duce obseßi, in tantam famem compulsi sunt, ut humana carne uescerentur. Iuuenal.

Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi, &c.

V E.

Vectones, populi in Hispania citeriore, iuxta Vacceos. Lucan. lib. 4. —Vectonesq; leues, &c.

Veij, urbs quondam fuit potens in Hetruria, quæ multa & maxima cum Romanis bella geßit: tandem à Camil

lo fuit capta. Lucanus libro 5.

–Veios habitante Camillo, Illic Roma fuit, &c.

Eius incolæ dicũtur Veientes, & Veientanus, a, um, adiect. ut Veientanum uinum.

Velia, oppidum Lucaniæ, circa Palinurum promontorium, à paludibus quibus cingitur, sic dicta. Hinc Velinus, a, um. Verg. lib. 6.

–Portusq; require Velinos, &c.

Venafrum, oppidum est Campaniæ, fertile optimi olei. Martial. lib. 13.

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri.

Venetia, regio est Italiæ, quæ à Mintio amne usque ad Tilsamentum protenditur, ab Enetis populis dicta, qui post bellum Troianum cum Antenore è Paphlagonia uenientes eam tenuere, ut autor est Plinius.

Venetiæ, arum, ciuitas insignis, condita in mari Adriatico 454. anno à Christo nato, cùm Attila rex Hunnorũ Aquileiam euerteret. Hinc fit adiect. Venetus, a, um, ut Veneti ciues. Lucan. lib. 4.

Sic Venetus stagnante Pado, &c.

Venilia, nympha, uxor fuit Fauni, & soror Amatæ, Latini regis coniugis, mater Turni. Vergil. lib. 10.

–Cui diua Venilia mater, &c.

Venus, amorum dea, pro quibus & sæpißimè poni solet. Item pro libidine, ut Terent. Sine Cerere & Baccho friget Venus. Et pro pulchritudine. Quintilianus: Quod cũ gratia quadam & Venere dicitur, &c. Fuerunt autẽ tres Veneres: Prima Cœli & Diei filia, quæ ex Ioue, seu ut alij uolunt, ex Baccho Cupidinem & Gratias genuit. Altera quæ ex Cœli pudẽdis, & spuma maris genita est. Fertur enim Saturnus Cœlo patri suo

suo falce pudenda amputasse, quæ in mare proiecta, & fluctibus agitata spumam fecerunt, ex qua nata est Venus, quæ ob id ἀφροδίτη *appellatur. Tertia, quæ à Græcis poëtis* κυπρὶς, & κυπριγένεια *uocatur, filia fuit Iouis & Diones, uxor Vulcani, quæ quondam Martem amasse fertur, de quorum adulterio suprà de Marte dictum est. Ex Anchise quoque Troiano Aeneam suscepit, quem cùm in bello Troiano subduceret, ne à Diomede interficeretur, ab eodem uulnerata est. Vide suprà Diomedes. Adonem quoq; summo amore prosequuta est, cuius fabulam, ubi de Adone dictum est, recensuimus. Ex Baccho quoq; Priapum suscepit. Sunt etiam qui affirment hanc primam quæstum meretriciũ instituisse. Verùm à poëtis confunduntur. Vergil. de matre Aeneæ lib. 3.*

Sacra Dionææ matri, diuisq; ferebam, &c.

Ausonius:

Orta salo, suscepta solo, patre edita Cœlo,
Aeneadum genitrix hic habito alma Venus.

Varia habet nomina, à locis uidelicet, in quibus præcipuè colebatur: ut, Erycina, Acidalia, Cytherea, &c. de quibus suo loco.

Venusia, *urbs Apuliæ, patria Horatij: qui inde* Venusinus *appellatur.*

Vergiliæ, *septẽ sunt stellæ in dorso Tauri, quarum exortu significatur æstas, occasu uerò hyems. Alio nomine Pleiades. Propert. lib. 1.*

Et sit iners tardis nauita Vergilijs.

Verona, *ciuitas est Venetiarũ, à Gallis olim cõdita, duce Brẽno, à cuius nomine primo Brenona, deinde mutatis literis Verona dicta est Iustino autore. Hanc interfluit*

Athesis fluuius. In ea quoq; nati sunt Catullus, & duo Plinij. Ouidius:

Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo.

Hinc Veronensis.

Vertumnus, *deus, qui putabatur praeesse rebus uertēdis, emēdis et uendēdis: aut q se uertit in uarias figuras, etc.*

Veseuus, Vesuuius, *& per Syncopā* Vesuius, *mons est Campaniae, quatuor mill. passuū à Neapoli, uinetis & oliuetis refertus. Cacumē tamē eius mōtis est sterile, flāmā quondā et fumū euomēs, ut Aetna Siciliae. Verg.*

Talem diues arat Capua, & uicina Veseuo
Ora iugo, &c. Martial. lib. 4.

Hic est pampineis uiridis Vesuuius umbris, &c.

Valer. Flaccus libr. 3. —Magis ut mugitor anhelet
Vesuius, &c.

Vesta, *mater fuit Saturni. Duae autem fuerūt Vestae, quae à ueteribus memorantur: altera Saturni mater: altera eiusdem dei filia, de qua Ouidius:*

Ex Ope Iunonem memorant, Cereremq; creatam,
Semine Saturni tertia Vesta fuit.

Confundunt tamen has poëtae, alterā pro altera ponentes. Quando eam terrā esse dicunt, de matre Saturni intelligendum est: sic dicta, seu quòd terra omnibus rebus uestiatur, seu quia ui sua stet. Ouid lib. 6. Fastor.

Stat ui terra sua, ui stando Vesta uocatur, &c.

Quando uerò uirginem nominant, de filia eius, quam ignem esse uoluere. Ouidius:

Nec tu aliud Vestam, quàm uiuam intellige flāmam,
Nataq; de flamma corpora nulla uides.

Iure igitur uirgo est, quae semina nulla remittit.

Et ideo dictam uolunt ἀπὸ τῆς ἑστίας, id est, à foco, in quo ignis

ignis alitur. Harum unam ex dijs penatibus esse uolũt, quos Aeneas in Italiam aduexit. Verg. lib. 2. Aeneid.

Sic ait, & manibus uittas, Vestamq; potentem,
Aeternumq; aditis effert penetralibus ignem.

Perottus ait, Romanos huius simulacrum Peßinunte allatum, in æde Victoriæ, quæ est in Palatio, posuisse, eiq; uirgines, à Vesta Vestales appellatas, sacrasse, quæ ignem perpetuum cõseruarent: qui si fortè per negligẽtiam fuisset extinctus, nequaquam reparare fas erat ex igne humanis uiribus elaborato: sed accensa per fomites ex sole flamma, purus & cœlestis ignis eliciebatur. Porrò uirgo Vestalis eligebatur intra annum sextum suæ ætatis, & decimum: & triginta annos oportebat eam manere uirginem, postea nubere licebat. Quòd si autem fortè stuprum commisisset, uiua defodiebatur.

Vestini, Italiæ populi, iuxta Marsos & Sabinos, apud quos olim fiebant casei laudatißimi. Mart.

Si sine carne uoles ientacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa uenit.

Vesulus, mons Liguriæ iuxta Alpes, inter cæteros clarissimus: ex cuius radicibus Padus erumpit. Verg. lib. 10.

—Multos Vesulus quem pinifer annos Defendit.

V F.

Vfens, fluuius Campaniæ, à Tarracina in Tyrrhenum mare fluens. Vergil. lib. 7. —Gelidusq; per imas
Quærit iter ualles, atq; in mare conditur Vfens.

Est quoq; nomen principis apud eundem.

V I.

Vienna, urbs metropolis quõdam Allobrogum, ad Rhodanum prope Lugdunum in Delphinatu. Auson.

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Alia est in Austria, itidem metropolis.

Vincentia, *urbs Venetiæ, patria* Rhemnij *Palæmonis grammatici, à Gallis condita. Mantuan.*

Et Verona ferax frugum, Vincentia bello
Strennua, &c.

Virbius, *dictus est Hippolytus, Thesei filius, uide suprà.*

V L.

Vlysses, *filius fuit Laërtis & Autoliæ. Alij ex Sisypho natũ tradunt, ut suprà de Autolia & Sisypho dictum est. Hinc Aiax Telamonius apud Ouidium lib.13. ait,*

–Et sanguine cretus Sisyphio, &c.

& Deiphobus apud Verg. lib. 6.

Hortator scelerum Aeolides, &c.

Sisyphus enim Aeoli fuit filius. Verum utriuscunq; filius fuerit, fingitur ab Homero uir multa præditus facũdia, nec minore experientia, uafer cõsilio, egregius bello, laborũ patiẽtißimus. Vxorẽ habuit Penelopẽ Icarij filiam, ex qua Telemachum filiũ suscepit. Tandẽ rapta Helena cũ reliqui Græcorũ principes ad eandẽ repetẽdam armarẽtur, ipse insaniam fingẽs salem serebat: sed à Palamede cognita eius astutia, ad bellũ pertractus est: in quo multa ad obtinendã uictoriam perfecit solertia sua. Nam Achillem inter Lycomedis regis filias uirginali habitu latitantem, ad bellum perduxit: sagittas Herculis à Philoctete detentas ad Troiam pertulit: cinerem Laomedontis, qui super Scæa porta Ilij seruabatur, clàm sustulit: Palladiũ unà cũ Diomede ex Troia cæsis custodibus rapuit. Sic et Dolone perẽpto, æque cũ Diomede explorator factus, Rhesum Thraciæ regẽ occidit, abductis eius equis, priusquam Xanthum bibissent. Quibus omnibus adhuc saluis Troia capi non poterat

terat. Porrò maximã simultatẽ habuit cũ Palamede, ut suprà dictũ est. Capta deinde Troia, maximã contentionẽ habuit cum Aiace Telamonio, pro armis Achillis, quæ tamen summa eloquentia obtinuit. & occiso Orchilocho Idomenei filio, eò quòd obstaret, ne debita pars prædæ capti Ilij Vlyssi daretur: deinde Polyxena ad Achillis tumulũ iugulata, atq; Astyanacte Hectoris filio è turri præcipitato, naues in patriã rediturus conscẽdit. Sed longè aliter contigit, multis quippe procellis actus in longissimos errores, atq; in peregrinationẽ decennẽ euectus est. Primo autem ad Alcinoũ regẽ Corcyræ peruenit, à quo honorificè susceptus: deinde ijs, quibus ad nauigandũ opus habebat, reparatis, ad Cicones Thraciæ populos appulit: quibus expugnatis, rursum abiens ad Lothophagos Aphricæ gentẽ tẽpestate pulsus est, exploratoresq; quos miserat, cũ Lotho gustato reditum non curarent, retraxit. Inde in Siciliã delatus, ubi Polyphemi antrũ cũ duodecim socijs intrauit, ex quibus cum Cyclops sex deuorasset, eruto illi oculo præusto fustẽ, pellibus arietũ inuolutus cum superstitibus antrum euasit. Hinc in Aeoliam nauigãs ab Aeolo uentos in utrem coactos obtinuit. Et cum iã Ithacæ proximus esset, soluto utre à socijs thesaurum credẽtibus, flãte aduerso uento in Aeoliã expulsus est: sed ab Aeolo abactus deuenit ad Lestrigonas, quos ob immanitatẽ fugiens, perditis reliquis rebus omnibus ad Circen peruenit: quæ cum exploratores eius in belluas mutasset, ipse sumpto à Mercurio pharmaco accessit impauidus, & stricto gladio eam coëgit, ut socios suos pristinæ formæ restitueret: quod cũ fecisset, eius postea amicitia usus est per totum annũ, suscepitq; ex ea Te-

legonum filium. Hesiodus uerò Agrium & Latinũ ex Circe genuisse dicit. Tandem ab illa de multis rebus agendis edoctus discedẽs ad Oceanũ peruenit, ubi peractis sacris ad inferos descendit, ibiq; ex Anticlia matre, Elpenore, & Tiresia uate de multis certior factus, reuertitur ad Circen: & sepulto Elpenore, qui nuper inebriatus de scalis deciderat, deinde rursus discedens ad insulam Syrenarum delatus est, quarũ cantus, ne audirent, socijs aures cera obturauit, se autem ad malũ alligari fecit, & hoc modo præterijt: inde Scyllã transiens & Charybdim nõ sine maximo periculo in Siciliã uenit ad ea loca, ubi Phaëtusa Solis filia cũ duabus sororibus greges patris pascebat, iussitq;, ne quis eos uiolaret: sed ipso dormiẽte, socij fame coacti, suadẽte etiã Eurylocho, plura ex gregibus animalia mactauerunt: quod scelus postea in naufragio luerũt, adeò ut ne unus quidẽ sit seruatus, præter unũ Vlyssẽ, qui arrepto nauis malo nouẽ diebus à uento & undis hinc illinc agitatus, tandẽ ad Ogygiã insulam depulsus, à Calypso nympha susceptus est, à qua septẽ annis detentus ex ea Nausithoum & Nausinoum filios, ut Hesiodo placet, genuit. Tandẽ cum uix abitũ ab illa impetrasset, reparatis cũ naue socijs mare ingreditur. Sed Neptunus infensus, eò quòd Troiã à se conditam demoliri fecisset, Cygnũ filiũ uita, et Cyclopẽ oculo orbasset, naufragio eum coẽgit, ut nudus in mare de naui iamiã demersura desiliret: cuius ita natantis Leucothoẽ miserta, uelũ illi præstitit suum, cuius auxilio cum die tertio ad littus uenisset, & ostia Phæacum intrasset, reiecto uelo in mare, inter frondes latitauit, ubi à Nausicaa filia Alcinoi cõpertus uestes accepit: deinde Palladis opere ad Areten

Alcinoi coniugem deductus, dona, naues, & socios suscipere meruit, qui eum in Ithacam reduxere, in qua dormientem cum donis deposuere. Excitatus autē à Pal*lade, ipsius monitu habitum mēdici accepit, & hoc mo do ad suos subulcos peruenit, apud quos* Telemachum *quoq; uidit.* Demum *à Sybore porcario incognitus do mum ducitur, ubi ignominiosa quædam à procis* Pene*lopes perpessus est. Postremo ab* Euryclia *nutrice agni tus, arma ex composito cum filio & duobus subulcis, quibus se indicauit, aduersus procos sumens, eos ad unum omnes trucidauit, atq; sic* Penelopen *recepit.* Por*rò cum ex oraculo didicisset, se à filio interemptum iri, in locis abditis uiuere decreuit.* Telegonus *autem filius ex* Circe *susceptus, patrem suum uidere cupiens,* Ithacam *profectus est: ubi cum incognitus à domo patris prohiberetur, orta contentione, patrem ignarus spina uenenosa trigonis piscis transfixit: atq; hoc modo inclytus ille heros, qui nunquam fortunæ insultationibus succubuit, diem clausit. Huius res gestas copiosissimè descripsit* Homerus *integro uolumine, quod* Odys*sea appellatur.* Verg. *lib. 3.* – Comes *infelicis* Vlyßis.

Vmbria, *regio* Italiæ, *quæ ab* Apennino, *ac etiam ultrà incipiens, usq; ad sinū* Adriaticū *extenditur, clara multis uenustißimisq; oppidis, sed in primis* Sentino *& fano* Fortunæ. *In ea quoq; est urbs* Spoletū, *unde regio,* Ducatus Spoletanus *dicitur.* Lucan. *lib. 2.*

Iusq; sui pulso iam perdidit Vmbria Thermo.

Hinc *fit adiect.* Vmber, *a, um, ut canis* Vmber, *quoniam olim canibus uenaticis erat nobilitata.*

V O.

Volsci, *populus antiquus in* Latio, *qui* Turno *suppetias tulerunt*

tulerũt aduersus Aeneã. Inde Volscus,*a,um.Ver.li.7.*

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla.

V R.

Vrania,*una est ex Musis:uel à cœlestium rerũ cantu,uel à cantus diuinitate sic nominata: ὀυρανὸς enim Græci cœlum uocant,ὀυράνιος cœlestem.Verg.de Musis:*

Vraniaq; poli motus scrutatur,& astra.

Vranus,*pater Saturni,alio nomine Cœlũ,cui Saturnus filius amputauit uirilia. Vt suprà de* Venere *dictũ est.*

V T.

Vtica,*ciuitàs est Aphricæ,distans à Carthagine 30.mill. passuum,apud quam se Cato interemit. Lucan.lib.6.*

–Prò tristia fata Non *Vticæ Lybiæ clades,&c.*

Vulcanus,*filius fuit Iouis &* Iunonis, *qui à parentibus ob deformitatem(licet alij alias causas afferant)è cœlo deiectus est in Lemnũ insulã,ubi ab Eurymone Oceani filia,& Thetide nutritus est:uel, ut alij uolũt,à simijs. Ea autẽ ruina,qua decidit de cœlo, claudus factus est. Officinam habere fertur in Lemno, unà cum Cyclopibus ministris: fingitur faber deorum, quia Ioui fulmina, & dijs arma aduersus gigantes fabricauit, nec tamen admissus est ad mensam deorum: quinetiam cum Mineruæ nuptias expetisset,repulsam passus est, unde Vergilius Eclog.4.*

N*ec deus hunc mensa,dea nec dignata cubili est.*

Aliã deinde sibi uxorem quærens,Venerẽ duxit: quam cùm postea unà cum Marte in adulterio depræhendisset,ãbos inuisibilibus cathenis ita colligauit,ut neuter abire posset, donec ab omnibus dijs & deabus uisi & derisi eßẽt,ut suprà de Marte annotatũ est.Ab eo quicquid artificiosè fabricatũ est,factum uolunt, ut monile

Harmo

Harmonies, & Ariadnæ coronam, currum Solis, Achil lis, & Aeneæ arma, & huiuſmodi. Fingitur deus ignis, pro quo ſæpiſſimè ponitur, ut apud Verg. lib. 5.

–Furit immiſſis Vulcanus habenis, &c.

Ab eo fit Vulcanius, a, um.

Vulturnus, uentus eſt, ſpirans ab hyberno occidente, medius inter Eurum & Nothum. Eſt etiam fluuij nomen per Campaniam labentis, iuxta quem eſt Vultur num oppidum. Lucan. lib. 2.

–Delabitur inde Vulturnusq́; celer, &c.

DE LITERA X.

X A.

XAnthus, fluuius Troianus, qui alio nomine Scamãder dicitur: huius aqua potata facit oues rufas, unde & nomen ſumpſit, ξανθὸς enim Græcis flauum ſonat. Vergilius:

–Xanthum Simoëntaq́; teſtor, &c.

Eſt & nomen uiri, & urbis Lyciæ à fluuio ſic nuncupatæ. Hoc quoq; nomine dictus eſt equus Achillis, quẽ Zephyrus uentus ex Podarge Harpyia genuit.

Xanthij, populi Aſiæ, qui cùm eorum urbs ab Harpago præfecto Cyri obſideretur, uxores ſuas, ac ſeruos, & uniuerſas opes in arcem poſuerunt, deinde adhibito igne cremauerunt: uiri uerò in bellum irruentes ad unũ omnes cecidere. Autor Herodotus.

Xantho, nympha fuit Oceani & Tethyos filia. Vergil. lib. 4. Georg.

Drimoq́;, Xanthoq́;, Lygeaq́;, Phyllodoceq́;.

Xãtippe, uxor fuit Socratis moroſa, & admodũ rixoſa.

X E.

Xerxes, filius fuit Darij, Perſarum regum maximus. Ae-

gyptum, quæ à patre desciuerat, recepit. Expeditionẽ quam Darius ipse in Athenienses cogitauerat, apparatu quinq; annorũ prosequens, decies centena hominũ millia collegisse fertur & amplius, & tria millia nauium, unde Græci finxerunt eum suis nauibus pedicas Neptuno: iaculorum & hastiliũ multitudine tenebras Soli fuisse cõminatum. Herodotus scribit, ex Abydo ad ulteriorem continentem septem stadiorum traiectum pontibus iunctum fuisse: quæ omnia cum suborta tempestas dissoluisset, Xerxes (ut ille ait) ægre ferens, infligi uerbera iußit Hellesponto & colaphos incuti, additis etiamnum uerbis ignominiosis. Idẽ autor est, quosdã fluuios ab Xerxis exercitu exiccatos fuisse. Achon Macedoniæ montem intercidi iußit, ad mare recipiendum, in fossam tantæ latitudinis, ut duæ triremes illac simul trãsire possent: quod non neceßitatis gratia fecisse fertur, sed ut potentiæ suæ monumentũ posteritati relinqueret. Nihilominus uictus est apud angustias Thermopylarum à Leonida Spartano quatuor tantũ millibus hominum stipato. Nauale deinde certamen cum Themistocle Atheniensium duce tentauit, à quo superatus turpißimè fugit, conscenditq; piscatoriam nauiculã, ac Salaminam furtim uenit: inde in regnum suum nauigauit relicto Mardonio cum quadringẽtis millibus hominũ. Deinde cùm nunquam in bello fortunã fauẽtẽ haberet, delicijs & uoluptatibus se omnino dedit, ut etiã ab Artabano tantã molliciẽ peroso sit interfectus. Luca. li. 2.
–Fama canit tumidum super æquora Xerxem, &c.

DE LITERA Z.

Z A.

ZAcynthos, insula est Ionij maris parua, cuius incolæ Za

læ Zacynthij *dicuntur. Vergil. lib. 3. Aeneid.*

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.

Zancle, *oppidum Peloponesi in regione Messenia. Fuit & Zancle oppidum in Sicilia, à Messenijs condita in sinu Pelori. Hinc* Zanclei, *populi: &* Zancleus, *a, um, ut Zanclea Charybdis.*

Z E.

Zephyrus, *uentus est flans ab æquinoctio occidentali, alio nomine Fauonius. Vergilius:*

Quum leuis alterno Zephyrus concrebruit Euro.

Ab eo fit Zephyritis, *itidos, id est, Chloris, à Zephyro adamata.*

Zeusis, *Heracleotes, pictor fuit insignis, cũ quo cùm Parrhasius alter excellens pictor in certamen descendisset, detulit puerum pictum uuas ferentem, ad quas cùm aduolaßēt aues, iratus operi suo, dixit: uuas melius pinxi quàm puerum. Nam si hunc consummassem, aues timere debuerant. Perottus tamen pueri nõ meminit, sed tantùm uuarum, ad quas aues in scenã aduolarint. At Parrhasius linteum detulisse fertur, ita ueritate repræsentata, ut Zeusis alitum iudicio tumens, flagitarit remoto tandem linteo picturam ostendi, intellectoq; errore palmam concesserit ingenuo pudore, quoniam ipse aues fefellisset, Parrhasius autem se artificem.*

Zethes, *filius fuit Boreæ ex Orithyia. Vide* Calais.

Zethus, *filius fuit Iouis & Antiopes, de quo suprà de* Amphione *dictũ est.*

Z O.

Zoilus, *malignus quidam poëta fuit, qui contra libros Homeri scripsit, unde dictus est Homeromastix, id est, Homeri flagellũ. Quæ scripta cùm recitasset Ptolemæo regi, indignatus rex nullum ei uerbũ fecit. Cumq; Zoilus*

ilus inopia pressus regẽ rogaret, ut daret sibi aliquid, unde uiueret: ait rex, Homerus, qui ante mille annos decessit, æuo perpetuo multa hominum millia pascit: quare tu qui illo multo doctior es, saltẽ teipsum pasce. Tandem Zoilus parricidij damnatus, iussu regis cruci affixus est. Hinc omnis, qui doctis uiris detrahit, Zoilus uocatur. Ouidius:

Ingenium magni liuor detractat Homeri:
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.

Zopyrus, nobilis Persa, qui cum Darius rex Persarũ Babylonem diu & frustra oppugnaret, ipse sibi nasum, aures & labia amputauit, & ita ad Babylonios quasi transfuga iuit, conquerens de crudelitate sui regis. Receptus igitur à Babylonijs, & dux belli constitutus, urbem Dario tradidit. Vnde postea Darius solebat dicere, se Zopyrum malle integrum, quàm uiginti capere Babylonas.

Zoroastres, primus rex Bactrianorũ, qui artes magicas inuenisse dicitur. occisus est à Nino Aßyriorum rege in prælio. Idem Zoroastres eodem quo natus est die risisse legitur, cùm omnes homines risum differant usq; ad diem sexagesimum secundum.

FINIS.

LVGDVNI,
APVD GODEFRIDVM
BERINGVM,
1544.

